
19. Pl. 7.

MAG3228

THEOLOGIA

DOGMATICO-POLEMICA

THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA
QUA
ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES
EX
SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA
CATHOLICA VERITAS
PROPUGNATUR.

RECENSUIT

P. CAROLUS SARDAGNA
SOCIETATIS JESU PRESBYTER
IN EPISCOPI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ
THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.
ET EXAM. SYNODALIS.

TOMUS IV.
COMPLECTENS
TRACTATUM IV. DE PECCATIS, BONIS OPERIBUS,
ET LIBERO ARBITRIO.

ROMAE 1820.
APUD PIUM CIPICCHIA
Superiorum permissu.

INDEX

CONTROVERSIARUM

QUÆ IN TRACTATU IV. DE PECCATIS, BONIS OPERIBUS, ET LIBERO ARBITRIO CONTINENTUR.

ARTICULUS I.

DE PECCATO ORIGINALI, EJUSQUE POENIS.

CONTROVERSIA I.

AN EXISTAT PECCATUM ORIGINALE, AB ADAMO PER GENERATIONEM IN EJUS POSTEROS TRANSFUSUM? Num. I.

Conclusio. Datur peccatum originale, ab Adamo per generationem in ejus posteros transfusum. III.

Quaesitum I. An originale peccatum veram et propriam peccati rationem habeat? X.

II. An unicuique ex posteris Adae sit proprium? XI.

III. An per naturalem generationem in singulos posteros derivetur, etiam filios fidelium? XII.

IV. An alia peccata Adami, praeter illud inobedientiae, aut etiam parentum in

filios et nepotes ipsorum deriventur? XIII.

V. Quandonam peccatum originale in prolem transfundatur? XIV.

CONTROVERSIA II.

DE NATURA ET FORMALI RATIONE PECCATI ORIGINALIS. XXXIII.

Conclusio I. Peccatum originale non est substantia mala, a Diabolo producta. XXXIX.

Conclusio II. Concupiscentia, seu pronitas ad malum, non est peccatum originale. XLI.

CONTROVERSIA III.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS. LII.

Conclusio I. Mors corporis est poena peccati originalis. LIII.

Conclusio II. Concupiscentia rebellis est mala, atque a peccato originali proficiscitur. LV.

Conclusio III. Exclusio ab aeterna gloria est poena peccati originaalis. LVII.

Quaesitum I. An parvuli sine baptismo decedentes, quamvis priventur vita aeterna, quae consistit in visione intuitiva Dei, fruantur tamen naturali quadam beatitudine? LIX.

II. An ita priventur visione intuitiva Dei, ut nullum exinde dolorem patiantur? LX.

III. An aeterno igne sint cruciandi apud inferos in carcere damnatorum? LXII.

CONTROVERSIA IV.

AN B. VIRGO DEIPARA ABSQUE ORIGINALI MACULA CONCEPTA FUERIT? LXXIII.

Cónclusio. B. Virgo absque originali macula concepta est, atque in primo Conceptionis suae instanti sanctificata est. LXXVI.

Quaesitum I. An antiquus sit Immaculatae Conceptionis cultus in Ecclesia Dei? LXXXIX.

II. An pia sententia probabilitatis limites excedat? XC.

III. An fieri possit, ut pia sententia quocumque tempore a Sede Apostolica damnetur tamquam haeretica, vel peccaminosa? XCII.

IV. An ratum et honestum sit votum tuendi usque ad sanguinem immaculatum Deiparae conceptum? XCV.

APPENDIX

DE DEBITO PROXIMO ET REMOTO PECCATI ORIGINALIS IN DEIPARA. CXXI.

ARTICULUS II.

DE PECCATO PERSONALI, EJUSQUE POENIS.

CONTROVERSIA I.

AN BEATISSIMA VIRGO SEMPER IMMUNIS FUERIT AB OMNI PECCATO PERSONALI? CXXVI.

Conclusio. Beatissima Virgo toto vitae suae tempore ab omni personalis peccati labe, ex speciali Dei privilegio semper fuit immunis. CXXVII.

Quaesitum. An B. Virgo, eoquod in gratia fuerit confirmata, habuerit potentiam peccandi? CXXXII.

CONTROVERSIA II.

AN DEUS SIT AUTHOR PECCATI? CXLIV.

Conclusio. Deus non est author peccati. CXLVI.

CONTROVERSIA III.

AN PECCATA VENIALIA ET MORTALIA DIFFERANT INTRINSECE, ET EX NATURA SUA? CLXVIII.

Conclusio. Peccata mortalia et venialia differunt inter se intrinsece, et ex natura sua, non autem ex sola relatione ad praedestinationem, vel statum renatorum. CLXX.

Quaesitum. Undenam desumenda sit differentia peccati venialis a mortali? CLXXIII.

CONTROVERSIA IV.

AN PER QUODLIBET PECCATUM MORTALE AMITTANTUR FIDES, SPES, ET CHARITAS? CLXXX.

Concusio I. Justus amittere potest charitatem, et gratiam sanctificantem: immo per quodlibet peccatum mortale eam amittit, ita ut desinat esse justus. CLXXXI.

Conclusio II. Fides potest quidem simpliciter amitti; non tamen amittitur sicut charitas per quodlibet peccatum mortale. CLXXXV.

Conclusio III. Spes Theologica non amittitur per quodlibet peccatum mortale. CLXXXIX.

Quaesitum. Per quodnam peccatum Fides et Spes amittantur? CXC.

CONTROVERSIA V.

AN, ET QUIBUS POENIS APUD INFEROS TORQUEANTUR, QUI IN STATU PECCATI MORTALIS EX HAC VITA DECEDUNT? CXCIX.

Conclusio. I. Etiam in lege gratiae et amoris datur Infernus. CC.

Conclusio. II. Infernus, seu damnatorum carcer, est locus materialis, determinatus, ac subterraneus. CCI.

Conclusio. III. Damnati igne vero et proprie dicto torquentur apud inferos. CCII.

Conclusio. IV. Non tantum peccata publica, etiam occulta, per poenitentiam in hac vita nondum remissa, in altera vita inferorum cruciatibus puniuntur. CCVII.

Conclusio. V. Animae in statu peccati mortalis ex hac vita decedentes, statim ad inferos amandantur. CCVIII.

Conclusio. VI. Poenae damnatorum apud inferos sunt aeternae, nullum umquam finem habiturae. CCIX.

Quaesitum. I. An ignis inferorum ejusdem sit naturae et speciei cum elementari nostro, an diversae? CCV.

II. Qua ratione ignis corporeus agere possit in Spiritus? CCVI.

ARTICULUS III.

DE MERITO ET BONIS OPERIBUS.

CONTROVERSIA I.

AN HOMO JUSTUS, DIVINA GRATIA ADJUTUS, EFFICERE POSSIT OPERA VERE BONA? CCXXVII.

Conclusio. Homo justus, gratia Dei adjutus, potest efficere opera vere ac perfecte bona. CCXXVIII.

CONTROVERSIA II.

AN BONA OPERA JUSTORUM, VIRIBUS GRATIAE ELICITA, MEREANTUR BEATITUDINEM AETERNAM? CCXXXVII.

Conclusio. Opera bona justorum, viribus gratiae supernaturalis elicita, merentur Beatitudinem aeternam. CCXLVI.

Quaesitum I. An justi bonis operibus aeternam beatitudinem de condigno mereantur, an tantum de congruo? CCXLIX.

II. An fiducia, quam justi in Deo constituunt, non ex fide, sed etiam ex bonis meritis nascatur? CCL.

III. Utrum liceat fiduciam aliquam ponere in propriis meritis? CCLI.

CONTROVERSIA III.

AN LICEAT BONUM AGERE INTUITU MERCEDIS AETERNAE? CCLIX.

Conclusio. Licitum est Bona agere intuitu mercedis aeternae. CCLX.

CONTROVERSIA IV.

AN BONA OPERA SINT NECESSARIA AD SALUTEM CONSEQUENDAM? CCLXIX.

Conclusio I. Opera bona sunt necessaria ad obtinendam salutem. CCLXXII.

Conclusio II. Opera bona ad salutem consequendam necessaria sunt, non tantum ratione praesentiae, sed etiam efficientiae. CCLXXIV.

CONTROVERSIA V.

DE ORATIONE. CCLXXIX.

Conclusio I. Per solam Orationem salus aeterna obtineri nequit. CCXXXIII.

Conclusio II. Oratio ad salutem est necessaria. CCLXXXV.

Conclusio III. Deus orantibus multa largitur, quae absque oratione non concederet. CCLXXXIX.

Conclusio IV. Licitum et honestum est orare non pro omnibus in genere tantum, sed etiam in specie pro aliquo determinato. CCXCI.

Conclusio V. Oratio, etiam privata, recte peragitur in Templis, utpote loco aptissimo ad orandum, et decentissimo. CCXCIII.

Conclusio VI. Quaedam determinate a Deo peti debent, ut vita aeterna, eaque quae ad illam conducunt. CCXCVII.

CONTROVERSIA VI.

DE HORIS CANONICIS. CCCI.

Conclusio I. Horarum Canonicarum usus, ab Ecclesia Ministris publicis praescriptus, saluberrimus est, antiquissimus, Deoque gratissimus. CCCV.

Conclusio II. Consuetudo canendi in Templis Horas Canonicas antiquissima est, justissimisque de causis ab Ecclesia introducta. CCCIX.

CONTROVERSIA VII.

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO, ET DELECTU CIBORUM. CCCXVII.

Conclusio I. Abstinentia a carnibus, tamquam natura sua immundis, ac pro omni tempore a Deo prohibitis, impia ac superstitiosa est. CCCXXV.

Conclusio II. Jejunium ipsum et abstinentia a carnibus quamvis de se licitis, si ordinetur ad finem supernaturalem, est opus bonum, utile, ac Deo placens. CCCXXVII.

Conclusio III. Ecclesia praecipiens fidelibus jejunium, obligat illos in conscientia, ac sub gravi peccato ad

jejunandum: neque jejunium praecipiendo excedit limites suae potestatis. CCCXXX.

Conclusio IV. Praeceptum jejunii non peccatores tantum, sed etiam justos comprehendit. CCCXXXVI.

Conclusio V. Ecclesia recte atque utiliter praecepit Filibus jejunium, et abstinentiam a carnibus. CCCXXXVII.

Conclusio VI. Jejunium recte, ad eum etiam finem refertur, ut per illud, tamquam per bonum opus mercedem a Deo promereamur, et Deo satisfaciamus pro peccatis. CCCXXXIX.

ARTICULUS IV.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO, ET STATU NATURAE PURAE.

CONTROVERSIA I.

QUAENAM LIBERTAS NECESSARIA SIT AD LIBERUM HOMINIS ARBITRIUM? CCCXLVIII.

Conclusio. Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione; sed requiritur libertas a quacumque necessitate antecedente, et inimpedibili. CCCLVIII.

CONTROVERSIA II.

AN AD MERENDUM VEL DEMERENDUM IN STATU NATURAE LAPSAE REQUIRATUR LIBERTAS INDIFFERENTIAE? CCCLXXV.

Conclusio. Ad merendum vel demerendum etiam in statu naturae lapsae requiritur liberum arbitrium, seu libertas indifferentiae. CCCLXXVI.

CONTROVERSIA III.

AN DELECTATIO RELATIVE SUPERIOR IN SISTEMATE JANSENII TOLLAT LIBERTATEM, QUAE IN STATU NATURAE LAPSAE REQUIRITUR AD MERITUM, VEL DEMERITUM? CCCXCI.

Conclusio. Necessitas licet voluntaria et mutabilis, quae juxta Jansenium oritur ex delectatione superiore, relativa et indeliberata, tollit libertatem, quae in statu naturae lapsae requiritur ad merendum. CCCXCIX.

CONTROVERSIA IV.

AN ETIAM IN STATU NATURAE LAPSAE DETUR LIBERTAS INDIFFERENTIAE? CCCCXVII.

Conclusio. Etiam in statu naturae lapsae habet homo liberum arbitrium, seu libertatem a quacumque antecedente et inimpedibili necessitate, tam quoad actiones civiles, quam morales, pias et salutares. CCXX.

CONTROVERSIA V.

AN S. AUGUSTINUS HOMINEM OB PECCATUM AD AMI LIBERO ARBITRIO SPOLIATUM FUISSE DOCUERIT? CDXLI.

Conclusio. S. Augustinus constanter docuit, homini etiam in praesenti statu naturae lapsae inesse libertatem ab omni necessitate simplici et antecedente. CDXLVII.

CONTROVERSIA VI.

AN HOMO POTUERIT A DEO CREARI, QUIN PER GRATIAM SANCTIFICANTEM ELEVARETUR AD FINEM SUPERNATURALEM? CDLXV.

Conclusio. Homo potuit a Deo creari, quin per gratiam sanctificantem elevaretur ad finem supernaturalem. CDLXXIV.

CONTROVERSIA VII.

AN DEUS POTUERIT HOMINEM INNOCENTEM CONDERE, MORBIS, MORTI, ALIISQUE VITÆ MISERIIS OBNOXIUM? CDXCIII.

Conclusio. Deus potuisset hominem innocentem condere, morti, morbis, ac doloribus obnoxium. CDXCIV.

CONTROVERSIA VIII.

AN DEUS POTUERIT HOMINEM INNOCENTEM CONDERE CUM ALIQUA SALTEM REBELLIONE CONCUPISCENTIAE? DVI.

Conclusio. Potuit Deus hominem innocentem condere cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae. DX.

THEOLOGIAE DOGMATICO-POLEMICAE

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS, BONIS OPERIBUS, ET LIBERO ARBITRIO.

ARTICULUS I.

DE PECCATO ORIGINALI, EJUSQUE POENIS.

CONTROVERSIA I.

AN EXISTAT PECCATUM ORIGINALE, AB ADAMO PER GENERATIONEM IN EJUS POSTEROS TRANSFUSUM?

Contra Pelagianos, Anabaptistas, Zwinglium, Socinianos.

I.

Peccatum in genere, est libera Divinae Legis transgressio, aut ut illud *S. Augustinus* describit Lib. XXII. contra Faustum, Cap. XXVII. factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra aeternam legem. Aliud est originale, personale aliud. Nomine peccati *Originalis* intelligitur labes quaedam, quae hominem naturali via generationis ab Adamo descendentem ipso

suae originis momento ita inquinat, ut tamquam veri nominis peccatum eumdem hominem Deo exosum reddat, et variis hujus vitae calamitatibus obnoxium: tum etiam a coelesti beatitudine, nisi Baptismo eluatur, excludat. *Personale* peccatum in quo ab originali discrepet, optime explicat S. Anselmus Lib. de Conceptu Virginali, et Originali peccato, Cap. I. *Est peccatum, quod quisque trahit cum natura in ipsa sua origine, et est peccatum, quod non trahit cum ipsa natura, sed ipse facit illud, postquam est persona discreta ab aliis personis. Illud quod trahitur in ipsa origine, vocatur originale: quod potest etiam dici naturale; non quod sit ex essentia naturae, sed quod propter ejus corruptionem cum illa assumitur. Peccatum autem, quod quisque facit, postquam persona est, hoc est sui juris et arbitrii, personale potest nominari, quia vitio personae fit.* Porro peccatum personale *actuale* dicitur, quando actu committitur; *habituale* vero, quod quidem commissum est, actu autem neque existit amplius, neque a Deo remissum est, sed moraliter permanet. Dividitur etiam in mortale, ac veniale. *Veniale* dicitur, quod non dissolvit amicitiam Dei cum homine, quodque incompossibile non est cum charitate, sed solum fervorem ejus minuit: neque excludit a coelesti beatitudine, sed solum retardat illius assecutionem. *Mortale* est illud, quod hominem Deo reddit odibilem, dignumque aeterna poena, mortem afferens animae spiritualem, privando illam gratia sanctificante, in qua spiritualis animae vita consistit.

II. Originale peccatum aperta fronte primus inficiari ausus est *Pelagius* e Scotia oriundus, professione Monachus. *Marius Mercator* in Commonitorio affir-

mat, hausisse ipsum erroris principia a Ruffino quodam Syro Presbytero, Theodori Mopsuesteni discipulo, quem *Henricus Card. Norisius* Lib. I. Hist. Pelagianae, Cap. II. et *Natalis Alexander* in Historia Ecclesiastica Saeculi IV., Cap. VI. Artic. XXXIII. Aquilejensem illum putant fuisse, celebrem Hieronymi obtrectatorem, a longa in Oriente XXV. annorum commoratione Syrum dictum. Pelagius itaque ab originariae noxiae impugnatione errorum suorum initium duxit, docuitque I. peccatum Evae et Adami ipsis tantummodo nocuisse, non posteris; credebatque absurdum hoc satis cohonestari, si diceret, nocuisse etiam posteris, sed exemplo tantum: ream etiam effecisse eorum propaginem, sed imitatione; atque hinc dictum fuisse, peccasse in Adam omnes, tametsi re ipsa delictum propagatum non fuerit, nisi in ipsa transgressione, ad primorum parentum imitatores. II. Mortem omnium hominum, qui ex Adamo trahunt originem, naturalem esse hominis conditionem, et ipsum Adamum, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum. III. Homines nunc nasci, qualis conditus fuit Adamus, hoc est, ut ipse Pelagius contendebat, sine virtute, et sine vitio. IV. Necessarium esse parvulis baptismum, non quidem ut peccatum eis originale remitteretur, cujus existentiam ille negabat; sed quia per illum parvuli initiantur Deo, qui parvulos quos condendo fecerat bonos, innovando, cum baptizantur facit esse meliores. V. Parvulos sine baptismo decedentes, extra regnum Dei fruituros vita quadam beata atque aeterna, originalis innocentiae merito. Quid vero Pelagius beatae atque aeternae vitae nomine intellexerit, an supernaturalem felicitatem, quae in clara atque intuitiva Dei visione consistit; an vero

mere naturalem, omnis doloris ac tristitiae expertem, liquidum atque exploratum non est. Atque haec fuere praecipua Pelagiani erroris capita circa noxam originariam. Postea Pelagiani, Catholicorum argumentis oppressi, admisere tandem, ut testatur *S. Augustinus* Lib. IV. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. II. et IV., Adamum non fuisse moriturum, si non peccasset, et post peccatum mortalem effectum, genuisse mortales filios. Unde confiteri coeperunt, mortem corporis trahi ex Adamo per generationem, non vero mortem animae, sive peccatum. Pelagianam insaniam, ab Augustino, atque a Catholica Ecclesia Apostolico mucrone confossam, ab inferis excitarunt posteriorum temporum Novatores, Albigenses, Ulricus Zwinglius, Sociniani, atque hos inter Joannes Phereponus, seu Clericus, quem renovati Pelagianismi merito reum agit *Lamindus Pritanius*, seu *Ludovicus Anton. Muratorius* in Libro de Ingeniorum moderatione.

III. *Conclusio.* Datur peccatum Originale, ab Adamo per generationem in ejus posteros transfusum. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Job. Cap. XIV. dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Quem locum sic vertunt LXX. Interpretes: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Ubi manifeste S. Job loquitur non de sordibus corporum infantilium, quas emundare possunt homines, sed de sordibus peccati; non personalis, cujus capaces non sunt infantes, sed originalis, quas solus Deus mundare potest. II. David Psalmo L. ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quo loco Sanctus Rex non loquitur de peccato parentum, quod illi admise-

rint, cum generationi operam darent: ex sancto enim conjugio, non ex adulterio, aut fornicatione fuerat progenitus; legitimi autem matrimonii usum peccatum non esse, certum est ex fide. III. Ad Rom. Cap. III. v. 23. ait Apostolus: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Ad Rom. Cap. V. v. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* II. Ad Cor. Cap. V. v. 14. *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Ad Ephes. Cap. II. v. 3. *Eramus natura filii irae*, id est naturaliter, vel originaliter. Ex his locis, ac praecipue ex illo ad Rom. Cap. V. v. 12. hoc argumentum instruo. Apostolus l. c ait omnes homines morti obnoxios esse, eoquod omnes peccaverint. Ergo asserit dari peccatum originale, quo omnes homines infecti sunt. P. C. Infantes ex hac vita saepissime decedunt. Ergo necesse est eos aliquo peccato maculari, cujus causa mortem subeant. Atqui peccatum hoc esse nequit personale, cujus per aetatem capaces non sunt. Ergo est originale. *Confirm.* Apostolus mortem vocat *stipendium peccati*: vultque per id significare, ideo omnes homines mori, quia omnes peccarunt. Ergo si originale peccatum ab infantibus excludatur, aut ipsi morituri non essent, aut certe argumentum Apostoli infirmum foret, atque elumbe. Neque dicas, sermonem ibi esse dumtaxat de morte corporis: Siquidem Apostolus l. c. perpetuam antithesin instituit inter mortem, quae est per inobedientiam Adami, et inter vitam, quae est per obedientiam Christi. Ergo sicut ea vita, quae est per Christum, prima-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rio ac directe refertur ad vitam animae: ita illa mors, quae est per Adamum, primario ac directe referenda est ad mortem animae.

IV. Prob. II. Authoritate Patrum, qui ante exortam Pelagianam haeresin floruerunt. *S. Justinus* Martyr in Dialogo cum Tryphone scribit, Christum in Jordane baptizatum fuisse, *generis hominum causa, quod Adami opera, praeter privatam ac propriam uniuscujusque culpam, deliquerat, et in mortem, serpentisque fraudem incidisset.* S. Irenaeus Lib. V. adv. Haer. Cap. XVII. *Delevit chirographum, debita nostra, affigens illud Cruci, uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem.* Tertullianus Lib. de Anima, Cap. XL. *Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur: Peccatrix autem, quia immunda.* S. Cyprianus Epist. LIX. ad Fidum: *Infans recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagionem mortis antiquae prima nativitate contraxit.* S. Hilarius in Explicatione Psal. CXVIII. de S. David scribit: *Scite se sub peccati origine, et sub peccati lege esse natum.* S. Ambrosius in Apologia David, sive in Psalm. L. Cap. XI. *Antequam nascamur, maculamur contagio: et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.* S. Gregorius Nazianz. Orat. III. de pace: *Totus lapsus sum, atque ex primigeni hominis inobedientia, et diaboli fraude condemnatus sum.* Similia habent S. Athanasius Serm. in illud, *Omnia mihi tradita sunt.* S. Basilius Hom. I. de Jejunio, et in Expositione Psal. XXXII. *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. II. *S. Siricius* Epist. I. ad

Himerium, Cap. II. *S. Hieronymus* Comment. in Cap. VI. Oseae. *S. Chrysostomus* Homil. ad Neophitos etc. Jure itaque optimo scripsit *Augustinus* Pelagianorum malleus, Lib. III. de peccat. meritis et remiss. Cap. VI. *Non aliud* (de peccato originali) *ex quo Christi Ecclesia constituta est, divinarum Scripturarum tractatores scripserunt: non aliud a Majoribus accepe-runt, non aliud posteris tradiderunt.* Vide Card. Bellarminum Lib. IV. de Amissione gratiae, et statu peccati, Cap. V. et *Natalem Alexandrum* Dissert. XXI. in Hist. Ecclesiast. Saeculi V.

V. Prob. III. Authoritate Conciliorum, et Pontificum. Pelagianam blasphemiam damnarunt *S. Innocentius I.* in Epist. ad Patres Synodi Chartaginensis et Milevitanae. *S. Zosimus* in Epistola tractoria ad Episcopos totius orbis, cujus fragmentum exstat apud *S. Augustinum* Epist. CXC. ad Optatum, Cap. VI. Num. XXIII. et apud S, Prosperum Lib. contra Collatorem, Cap. V. Num. XV. *S. Coelestinus* in Epist. ad Episcopos Galliarum. *S. Leo M.* Epist. LXXXVI. ad Nicetam Aquilejensem. *S. Gregorius M.* Lib. VII. Epist. LIII. ad Secundinum. Idem error damnatus est a Palaestina Synodo Episcoporum XIV. *Diospoli*, in qua errores suos voce tenus execratus est Pelagius, a *Chartaginensi* Episcoporum LXVIII. A. 416. Praeside Aurelio Chartaginensi Episcopo, a *Milevitana* LXI. Episcoporum, a *CPolitana* sub Attico, ab *Antiochena* sub Theodoto ejusdem Urbis Episcopo, a *Carthaginensi* plenaria sub Aurelio CCXVII. Episcoporum A. 418. ab *Ephesina* Oecumenica A. 431., a *Toletana* VI. Can. I. *Arausicana* II. Canone II. quem iisdem fere verbis innovavit Tridentina Synodus Sess. V. Can. II. *Si quis Adae*

praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Vide Joannis Garnerii Dissertationem II. de Synodis habitis in causa Pelagianorum, vivente S. Augustino.

VI. Prob. IV. Ratione Theologica, eaque multiplici. I. petitur ex morte Christi pro omnibus obita. Christus Redemptor est et Salvator omnium hominum, etiam parvulorum. I. ad Timoth. Cap. II. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ad Rom. Cap. VIII. *Pro nobis omnibus tradidit illum.* I. ad Timoth. Cap. IV. *Quis est Salvator omnium hominum.* I. Joan. Cap. II. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ergo omnes, etiam parvuli, erant mortui. Ergo omnes peccato erant infecti, cui soli adscribi potest mors animae. Atqui parvuli non sunt maculati peccato personali. Ergo Originali. Hinc recte ait S. Augustinus Lib I. de peccat. meritis et remiss. Cap. XXIII. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantium salvatorem, nec redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis aegritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato?*

VII. II. petitur ex natura Baptismi. Baptismus ex institutione Christi abluit, abstergit, mundat, remittit peccata, ut patet ex communi baptismi formula tum parvulis tum adultis adhibita, quae aetate Pelagii erat hujusmodi: *Ego te baptizo in remissionem peccatorum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Ergo parvuli dum baptizantur, liberantur a peccatis. Atqui non liberantur ab actualibus, quae cadere nequeunt in parvulos rationis usu carentes. Ergo ab originali; alias mentiretur Ecclesia parvulos in remissionem peccatorum baptizando. Pelagiani ut ab his difficultatum laqueis sese expedirent, ajebant, in remissionem peccatorum baptizandos esse infantes, non quod expiandi sint in baptismo peccato originis, quod nullum esset; sed, ne immutando cum parvulis baptismi formulam, et reticendo cum illis peccatorum remissionem, quae cum adultis exprimitur, diversa baptismatis genera, unum pro parvulis, alterum pro adultis, non servata eadem cum utrisque baptismi formula, statui viderentur. Contra Pelagiana haec subterfugia exstat Canon II. Concilii Africae plenarii Chartagine habiti A. 418. qui est hujusmodi: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.*

VIII. III. desumitur ex necessitate Baptismi. Omnes, parvuli aeque ac adulti, indigent baptismo, ut ad Regnum Coelorum, et vitam beatam perveniant, juxta illud Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex*

aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Ergo parvuli ante baptismum obnoxii sunt peccato, quod ipsos ab aeterna vita excludit. Atqui obnoxii non sunt peccato personali. Ergo Originali. P. C. Nemo in hac providentia ab aeterna vita ac regno Dei excluditur, atque aeternae damnationi addicitur, nisi ob solum peccatum, cujus stipendium juxta Apostolum est mors corporis et animae. Ergo cum parvuli absque baptismo decedentes excludantur a regno Dei, eos peccato infectos esse oportet. Reponebant Pelagiani, parvulos baptizari, non ut peccatum aliquod ipsis remitteretur, aut ut aeternam vitam consequerentur, ipsis etiam absque baptismo aliunde debitam; sed ut regnum ingrederentur coelorum, solis baptizatis promissum. Verum si Pelagiani per vitam aeternam, parvulis aliunde debitam, felicitatem supernaturalem, claramque Dei visionem extra coelum intelligebant, oppido fallebantur. Ut enim S. Augustinus scribit Serm. CCXCIV. alias XIV. de verbis Apostoli, Cap. III. *Hic error aversandus ab auribus, exstirpandus a mentibus. Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam aeternam praeter regnum coelorum, esse salutem aeternam praeter regnum Dei.* Quod si vero de naturali quadam beatitudine loquebantur, aeterna mors magis quam vita compellari debuisset; eo quod naturalis illa beatitudo intuitivam Dei visionem, atque amorem supernaturalem excluderet, in quibus vita beatae animae consistit.

IX. IV. petitur ex caeremoniis Baptismi. Universa Ecclesia Dei, jam inde ab antiquissimis ac primis temporibus, exorcismum et exsufflationem adhibuit in baptismo parvulorum aeque ac adultorum, quibus immundus Spiritus a baptizandis abigitur, ut docent

S. Coelestinus in Epist. I. ad Episcopos Galliarum Cap. XII. *S. Augustinus* Lib. VI. contra Julianum, Cap. II. et Lib. II. de peccato Originali Cap. XC. Ergo Ecclesia sensit, parvulos ante baptismum peccato inquinatos esse, ideoque daemonis potestati subdi; non enim servi daemonum efficimur, nisi per peccatum. Hinc *S. Augustinus* Lib. II. Operis imperfecti, Num. CLXXXI. scribit: *Propter hoc et infantes cum baptizantur, eruuntur de potestate tenebrarum: alioquin cum magna injuria Dei, sicut jam diximus, et saepe dicendum est, exorcizatur et exsufflatur imago Dei, si non ibi ille exorcizatur, et exsufflatur princeps mundi, qui mittitur foras, ut sit illic habitatio Spiritus Sancti.* Ergo juxta perpetuum et constantem Ecclesiae universae sensum parvuli nascuntur originali peccato infecti.

X. *Quaeres I.* An originale peccatum veram ac propriam peccati rationem habeat? R. Quamvis originale peccatum nobis non sit voluntarium voluntate physica et personali, sed tantum morali, propriam tamen et veram habet rationem peccati; non personalis, sed in genere spectati. Hinc Tridentinum Sess. V. Cap. V. ait: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate conjertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* Quo loco Concilium etsi non directe definiat, peccatum Originale veram et propriam habere rationem peccati, id tamen tamquam certum et indubitatum supponit.

XI. *Quaeres II.* An originale peccatum unicuique ex posteris Adae sit proprium? R. affirmative. Tri-

dentinum enim Sess. V. Can. III. asserit, originale peccatum *inesse unicuique proprium*. Et Sess. VI. Cap. III. docet, homines, *dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahere*. Et sicuti error est asserere nos esse justos, non justitia nobis propria et inhaerente, sed justitia unius Christi: ita etiam error est asserere, infantes esse injustos seu peccatores, non peccato unicuique proprio et inhaerente, sed peccato unius Adae; eo quod *peccare* simpliciter denotet actuale peccatum, quod nullum fuit in parvulis, sed solum in Adamo. Hinc male propterea apud Catholicos vapulant Albertus Pighius, et Ambrosius Catharinus, qui opinabantur, peccatum originis esse illud unum unius Adae peccatum, quod ille libera voluntate commisit, cujus reatu constringantur ejus posteri, indeque peccatores denominentur.

XII. *Quaeres III.* An peccatum Originale per naturalem generationem in singulos posteros derivetur, etiam filios fidelium? R. contra Zwinglium, Calvinum, Bucerum, Vermilium, Bullingerum etc. affirmative, excepta tamen B. Virgine Maria, quae per speciale privilegium, ut Controversia IV. ostendemus, ab originali noxa praeservata est, quamvis per naturalem generationem originem duxerit ab Adamo. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. David filius hominis fidelis et justi Psal. L. ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Paulus de genere Israel ex Tribu Beniamin, scribit ad Ephes. Cap. II. *Et eramus natura filii irae, sicut et caeteri.* II. Authoritate Patrum, *S. Cypriani* Epist. LIX. ad Fidum, *S. Ambrosii* in Apologia David, *S. Hieronymi* in Epist. ad Laetam, *S. Augusti-*

ni Lib. II. de peccato originali, Cap. XL. Lib. I. de Nuptiis et concupisc. Cap. XVIII. XIX. XX. Lib. VI. contra Julianum, Cap. II. et III. III. Authoritate Concilii *Milevitani* Can. II. *S Siricii* Epist. I. ad Himerium, atque ipsius Ecclesiae Catholicae, quae semper maximopere cavit, ne fidelium filii absque Baptismo decederent. Aliud dicendum est de Christo, qui, quamvis verus homo fuerit, originis tamen noxam contrahere non potuit in sui conceptione: quippe qui non ex maritali congressu, sed ex sola Virgine matre, virtute Spiritus Sancti, conceptus est.

XIII. *Quaeres IV.* An alia peccata Adami, praeter illud inobedientiae, aut etiam parentum in filios et nepotes ipsorum deriventur? R. negative. Ratio est, quia nulli ex parentibus, sed soli Adae in terrestri paradiso commissa fuit a Deo justitia et sanctitas in posteros transfundenda. Et quamvis S. Augustinus in Enchiridio, Cap. XLVI. scribat: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur*: Idemque asseruerint *S. Leo M.* Epist. LXXXVI. ad Nicetum, et *S. Gregorius M.* Lib. XV. Moralium, Cap. XXII.; intelligendum id tamen est non de contagione culpae, sed de communicatione poenae, cum citent verba illa Exodi XX. *Qui reddis peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Et Apostolus saepe diserte testetur, unum, Adae nimirum, fuisse delictum, quod omnes homines perdidit: *Unius delicto multi mortui sunt. Unius delicto mors regnabit. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Idem summa consensione SS. PP. testantur. *S. Irenaeus* Lib. V. adv. Haer.

Cap. XVII. *S. Cyprianus* Epist. LIX. ad Fidum *S. Chrysost.* Hom. XL. in I. ad Cor. *S. Hieronymus* Lib. III. adversus Pelagianos etc.

XIV. *Quaeres V.* Quandonam peccatum originale in prolem transfundatur? R. Originale peccatum actu et formaliter in prolem transfundi eo temporis momento, quo anima rationalis corpori unitur. Sola enim creatura rationalis capax est peccati, seu personalis, seu originalis; sicuti sola illa capax est gratiae sanctificantis, in cujus privatione consistit peccatum originale, ut suo loco dicetur. Caeterum etsi originale peccatum proprio jure ad animam pertineat, non ad corpus, nihilo tamen minus totus homo dicitur peccator: quemadmodum licet caecitas non sit nisi in solo oculo, et surditas nisi in aure, homo tamen dicitur caecus, vel surdus.

OBJECTIONES.

XV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum, Ezechielis Cap. XVIII. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ergo non datur peccatum originale. II. II. ad Cor. Cap. V. ait Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo cum nullus puniatur, nisi ob delicta personalia, commentitia est noxa originalis. III. Ad Rom. Cap. IV. v. 15. dicitur: *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* Atqui parvuli non acceperunt legem. Ergo nulla est in eis praevaricatio, nullum peccatum. R. I. D. A. Si parvuli per novam generationem, id est, per lavacrum baptismi transferantur ab illo pa-

tre ad alium, a primo ad secundum Adam, quod teste *Augustino* Lib. VI. contra Julianum, Cap. XXV. ibi vaticinatur Ezechiel, C. A. Secus, N. A. R. II. C. A. N. C., aut potius suppositum, quod parvuli absque baptismo decedentes alienam portent iniquitatem. Peccatum enim originale, quamvis ab Adamo sit, non est tamen solius Adami peccatum, sed nostrum etiam, unicuique proprium et intrinsecum. Ad II. R. I. Ergo parvuli, post baptismum decedentes, nullum praemium recipient, nec vita aeterna donabuntur, eoquod bonum non gesserint in proprio corpore? R. II. Apostolum vel de solis adultis loqui, vel si etiam de parvulis, eos sine baptismo decedentes aeterna felicitate privandos propter peccatum ipsis proprium, aliena tamen voluntate commissum: sicuti infantes baptizati aeternam gloriam referunt propter meritum fidei, quam per Ecclesiam exercent. Ad III. D. m. non acceperunt legem, quam voluntate physice propria transgressi sunt, C. m. Voluntate physice aliena; nempe Adami, moraliter tamen propria, N. m. Parvuli legem divinam transgressi sunt; non quidem per voluntatem malam physice propriam, sed per voluntatem Adami, quae et ipsorum fuit moraliter.

XVI. *Dices I.* Apostolus ad Rom. Cap. V. v. 19. scribit: *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi etc.* Ergo peccatum Adami intravit in mundum, non propagatione, sed tantum imitatione. P. C. Si ob Adami inobedientiam homines propagatione constituerentur peccatores, Apostolus non dixisset *multi*, sed *omnes*. Ergo. *Confirm.* I. Si peccatum intrasset in mundum per generationem, Paulus non dixisset, *per unum hominem*, sed per duos homines;

cum generatio duos requirat. *Confirm.* II. Verba Apostoli ad Rom. Cap. V. v. 12. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*, mendose reddita sunt, cum in Graeco textu dicatur, *quatenus*, vel *eoquod omnes peccaverunt.* Ergo ruit primarium fundamentum nostrae assertionis. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. In Scripturis saepe omnes dicuntur multi. v. g. Genes. Cap. XVII. *Patrem multarum gentium posui te*; cum tamen Cap. XXII. dicatur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Matth. Cap. XXVI *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Apostolus vero I. ad Timoth. Cap. II. ait: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Praeterea Apostolus in eodem Capite utrumque dixit, et multos, et omnes. v. 12. *Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* v. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem etc.* Et II. ad Cor. Cap. V. *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est Christus.* Caeterum quod peccatum non imitatione, sed propagatione per unum hominem in hunc mundum intraverit, probatur ex proposito Apostoli. Hic enim tota Epistola ad Romanos ostendit, omnes homines, tam Judaeos quam Gentiles, vocatos esse ad Evangelium absque ullis praecedentibus meritis; idque probat ex eo, quia nullus hominum inveniri potest, qui peccatum non habeat ad se ex prima origine derivatum, quique Adamo peccante non peccaverit; nullumque superesse remedium, nisi in fide et baptismo per gratiam Jesu Christi. Ad I. *confirm.* N. A. Praeterquam enim, quod vir et mulier, per matrimonium conjuncti, non duo sint sed una

caro, Apostolus dicit *per unum hominem*, quia primaria causa peccati Originalis non Eva, sed Adamus fuit, cui soli commissa fuit justitia in posteros traducenda. Ad II. *Confirm.* R. I. N. A. S. Chrisostomus, Theophilactus, Oecumenius, graecae linguae peritissimi, deserte explicant *in quo Adamo.* Similiter exposuisse *S. Hilarium* Pictaviensem testatur *S. Augustinus* Lib. IV. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. IV. R. II. N. C. Sive enim, *in quo*, vel *quatenus* legatur, probationis robur non infringitur. Apostolus enim l. c. dicit omnes homines, etiam parvulos, morti esse obnoxios, eoquod omnes peccaverint, cum mors sit stipendium peccati. Ergo cum parvuli saepe in ipsa infantia moriantur, peccato aliquo maculantur; non personali: ergo originali.

XVII. *Dices II.* Ad Rom. Cap. V. v. 15. scribit Apostolus: *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Ergo Apostolus non loquitur de peccato, quod per generationem, sed per imitationem in posteros transfunditur. P. C. Apostolus ait plures fuisse, qui gratiam Christi receperunt, quam qui mortui sunt per Adae peccatum. Ergo juxta Apostolum non datur peccatum per generationem in omnes posteros transfusum. R. C. A. N. C. A. *probat.* N. A. Verba illa, *multo magis in plures*, non significant excessum justorum ultra peccatores, ut manifeste colligitur ex textu Graeco, quo haec Epistola a B. Paulo conscripta est, ubi legitur πολλους, sive *in multos*; sed multitudinem donorum ac bonorum, quae hominibus per gratiam Christi collata sunt. Sensus itaque citati

textus est iste : Non sicut delictum, ita et donum et : Nec sicut Adam uno peccato omnes perdidit, ita et redemptio Christi, quibus fuerit applicata, ab uno solo peccato liberat; sed a multis, quae Adami posteri addiderunt primi parentis peccato : id est, Gratia Christi non ab originali tantum, verum etiam a personalibus noxis eos liberat.

XVIII. *Dices III.* Ad Rom. Cap. V. v. 14. ait Apostolus : *Regnavit mors ab Adam usque Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Ergo sola mors corporis, non autem peccatum ab Adamo trahitur. R. C. A. N. C. Apostolus enim ut probaret etiam ante legem Mosaicam fuisse in mundo peccatum originale, quamvis Homines solo lumine naturae instructi, et fide ac doctrina Legis destituti non existimarent se illi obnoxios esse, ait mortem saeviisse in omnes Adami posteros, quamvis propria voluntate, et cum clara cognitione peccati non peccaverint sicut Adam; quia nimirum illo etiam tempore viguit in mundo peccatum originale, cui omnes obnoxios fuisse certo constat, et colligitur ex effectu et poena ejusdem peccati, nempe ex morte. Ex quo patet, textu citato comprobari ab Apostolo, non subrui originariam noxam.

XIX. *Dices IV.* I. ad Cor. Cap. VII. v. 14. scribit Apostolus : *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.* Ergo saltem fidelium filii originale peccatum non contrahunt. R. C. A. N. C. Apostolus non loquitur ibi de vera intrinseca, et supernaturali sanctitate sed solum de improprie dicta, extrinseca, et Civili, quali sanctitate ad Rom. Cap.

Digitized by Google

v. 16. dixit totam massam populi Israelitici esse Sanctam. Ait itaque Apostolus, virum infidelem per mulierem fidelem sanctificari, morali quadam denominatione, et quasi aspergine extrinsecae sanctitatis, partim quia maritus est fidelis conjugis, et una caro cum illa: partim quia non impediendo illam in sua fide et religione, sed benevole cum ipsa vivendo, quasi viam sternit sibi ad veram sanctitatem, ut scilicet per preces, merita, monita, et exempla fidelis conjugis paulatim etiam ipse convertatur, et Sanctus fiat. Atque idcirco filios ex hoc matrimonio susceptos Sanctos vocat, id est, mundos et legitimos, qui matris industria facile possunt baptizari, in fide instrui, atque ita vere sanctificari.

XX. *Objicitur II.* Authoritas S. Chrisostomi. S. Doctor Hom. CVII. in I. ad Cor. scribit: *Quid igitur faciam, inquis, propter illum* (Adamum) *pereo? Minime enim propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.* Et Hom. XXIV. in Epistolam ad Ephesios: *Corruptibile nobis corpus, sed incorruptibilis anima. Ne igitur et ipsam corrumpamus. Hoc primum primi hominis peccatum fecit; quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere potest.* Ergo S. Chrysostomus docuit ex peccato Adami trahi quidem mortem corporis, non autem animae. R. I. cum S. Augustino Lib. I. contra Julianum, Cap. VI. *Itane ista verba Sancti Joannis Episcopi audes tamquam e contrario tot taliumque sententiis Collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, et eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut*

CPolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque a paterno chirographo liberatione per Christum, tot ac tantis coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio -- Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit hoc docuit et Joannes. Vera dixisse Augustinum liquet ex Hom. X. in Epist. ad Rom. in qua S. Chrisostomus scribit : *Liquet, quod non ipsum peccatum, quod a legis transgressione ortum est; sed illud, quod ab Adam inobedientia ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. Et quaenam rei hujus probatio fuerit? Nempe quod homines ante legem interirent.* Hom. IV. in I. ad Corinth. *Deus in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit.* Et in Epistola ed Olympiam. *Quando Adam peccavit, illud grave peccatum omne genus hominum in commune damnavit.* R. H. S. Chrysostomum utroque loco sermonem habere de jam baptizatis, qui, eum jam in baptismo abluti fuerint a sordibus originariae noxae, damnationis causam frustra in Adamum rejiciunt; non alterius, nisi propriae voluntatis vitio damnandi, nec animam morte peccati corrupturi, si baptismalem gratiam diligenter conservent.

XXI. Neque majus Catholicis negotium facessunt alii textus S. Chrysostomi, quibus Pelagiani evincere conabantur, rejectum fuisse ab illo originale peccatum. Sic Hom. XXXIX. in I. ad Cor. loquitur S. Chrisostomus de morte peccati non qualicumque, sed irreparabili, aitque peccatum Adami et posterorum ejus non esse irreparabile, sicut peccatum Angelorum : mortem quidem, quae a peccato Adami ortum suum habuit, ineluctabilem esse, ac vitari non posse; at non ita pec-

catum, cum Noe, Abraham, et Job in scripturis justi praedicentur. In Homilia ad Neophitos negat infantes inquinatos esse peccato, nimirum personali, seu actuali; refellit enim ibi S. Doctor exemplo parvulorum baptizatorum eos, qui dicebant in Baptismo condonari solum peccata personalia per condonationem extrinsecam, sine infusione gratiae sanctificantis. Denique Hom. X. in Epist. ad Rom. significare vult S. Chrysostomus, per unius personalem inobedientiam non posse alios constitui actu et personaliter peccatores; minime autem negat, sed potius diserte asserit, posse alios constitui per alienam inobedientiam habitualiter peccatores, id est, dignos odio Dei, et poenae aeternae obnoxios, ut patet consideranti locum illum superiori numero laudatum.

XXII. *Objicitur III.* Authoritas aliorum Patrum. Clemens Alexandrinus Lib. III. Stromatum ait: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quando sub Adae cecidit execrationem, qui nihil operatus est?* II. Tertullianus Lib. de Baptismo, Cap. XVIII. *Veniant ergo* (parvuli ad baptismum) *dum adolescant; veniant dum discant, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* *III. Origenes* Lib. V. Commentar. in Epistolam ad Rom. scribit, mundum, in quem Apostolus ait peccatum intrasse, esse terrenos et carnales homines, ac mortem peccati per imitationem, non per propagationem in omnes homines grassatam esse. IV. S. Gregorius Nyssenus in Oratione de infantibus praematura morte abreptis exclamat: *O altitudo! puellulus infans, simplex, omnis malitiae expers, sanctitate, quae per purgatio-*

nem contingit, non indigens. V. *Theodoretus*, praeterquam quod in Libris haereticarum fabularum non meminerit eorum, qui originale peccatum negarunt, Commentario in Cap. V. Epistolae ad Rom. scribit: *Non enim propter primi hominis peccatum; sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit.* Ergo. Ad I. respondet *Bellarminus* Lib. IV. de Amissione gratiae, Cap. IX. citatis verbis probabilius contineri objectionem Julii Cassiani haeretici, qui generationem malam esse docebat, atque ideirco nuptias damnabat. Contra *Natalis Alexander* Dissertat. VIII. Eccles. Saeculi II. censet, Clementem Alexandrinum quaestionem de peccato originali ibi non attingere, sed agere dumtaxat contra haereticos, qui liberorum procreationem esse execrationem effutiebant. Negat autem Clemens infantes cadere sub Adami execrationem ob id quod generatio mala sit et peccatum, non autem ob id quod peccatum originale non contrahatur ab illis. Unde fatetur quidem conceptum infantem in peccatis; sed negat ipsum in peccato esse, id est, conceptum esse per actionem, quae peccatum sit, aut, ut Basilidiani asserebant, qui animas ante corpora creatas fuisse docebant, in illa anteriori vita actuali peccato maculatum esse, quod in suum deinde corpus intulerit. Caeterum quod Clemens Alexandrinus originale peccatum admiserit, patet tum ex silentio Pelagianorum, qui eum numquam adduxere testem et patronum sui erroris; tum ex testimonio S. Athanasii, qui dogma istud in Ecclesia Alexandrina receptum fuisse testatur; et ipsius Clementis verbis, qui Lib. I. Paedagogi, Cap. VI. de Baptismo scribit: *Tincti illuminamur; illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur. Multis autem modis vocatur hoc opus, Gratia,*

illuminatio, perfectio, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur. Ad II. R. a Tertulliano parvulos vocari *innocentes*, eoquod peccato careant personali, quamvis originali sint inquinati. Putabat autem Tertullianus baptismum parvulorum, citra mortis periculum, ad adultiorem aetatem differendum esse, ut tunc majori cum fructu reciperetur: quem errorem jam Saeculo III. in Africano Concilio, ut ipse *S. Cyprianus* Epist. LIX. ad Fidum testatur, Ecclesia damnavit, Saeculo autem XVI. ab inferis iterum excitarunt Anabaptistae. Ad III. R. I. Origenem non litteraliter, sed allegorice, quod ipsi familiare est, Apostolum ibi interpretari. R. II. Origenis a V. Synodo damnati authoritatem, hac praecipue in re, exigui esse momenti; cum teste S. Hieronymo Pelagii doctrina Origenis ramusculus fuerit. Non desunt quidem viri eruditi, qui Origenem hac in re Catholice sensisse autumant; ea tamen sunt Origenis principia, quae Originalis noxae existentiam haud modice labefactare videntur. Nam ad hujus vitae miserias, citra divinae justitiae, fidelitatis ac bonitatis reprehensionem admittendas, non ad originis demerita cum Catholica Ecclesia recurrit; sed in alia superiori vita homines peccasse fingit, quorum postea criminum animae in corpora, tamquam ergastula, recens detrusae merito poenas darent. Vide *Card. Norisium* Hist. Pelag. Lib. I. Cap. I. Ad. IV. R. S. Gregorium Nyssenum loqui de infantibus jam baptizatis, qui ab originaria noxa mundati peccatorum personalium capaces non sunt. Ad V. R. Quacumque demum de causa Theodoretus haeresis Pelagianae non meminerit, Catholicam tamen de peccato originis sententiam in suis li-

bris propugnavit. In Epitome enim divinorum Decretorum, Cap. XII. haec scribit: *Superat benignitatis munificentia justitiam. Justitiae namque decretum cum unus peccasset, universum genus morti tradidit: divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto, et peccati laqaeis essent irretiti, per unius justitiam dedit omnibus salutem.* Neque obstat textus in objectione allatus, si quidem is ex asse Catholicus est. Homines enim non propter primi parentis peccatum extrinsecus dumtaxat imputatum; sed propter suum, id est, propter peccatum ab Adamo traductum, quod carnali propagatione unius cujusque proprium evadit, mortis decreto subjacere asserit Theodoretus. Cum itaque l. c. et peccatum, et mortis debitum ab Adamo ad totum genus humanum pervasisse asserat, et in omnes homines mortem pertransiisse, quatenus omnes peccaverunt, peccatum originale agnovit, admisitque. Quae hic ex facto Zosimi Romani Pontificis in causa Coelestii objici possent, solvimus Tractatu III. de Ecclesia, Articulo III. Controversia VII. Num. CDLI.

XXIII. *Objicitur IV.* Ratio. Omne peccatum debet esse voluntarium. Atqui originaria noxa homini recens generato non est voluntaria. Ergo originaria noxa non est verum peccatum. P. m. Parvuli recens nati carent rationis usu. Ergo peccatum illis non est voluntarium. *Confirm.* Omne peccatum est factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei. Atqui infantes recens nati nec facere, nec dicere, nec concupiscere aliquid possunt contra legem Dei. Ergo. R. D. M. Omne peccatum personale, seu actuale debet esse voluntarium, C. M. Originale, subdist. Debet esse voluntarium voluntate physice propria, N. M. Moraliter tantum propria, et phy-

sice aliena, C. M. et D. m. Originaria noxa non est recens generato voluntaria, voluntate physice propria, C. m. Moraliter propria, N. m. *Ad probat.* C. A. D. C. ut prius. Voluntarium ad rationem actionis malae necessario requiritur, non autem ad rationem reatus, seu maculae. Qui enim actionem malam voluntate libera posuit, reatum et maculam, noleas etiam, peccando contrahit. Jam vero in infantibus recens natis non datur actio mala, quia peccato personali seu actuali carent; sed solus reatus sive macula, eos Deo exosos reddens, et a consecutione beatitudinis impediens tamquam filios adulterinos ob inobedientiam primi parentis, quae secundum moralem aestimationem fuit etiam inobedientia posterorum. Ergo non requiritur, ut peccatum originale sit voluntarium nobis voluntate physice propria. *Ad confirm.* C. M. D. m. ut prius. Infantes recens nati non possunt dicere, facere, aut concupiscere aliquid contra legem Dei, voluntate physice propria, C. m. Moraliter propria, et physice aliena, N. m.

XXIV. *Dices I.* Parvuli non potuerunt vere ac proprie peccare in Adamo. Ergo. P. A. Quando Adamus divinum violavit praeceptum, posteri illius nondum existebant. Ergo peccare non potuerunt Adamo peccante. *Confirm.* Nullum traxere peccatum ab Eva omnium matre. Ergo neque ab Adamo omnium patre. R. N. A. Apostolus ad Rom. Cap. V. scribit: *In quo omnes peccaverunt*, quia nimirum continebantur in Adamo tamquam in capite morali, et persona illos repraesentante, vi decreti divini quoad violationem vel observationem solius praecepti de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali. Ad *probat.* D. A. Posteri nondum existebant physice, et secundum suam entitatem, C. A. Moraliter, N.

A. Adamus, licet unus in se, moraliter erat omnis homo per naturalem generationem ex ejus lumbis proditurus, quia omnes homines repraesentabat in ordine ad observationem mandati divini. A l *Confirm.* C. A. N. C. Solus Adamus, non autem Eva, constitutus a Deo fuit tamquam caput morale omnium hominum in ordine ad observationem mandati divini de non comedendo fructu. Hinc sola Adami voluntas fuit etiam moraliter voluntas posterorum. Et quamquam Ecclesiastici Cap. XXV. dicatur: *A muliere initium factum est peccati, per illam omnes morimur*: id tamen intelligendum est de causa impulsiva tantum, quia Eva suadendo Adamum impulit in peccatum, quo peccante omnes peccavimus.

XXV. *Dices II.* Peccatum, ab Adamo commissum, fuit ei condonatum priusquam filios gigneret, juxta illud Sapientiae Cap. X. *Haec* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Ergo non potuit peccatum transfundi in posteros. Idem a fortiori dici potest de parentibus jam baptizatis. P. C. Nemo potest communicare quod non habet. Ergo cum parentes baptizati non amplius sint inquinati peccato originali, non possunt illud in prolem transfundere. *Confirmat.* Si per naturalem generationem parentum transfunderetur, deberet censeri vitium naturale. Atqui hoc dici nequit. P. m. Si vitium foret naturale, tunc Deo adscribi posset omnium naturalium rerum authori. R. C. A. Fuit ei condonatum, ut erat peccatum Adami personale, C. A. Ut erat peccatum posterorum, N. A. et Conseq. Peccatum, quod commisit Adam tamquam caput morale totius humani generis, fuit quidem physice unum, sed tamen moraliter multiplex, pro nu-

mero hominum quia ab Adamo per viam naturalis generationis erant prodituri. Condonari igitur potuit, prout peccatum est unius hominis, et personale, quin condonatum fuerit, ut erat peccatum omnium posterorum. Ad *probat.* D. A. Nemo potest communicare tamquam vera causa, quod non habet, C. A. Tamquam conditio sine qua non, N. A. et Conseq. Vera causa peccati originalis est voluntas Adami, prout erat etiam moraliter nostra; parentes vero non sunt vera illius causa et origo, sed tantum conditio sine qua non, instrumenta ac veluti canales, per quos peccatum a primo parente transmittitur: ac per generationem efficiunt, ut filii ipsorum censeantur esse membra generis humani, quae in Adamo tamquam in principio continentur. Ex quo patet, posse a parentibus, etiam baptizatis, transfundi in filios peccatum originale, quamvis ipsi illo careant. *S. Augustinus* Sermone CCXCIV. alias XIV. de verbis Apostoli, qui est de baptismo parvulorum, Cap. XVI. ait: *Quando dicunt* (Pelagiani) *Si de peccatore peccatores nati sunt, quare non de baptizato jam fideli, cui remissa sunt universa peccata, justi nascuntur? Cito respondete: Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non eum generat* (de Spiritu) *unde regeneratus est, sed* (de concupiscentia) *unde generatus est. — Miraris quare peccator nascitur de semine justi: non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae?* Et Lib. I. de Nuptiis et concupiscentia, Cap. XVIII. *Propter hanc ergo* (concupiscentiam) *fit, ut etiam de justis et legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii saeculi generentur, quia et ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant ex quo filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii saeculi.* Accedit, quod pec-

catum originale non sit res aliqua positiva, quam per se parentes, cum generant, debeant in filiis tanquam causae principales producere; sed res sit negativa, privatio nempe justitiae originalis, ut Controversia II. explicabimus: atque eatenus solum parentes originale peccatum in filios transfundant, quatenus generatione efficiunt, ut sint membra illius totius specifici, cujus Adam fuit caput morale. A I *confirmat.* D. A. Deberet censeri vitium naturale, id est, pars vel proprietas naturae humanae, N. A. Quatenus à nativitate trahitur, et omnibus Adami posteris inest, propter abusum libertatis, nisi quis ex speciali privilegio praeservetur, C. A. N. C. Deus naturam condidit bonam; sed de opere Dei quod non habeat culpam, nata est culpa hominis per liberam praevaricationem Adami, qui constitutus erat caput morale omnium hominum. Culpa igitur non Deo, sed abusui libertatis adscribenda est.

XXVI. *Dices III.* Absque ullo solido fundamento dicitur, Deum in voluntate Adami conclusisse voluntatem omnium posterorum. Ergo. R. N. A. S. Hieronymus hanc Dei ordinationem colligit ex Cap. VI. Oseae: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi praevaricati sunt in me.* S. Augustinus vero Lib. XVI. de Civit. Dei, Cap. XXVII. ex illo Genesis Cap. XVI. v. 14. *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Caeterum a posteriori luculentius id evincitur. Hoc ipso enim, quod Deus nobis sufficienter revelaverit, omnes posteros in Adamo peccasse, sufficienter declaravit, in voluntate Adami conclusam fuisse omnium posterorum voluntatem; cum alio modo explicari nequeat originaria noxa in omnes

posteros transfusa. Deus itaque independenter a consensu Adami, cum id commendare magis videatur supremum Creatoris in creaturas omnes dominium, justitiam originalem, tamquam donum totius naturae humanae, in Adamo reposuit, ea lege, ut voluntas ipsius habenda esset pro voluntate posterorum, quantum ad observationem vel transgressionem praecepti, ex quo pendebat conservatio vel amissio justitiae originalis: eo fere modo, quo Magistratus civilis, in ordine ad bonorum dispositionem, alligat voluntatem pupilli voluntati tutoris. Ut autem in re omnium maxima atque gravissima Adamus consultius de suo, totiusque posteritatis statu decerneret, atque a peccando magis deterreretur, verisimile est, hanc Dei constitutionem ipsi divinitus patefactam, atque intellexisse, personam se atque sortem omnium futurorum hominum sustinere, maximoque scelere se fore obstricturem, si ut morale omnium caput, et ut persona communis et publica peccato suo totam posteritatem obstringeret.

XXVII. *Dices IV.* Si Adam nocuisset his qui non peccaverunt, et Christus prodesse debuisset his qui non crediderunt: commune enim malum commune poscebat remedium. Igitur quemadmodum his non profuit Christus, ita illis non nocuit Adam. R. Christus adversus peccatum originis, ejusque praecipuum effectum, instituit remedium, quod de se prodest omnibus. Cum infantes baptismate lustrantur, juvat Christus etiam illos, qui non credunt nisi per fidem parentum: unde quemadmodum per fidem illorum in baptismo purgantur, ita etiam eorum peccato fuerunt contaminati. Tribuitur peccatum nihil committenti, uti fides non respondenti.

XXVIII. *Dices V.* Subjectum peccati est sola anima. Ergo cum anima non generetur a parentibus, sed a solo Deo creetur, per naturalem generationem contrahi non potest peccatum originale R. C. A. N. C. Originale peccatum licet non in carne, sed in anima propriam sedem habeat, ad contrahendum tamen illud ex Adamo simul cum natura, non opus est ut animae posterorum ex primi parentis anima propagentur veluti per traducem, sicuti caro propagatur ex carne: sed satis est, ut posteri ipsi, corpore et anima constantes per veram et naturalem carnis generationem originem trahant ex Adamo. Nam hoc ipso tamquam veri et naturales filii Adae concipiuntur privati justitia et sanctitate, quam acceperant in primo parente, et per ipsius praevaricationem amiserunt; ac proinde concipiuntur in peccato originali. Enim vero ut homo vere ac proprie dicatur generari ex homine, et esse proprius ac naturalis filius ipsius, non est necesse animam filii ex patris anima generari; sed satis est quod generetur corpus, eaeque ponantur in materia dispositiones, quibus positis a Deo tamquam authore naturae infunditur anima, ex qua simul cum corpore consurgit homo. Augustino equidem propagatio animarum per traducem quantoque magis idonea videbatur ad explicandam hanc Pelagianorum difficultatem de propagatione peccati originalis. Verum, praeterquam quod Ecclesiasticum dogma sit, animas a solo Deo creari, propagatio haec animarum posterorum ex anima Adami ad explicandam difficultatem illam nihil admodum prodesse videtur. I. quia cum Adam Cainum genuit, poenitentiam de peccato suo jam egerat, ac proinde tunc ejus anima peccato vitiata non erat, etsi corpus manserit fomite vitiatum. Ne-

que fideles parentes, cum generant filios suos, animam habent peccato originali infectam. II. Si anima filii ex anima patris, a qua propagatur, originariam noxam contrahit; contraherent etiam ex illa peccata alia personalia, quibus non raro sordescit, cum filius generatur.

XXIX. *Objicitur V.* Sanctitas Matrimonii. Si peccatum originale per naturalem generationem propagatur in posteros, Matrimonium non esset Sacramentum, sed impius contractus, ejusque usus graviter foret illicitus. Atqui hoc manifeste falsum est. Ergo. P. M. Matrimonium esset causa peccati. Ergo. P. A. Sine usu conjugii non contraheretur peccatum originale. Ergo matrimonium est illius causa. R. N. M. Originariae noxae vera causa est sola voluntas Adami, ut moraliter nostra. Ad *probat.* N. A. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. Ex eo, quod originale peccatum absque usu conjugii non contrahatur, id unum sequitur, matrimonium respectu peccati originalis esse conditionem sine qua non; quia Adamus eos solum repraesentavit, qui ab eo per generationem naturalem erant descensuri. Originale itaque peccatum sequitur ex generatione, non tamquam ex causâ, sed mera conditione sine qua non, et quidem mere per accidens; in statu enim innocentiae fuisset usus conjugii, et tamen non fuisset peccatum originale.

XXX. *Dices.* Parentes, dum generant prolem, faciunt ut illa sit rea peccati originalis. Ergo tenentur abstinere ab usu conjugii. P.C. Usus conjugii multiplicat peccata, quia homines generantur peccato infecti, atque innumeris malis, aeternae morti atque odio Dei proles obnoxia redditur. Ergo matrimonii usus graviter illicitus foret. R.D. A. Faciunt ut proles sit rea peccati originalis in hoc

sensu, ut peccatum actu committat, N. A. Ut peccatum pridem in Adamo commissum contrahat, subdist. Ita ut hoc ipsum sequatur per se ex generatione tamquam ex causa, N. A. Tamquam ex conditione sine qua non, et mere per accidens, C. A. N C. Proles voluntate moraliter propria, nimirum voluntate Adami, jam dudum peccatum hoc commisit, antequam nasceretur: parentes vero generando prolem efficiunt, ut sit membrum totius illius specifici, cujus Adam fuit caput morale. Ad *probat.* D. A. ut prius, et N. C. Malum, quod incurrunt parvuli contrahendo peccatum originale, non est tantum, ut iis expediret potius non existere, quam concipi in peccato originali; quia infans per baptismum facile ab eo liberari, atque aeternam consequi salutem potest.

XXXI. *Objicitur VI.* Perfectio Dei. Decretum includendi in voluntate Adami voluntates posterorum derogat Sanctitati, Bonitati, ac Justitiae Dei. Ergo est commentitium. Ergo non datur peccatum originale. P. A. Derogat Sanctitati, quia peccatum Adami tali modo Deo potius; quam Adami posteris esset tribuendum. Bonitati adversatur, quia Deus Adami lapsum praevidens, illum non debuisset tamquam caput morale constituere, aut saltem efficacem gratiam dare debuisset, quae consensum post se traheret. Denique Justitiae divinae derogat, quia Deus absque consensu nostro, immo ignorantibus nobis, hoc virtuale pactum cum Adamo iniisset, nosque ob actionem malam, ab Adamo elicitam absque consensu nostro, acerbissime puniret. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* iterum N. A. Deus in voluntate Adami inclusit voluntates posterorum, non ea intentione, ut eo peccante peccarent; sed ex sincero affectu, ut in Ada-

mo praeceptum observante censeri possent et ipsi praeceptum observare, et sic observando mereentur justitiam originalem. Ergo peccatum Adami nullo modo Deo tribui potest. Neque decretum hoc derogat infinitae Dei bonitati; alias Deus absque bonitatis suae detrimento nullum permittere posset peccatum, omnibusque subministrare teneretur gratias efficaces, quibus homines cooperaturos esse praevidet. Deus itaque occulto quidem; sed justo judicio Adami lapsum permisit, ut ex hoc majus bonum eliceret, divinasque perfectiones suas humano generi manifestaret. Immo hoc ipsum decretum, seu virtuale pactum bonitatem Dei quam maxime commendat. Cum enim ageretur de donis supernaturalibus, humanae naturae prorsus indebitis in nos transferendis, benignitate sua conditionem exegit, quae erat observatu facillima, nempe unius duntaxat et facillimi praecepti obedientiam, a primo parente praestandam, quem propterea Deus tot gratiae donis et auxiliis cumulaverat, atque ab internis impedimentis expedierat. Ex quo consequitur, decretum hoc non modo commodum nobis, verum etiam aequissimum fuisse, cum Deus, supremus creaturarum omnium Dominus, quamcumque pro libito suo exigere conditionem potuerit pro derivanda in nos justitia originali, cujus alioquin homines suapte natura expertes nasci deberent, tametsi nemo unquam peccasset.

XXXII. *Dices.* Princeps terrenus injuste ageret, subditum ad mortem damnando propter scelus hominis v. g. apud Indos constituti, eoquod subditi voluntatem, eo non consulto, immo ignorante, alligaverit voluntati scelesti illius hominis. Ergo a pari. R. C. A. N. C. et paritatem. Disparitas petenda est tum ex eo, quod lon-

ge excellentius Deo in creaturas omnes dominium competat, quam terreno Principi in subditos: tum etiam ex eo, quod Princeps damnando ejusmodi subditum ad mortem, spoliet illum jure quod habet ad vitam et fortunas conservandas. At vero Deus privans homines justitia originali, ac visione intuitiva summi Boni ob peccatum, quod in Adamo commiserunt, nullam eis infert injuriam, eoquod illi nullum jus habeant ad ea bona; quia justitia originalis, et visio intuitiva Dei sunt dona supernaturalia, et naturae rationali de se prorsus indebita, quamvis eadem nullo peccato inquinata foret.

CONTROVERSIA II.

DE NATURA ET FORMALI RATIONE PECCATI ORIGINALIS.

Contra Illyricum, Lutherum, et Calvinum.

XXXIII.

Quam explorata apud Catholicos est existentia peccati Originalis, tam explicatu difficilis semper visa est ejusdem peccati natura. *Antiquo peccato*, ajebat Augustinus Lib. de Moribus Ecclesiae, Cap. XXII, *nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Hinc magna dissensio, et opinionum varietas orta est inter Scholasticos, quarum praecipuas citra disputationem enumerabimus, refutatis prius Novatorum circa praesentem materiam erroribus.

XXXIV. Prior est Illyrici, alter Protestantibus omnibus communis. Mathias Illyricus, secta Lutheranus, vir ad

monstra excogitanda natus, in plurimis libris quos de natura originalis peccati conscripsit, asserit peccatum originale esse ipsammet animae rationalis substantiam, ipso Adami peccato substantialiter vitiatam, et ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem diaboli transformatam, qua proclivis fit ad omnem impietatem; adeo ut per se nihil aliud possit, quam Verbum Dei contemnere, Deum odio habere, atque omnia peccatorum genera perpetrare. Ut autem absurda, quae ex hac sententia consequuntur, facilius declinare posset, asserit hominem dupliciter considerandum esse, physice, et Theologice. Physicum hominem appellat, quatenus a Philosophis consideratur ut animal rationale: Theologicum vero, quatenus secundum nobiliorem sui partem, nempe mentem, capax est divinae legis ad finem ultimum proprie pertinentis. Jam vero hominem physicum eumdem etiam post peccatum Adami perseverasse concedit; Theologicum vero hominem ait fuisse corruptum, et emortuum amissione illius formae, secundum quam factus fuerat ad imaginem Dei. Atque hac ratione si homo consideretur, non negat ipsum esse diversae speciei ante et post corruptionem.

XXXV. Mitius errarunt Genricus Gandavensis, Robertus Holckot, Gregorius Ariminensis, aliique antiquiores Scholastici, peccatum Otiginale explicantes per quasdam morbidas seu vitiosas qualitates physicas. Ajebant enim ex libidine et infecta carne generantium, a primo parente usque ad ultimum, per semen derivari in carnem prolis morbidam quamdam qualitatem ipsi inhaerentem: ex hac autem morbida carnis qualitate obvenire et imprimi animae, simul atque infunditur corpori, morbidam aliam qualitatem ipsi propriam. Et

in priori quidem qualitate reponebant originale peccatum tamquam in radice; posteriorem vero dicebant esse formaliter ipsum originale peccatum, quia sola anima est subjectum capax peccati. In hujuscemodi etiam qualitatibus morbidis constituebant hi auctores habitualem ipsam concupiscentiam tam in corpore quam in anima.

XXXVI. Alter error, Protestantibus omnibus praeter Illyricum communis, statuit originale peccatum esse formaliter ipsam concupiscentiam, seu haereditariam quamdam naturae nostrae corruptionem et pravitatem, quae nos irae divinae, et damnationis aeternae reos faciat, et praeterea origo sit reliquorum omnium flagitiorum, quae ad Galat. Caput. V. *Opera carnis* vocantur. Hanc naturae pronitatem ad malum, ut sit nobis imputabilis ad culpam, docent non constitui ex defectu rectitudinis alicujus, sive perfectionis talis, quae soleat per Christi gratiam in hac vita hominibus restitui, ut sentiunt Catholici; sed consistere in defectu integrae justitiae, qualem habuit initio Adamus, et qualis nunquam restituitur homini in hac vita: ac proinde in hominibus quamtumcumque etiam justis et baptizatis haerere semper hoc peccatum originale, quamdiu in hac vita versantur; hoc tamen discrimine, quod concupiscentia, seu pronitas haec ad malum, quamvis ei non accedat consensus voluntatis, in non baptizatis sit verum peccatum, odio Dei ac poena aeterna dignum: renatis vero non imputetur ad peccatum, ob figmentum illud justitiae imputativae Christi.

XXXVII. Quadruplex est potissimum Catholicorum Doctorum, de peccati Originalis natura atque essentia, opinio. I. est Toleti, Lugonis, Cornelii a La-

pide etc. asserentium, peccatum originale esse ipsam actualem inobedientiam Adae, qua praeceptum non edendi de vetito fructu arboris scientiae boni et mali tamquam morale omnium nostrum caput est transgressus, prout haec moraliter perseverat in posteris, in ordine ad reddendum nos rationabiliter Deo exosos, usquedum per condignam satisfactionem, vel per condonationem deleatur. II. sententia est S. Augustini, constituentis peccatum originale in concupiscentia seu pronitate naturae ad malum, ut nobis a primo instanti infusionis animae in corpus, ad vituperium, odium et supplicium aeternum imputabili, non per se praecise, sed per reatum ab ea distinctum et separabilem, nimirum per aversionem a Deo, et privationem gratiae sanctificantis: qui reatus proinde per baptismum tollitur, sola manente concupiscentia, quae tunc desinit nobis esse imputabilis, simulque desinit esse peccatum proprie ac vere tale. III. opinio est Sancti Thomae aliorumque, peccatum originale in quodam toto constituentium, resultante ex concupiscentia veluti parte materiali, et privatione justitiae originalis velut parte formali. IV. denique opinio, priori non absimilis, est Suarii, Vasquii, Valentiae, Bellarmini, Raynaudi etc., qui formalem peccati originalis rationem consistere ajunt in privatione justitiae originalis propter actualem praevaricationem Adae, in quo omnes eramus. Cum vero justitia originalis tria complectatur, I. perfectam subjectionem voluntatis ad Deum per gratiam sanctificantem, II. integram subordinationem virium inferiorum ad rationem, III. obedientiam corporis ad animam, per quam incorruptibile corpus animam nulla premit molestia: per justitiam originalem, cujus privatio formaliter est

peccatum originale, citati authores aliud non intelligunt, nisi gratiam sanctificantem, quae erat pars potissima et primaria in originali justitia, quippe quae vere et proprie reddit hominem justum, et Deo acceptum. At vero privatio integrae subordinationis virium inferiorum ad rationem, et obedientiae corporis ad animam, ad originalis peccati naturam spectare nullo modo potest. Quia cum per gratiam, quae in Baptismate confertur, non restituatur nobis ista virium animae subordinatio et obedientia corporis, privatio hujuscemodi nihil habet de culpa originali: secus per gratiam baptismalem non tolleretur totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet. Qui est error a *Tridentino* Concilio damnatus Sess. V. Can. V.

XXXVIII. Quod si quis hujus IV. sententiae patronis objiciat, privationem hujus justitiae dici non posse peccatum originale, I. Quia magis rationem habere videtur effectus et poenae peccati. II. Quia peccatum originale tali modo Deum authorem haberet, cum privatio gratiae sanctificantis sit a Deo subtrahente influxum, quo conservabatur justitia originalis. Respondent illi ad I. eam esse effectum ac poenam peccati actualis, quod in Adamo praecessit; non vero peccati originalis, quod in posteris illius est habituale. Ad II. ajunt, Deum non esse authorem peccati originalis, eoquod privatio gratiae sanctificantis sit quidem a Deo physice, tamquam a causa universali cessante conservare supernaturalem illum habitum; sed non moraliter tamquam a causa particulari determinante secundam. Ergo privatio gratiae originalis non est a Deo, sed a volantate primi parentis tamquam a propria causa emanat.

XXXIX. *Conclusio I.* Peccatum originale non est substantia mala, a diabolo producta. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Joannis Cap. I. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ergo nullius substantiae productio adscribi potest diabolo, sed soli Deo. I. ad Timoth. Cap. IV. ait Apostolus: *Omnis creatura Dei bona est.* Ergo malam illam substantiam Deus non creavit, qui nullo modo author peccati esse potest. Ergo peccatum originale esse non potest substantia mala, cum illam neque Deus, neque diabolus producere, aut a semetipsa existere potuerit. II. Authoritate Patrum, qui Marcionitas et Manichaeos execrati sunt, quod haeretici illi docerent, malam esse substantiam, quam non fecisset Deus, et quae in homine fons esset et origo omnium peccatorum. Ex innumeris pauca nobis sufficiant Patrum testimonia. S. Basilius in Orat. quod Deus non sit author malorum, ait: *Non imagineris propriam esse aliquam substantiam mali; nam malitia non est aliquid subsistens.* S. Gregorius Nazianz. in Orat. in sanctum lavacrum: *Crede nullam mali esse essentiam, nec per se subsistere, nec a Deo creatam.* S. Epiphanius Haer. XXXVII. *Malum aliquando non erat, neque radix ulla fuit malitiae, neque malum est quiddam per se subsistens.* S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem: *Numquam a me audies malam esse naturam.* S. Augustinus Serm. I. in Psalm. LXVIII. *Quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est, (iniquitas quippe ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas quam fecit homo,) venit Filius Dei ad limum profundi, et infixus est; et non erat substantia in qua infixus est. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso*

factum est nihil. Naturae omnes per ipsum factae sunt, iniquitas per ipsum facta non est; quia iniquitas facta non est. Neque per hoc Illyricus a Manichaeorum errore se purgat, quod mali naturam neque sempiternam, neque absque principio fuisse fateatur; siquidem cum Manichaeis admittit aliquam substantiam esse malam, et non a Deo, sed a diabolo procreatam: quod peccatorum nostrorum causa non sit liberum arbitrium, sed substantia illa mala. III. Ex sequelis. Sequeretur enim ex errore hoc ab urdissimo, I. peccatum originale non auferri per baptismum, cum in illo nulla auferatur forma substantialis. II. Nullam fore carnis resurrectionem. Si enim resurgeret eadem substantia hominis, quae per mortem destructa est, resurgeret etiam peccatum, quod certo falsum est: Si vero alia substantia produceretur, non erit vera resurrectio ejusdem carnis, sed nova productio. III. Aeternum non fore hominis praemium, vel supplicium; si enim non idem resurget qui cecidit: neque idem coronabitur qui in agone certavit, aut idem punietur qui in certamine defecit. Vide *Bellarminum* Lib. V. de Amiss. Grat. Cap. II.

XL. Fictitia pariter qualitas illa morbida, quam adstruunt Gandavensis, Ariminensis, aliique veteres Scholastici, penitus rejicienda est. Nam I. dici non potest, undenam emanarit illa in semen primi parentis, quae per successivas generationes in ejus posteros traducta est. Non ab ipso Adami peccato; secus cur alia aliorum parentum peccata non imprimunt ipsorum semini ejusmodi qualitates, in posteros traducendas? Non a Deo, quia Deus author peccati non est. Non a diabolo, quia hic non agit in corpora, nisi per motum localem applicando activa passivis. Non ab esu pomi vetiti, quia docente Augustino Lib. XIV. de Civit. Dei, Cap.

XII. *Esca illa non erat mala, nec noxia, nisi quia prohibita.* Non demum a serpente, ut quidam fabulabantur, sub cujus specie diabolus Evam seduxit; nam etsi quorumdam serpentum flatus noceat hominum corporibus, animae tamen nocere non potest. II. Quamvis admitteretur in carne qualitas illa morbida, fieri tamen non posset, ut ob conjunctionem cum infecto corpore anima ex natura sua spiritualis inde contrahat qualitatem aliam morbidam, quae ipsam peccato inficiat: res enim corporea non ita agere potest in Spiritum, ut ei peccatum imprimat. III. Vel qualitas illa morbida inhaerens animae omnino deleretur per baptismum, vel adhuc manet quoad substantiam in renatis? Si manet: ergo per gratiam in baptismo collatam non tollitur omne id, quod veram et propriam rationem habet peccati: qui error est a Tridentino damnatus. Si vero deleri dicatur: ergo cum qualitas illa morbida nihil aliud sit, quam concupiscentia post baptismum non manet eadem concupiscentia, quoad substantiam, quae erat prius ante baptismum. At concupiscentiam simpliciter manere in baptizatis eadem Tridentina Synodus fatetur, et quotidiana experientia demonstrat.

XLI. *Conclusio II.* Concupiscentia, seu pronitas ad malum, non est peccatum originale. Prob. Concupiscentia antecedens, (de hac enim sola loquimur, eo quod consequens juxta omnes sit peccatum actuale,) non est peccatum vere ac proprie tale. Ergo non potest esse peccatum originale. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Ecclesiastici Cap. XVIII. dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Ex quibus verbis ita argumentatur S. Augustinus Lib. V. contra Julianum, Cap. III. *Frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si jam*

quisque reus est, quod tumultuantes, et ad mala trahere nitentes sentit eas. B. Jacobus in sua Epistola Catholica, Cap. I. scribit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Quibus verbis concupiscentia clare distinguitur a peccato, sicut causa ab effectu, ut observat S. Augustinus Lib. VI. contra Julianum, Cap. XV. *In his verbis partus a pariente discernitur; pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum.* II. Authoritate Patrum. S. Chrysostomus Hom. XVII. in Matth. ait: *Non simpliciter dixit, qui concupiverit; sed qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, qui concupiscentiam sibi consiverit, quique nullo omnino cogente quiescenti cogitationum feram subito immiserit. Hoc enim non jam naturae est, sed propriae desidiae.* S. Augustin. Lib. I. de Nuptiis et concupiscentia, Cap. XXIII. *Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur: ut si non fit quod scriptum est, Non concupiscas; fiat saltem quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas: Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum si vicerit facit; reatus ejus valet in generato: quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodam modo jubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam*

in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat. III. Ratione Theologica. Ad peccatum requiritur advertentia et libertas indifferentiae. Ergo cum concupiscentia antecedens praevertat advertentiam rationis, neque liberum nobis sit ejus motibus carere, concupiscentia esse nequit peccatum vere ac proprie tale.

XLII. Denique invicte stabilitur conclusio argumento ex natura baptismi petito. Concupiscentia remanet in baptizatis. Atqui nullum peccatum remanet in baptizatis. Ergo concupiscentia non est peccatum. P. m. I. Authoritate Scripturarum. Ad Rom. Cap. VIII. ait Apostolus: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; quia nimirum cum nullum habeant peccatum, hoc ipso nulla est in ipsis causa, ob quam condemnentur. I. Joan. Cap. I. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus in Epist. ad Oceanum scribit: *Quomodo justificati sumus, et sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur?* S. Augustinus Lib. I. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. XIII. *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere.* S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. XXXIX. ad Theoctistam: *Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinant solvere? In quo principaliter ad coelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhaereat, de*

quo Psalmista ait: Mihi adhaerere Deo bonum est. Neque dicant Novatores, peccata in baptismo tegi, non imputari: Scripturae enim dicunt, fieri per baptismum veram peccatorum remissionem: condonari non solum debitum poenae, verum etiam maculas ablui, purgari, deleri, tolli.

XLIII. Ex quibus manifeste elucet, quam consentanea divinis Scripturis sit, atque antiquissimis Ecclesiae Patribus doctrina Tridentinae Synodi, quae Sess. V. Can. V. ita statuit: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem. - - - Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hacc Sancta Synodus fatetur, et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quin immo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Siquis autem contrarium senserit, anathema sit.*

OBJECTIONES.

XLIV. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Scriptura peccatum originale de-

scribens utitur verbis substantiam significantibus. Ergo peccatum originale est substantia. P. A. Genes. Cap. VIII. dicitur: *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* In Hebraico textu dicitur: *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua*, id est, ipsa cordis substantia mala est. Ad Rom. Cap. VI. *Vetus homo noster crucifixus est ut destruatur corpus peccati.* Eodem Cap. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Confirm.* I. Christus II. ad Cor. Cap. V. dicitur *peccatum*. Sed Christus est substantia. Ergo peccatum est substantia. *Confirm.* II. Homines ad Ephes. Cap. II. dicuntur *natura filii irae.* Ergo peccatum est natura: ergo est substantia. R. I. Ergo confusio et febris erunt etiam substantia, eoquod Psalmo LXVIII. dicatur: *Operuit confusio faciem meam.* Et Lucae Cap. IV. de Christo: *Et stans super illam* (Socrum Simonis) *imperavit febri, et dimisit illam.* R. II. N. C. Scriptura locis citatis figurate et metaphorice loquitur. Sic figmentum cordis non dicitur ipsa cordis substantia, sed cogitatio, quae a corde fingitur: per hominem veterem significatur vetus vita, quae agitur in peccatis, sicut per hominem novum vita nova, quae virtutibus exornatur: er per corpus peccati congeries et multitudo peccatorum denotatur, quam male vivendo contraximus. Peccatum in corpore regnare dicitur, quando concupiscentia ardentius incitata consensum voluntatis eblanditur. Ad I. *confirm* D. M. Christus dicitur peccatum, id est, victima pro expiatione peccati, C. M. In alio sensu, N. M. Ad II. *confirm.* C. A. N. C. Homines dicuntur natura filii irae, non quod ipsum peccatum sit natura; sed quia a nativitate, et per naturalem propagationem peccatum originale traducitur.

XLV. *Objicitur II.* Ratio. Peccatum originale est radix omnium peccatorum. Atqui radix omnium peccatorum est cor, seu anima hominis. Ergo peccatum originale est anima hominis. Ergo est substantia. P. M. Ad Rom. Cap. VII. ait Apostolus : *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ergo est radix omnium peccatorum. *Confirmat.* Illud est peccatum proprie dictum, quod est divinae legi contrarium. Atqui natura humana per peccatum vitiata, est divinae legi contraria. Ergo natura humana est peccatum. R. I. N. C. Argumentatio est illegitima, eoquod medius terminus numquam distribuatur; similisque huic : Diabolus est mendax. Mathias Illyricus est mendax. Ergo Mathias Illyricus est diabolus. R. II. N. M. Nam Adamus et Eva, omnesque Angeli mali in actuale peccatum inciderunt, quamvis originali peccato caruerint. Adde, quod homines etiam in statu naturae integrae peccare potuissent, et multi absque dubio peccassent. Ad *probat.* R. per illa verba Apostoli non intelligi peccatum originale, sed fomitem, sive concupiscentiam, quae per metonymiam peccatum dicitur, eoquod sit causa peccati actualis, et effectus peccati originalis. R. III. D. m. Cor, seu anima hominis est radix omnium peccatorum, eo modo quo peccatum originale est radix, N. m. Diverso modo, C. m. Esse fontem et radicem peccatorum, convenit animae, peccato originali, concupiscentiae, et diabolo, sed modo diverso. Anima est fons peccatorum per modum principii activi et determinantis : peccatum originis dici potest fons et radix peccatorum, per modum removentis obstaculum, cum enim peccatum originale formaliter sit privatio justitiae originalis; removet obstaculum peccati, id est, gratiam sanctificantem.

Concupiscentia dici potest fons peccatorum per modum causae extrinsece proponentis objectum voluntati : quo modo etiam diabolus, hominum tentator, nominari poterit fons peccatorum. Ad *confirmat.* D. m. Natura humana est contraria legi divinae propter peccatum ipsi inhaerens, C. m. Est contraria legi divinae propter se ipsam, et propriam substantiam, N. m. et Conseq.

XLVI. *Dices.* Homo per peccatum amisit imaginem Dei, et induit imaginem diaboli, juxta illud Joan. Cap. VIII. *Vos ex patre diabolo estis.* Ergo mens hominis fuit in aliam substantialiter transformata. P. C. Peccatum corrumpit animam. Ergo quemadmodum vinum in acetum convertitur, et lac in caseum, ita etiam mens hominis mutata est in imaginem diaboli. R. D. A. Homo per peccatum amisit imaginem Dei accidentalem, quae consistit in donis supernaturalibus, C. A. Imaginem Dei substantialem, quae consistit in anima rationali, quae spiritualis est, intellectu et voluntate praedita, N. A. et Conseq. Homines mali dicuntur esse ex patre diabolo, non natura, sed imitatione. Ad *probat.* D. A. Peccatum corrumpit animam proprie, id est, essentiam animae, N. A. Metaphorice, quatenus gratiam sanctificantem adimit, quae est vita spiritualis animae, C. A. N. C. et paritatem. Vinum et lac res sunt naturaliter transmutabiles, ac verae corruptioni obnoxiae : contra vero anima est substantia spiritualis, materiae ac corruptionis expers.

XLVII. *Objicitur III.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ad Rom. Cap. VI. scribit Apostolus : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Ergo cum per peccatum Apostolus intelligat concupi-

scentiam, concupiscentia est peccatum. Atqui non est actuale, eoquod ob noxam primi parentis naturae obvenerit. Ergo est originale. *Confirm.* Ad Rom. Cap. VII. dicitur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Ex quo hoc formatur argumentum. Lex membrorum, seu concupiscentia repugnat legi Dei. Sed quod repugnat legi Dei, est peccatum proprie tale. Ergo concupiscentia est peccatum proprie tale. R. C. A. D. C. Concupiscentia est peccatum proprie tale, N. C. Improprie, quia est effectus peccati originalis, et ad peccata actualia inclinat, C. C. Peccatum in Scripturis saepius accipitur nunc pro culpa, nunc pro poena, nunc etiam pro causa peccati, aut illius expiatione. Sic Deuteronomii Cap. IX. dicitur: *Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est, vitulum arripiens, igne combussi.* Oseae Cap. IV. dicuntur Sacerdotes comedere *peccata populi*, id est, oblationes pro expiatione peccatorum. Et ad Rom. VII. *Quid ergo dicemus? lex peccatum est?* id est, lex ergo causa peccati est? Ad *confirmat.* T. M. N. m. Homo saepe repugnat legi Dei, nec tamen homo peccatum est, sed causa peccati. Concupiscentia, cui non accedit consensus voluntatis, repugnat legi mentis, non ut actio recedens a regula, cum posset et deberet regulae congruere; sed ut lex contraria impellens ad malum. Illud autem, *Captivantem me in lege peccati*, exponit S. Augustinus Lib. I. de nuptiis et concupiscentia, Cap. XXX., ubi docet concupiscentiam dici captivantem, id est, captivare conantem, vel captivantem secundum carnem, non secundum mentem.

XLVIII. *Dices. I.* Transgressio legis est verum peccatum. Sed concupiscentia est transgressio legis. Ergo. P. m. Apostolus ad Rom. Cap. VII. ait: *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Ergo. R. C. M. D. m. Concupiscentia sumpta pro actu voluntario et deliberato hominis concupiscentis, est transgressio legis, C. m. Sumpta pro primis motibus, quibus resistit ratio, vel pro ipsa ad hos motus proclivitate, N. m. Ad *probat.* R. Apostolus l. c. loquitur de motibus concupiscentiae deliberatis, quos Judaei perversis Pharisaeorum opinionibus imbuti, putabant peccato carere, nisi in actum externum prodirent.

XLIX. *Dices II.* Ad Rom. Cap. VII. pergit Apostolus: *Scimus enim, quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Hoc loco Paulus non loquitur de lege prohibente actiones voluntarias, quam tunc Spiritu Sancto plenus utique servabat. Ergo loquitur de concupiscentia nobis insita per peccatum Adae. Ergo lex *Non concupisces*, extendit se etiam ad motus concupiscentiae indeliberatos. Ergo concupiscentia antecedens, quia repugnat legi, peccatum est. R. concesso primo enthymemate, Nego II. Consequentiam, vel D. C. Ergo lex *Non concupisces*, extendit se ad motus concupiscentiae indeliberatos, ita ut lex nos obliget ad illos non sentiendos, N. C. Ad illis non consentiendum, C. C. Praeceptum *Non concupisces*, media simul et finem comprehendit. Media sunt resistere concupiscentiae motibus, eisque numquam assentiri, numquam cedere: atque haec ita obligant, ut qui illi non fecerit, continuo reus existat. Finis est concupiscentias funditus extirpare, atque id efficere, ut nullus in car-

ne motus oriatur contra rationem. Hanc autem finem lex proponit, ut intelligamus quo sit nobis Deo iuvante tendendum; non vero ut rei simus, si id non faciamus, quod facere in nostra potestate non est, et quod ad felicitatem futurae vitae, non ad obligationem praesentis pertinet. Apostolus itaque l. c. non vult significare legem spiritualem non servari a justificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum; sed non servari quantum ad quamdam perfectionem, quae est finis praecepti, ac propterea proprie non est in praecepto. Vide *Card. Bellarminum* Lib. V. de Amissione gratiae et statu peccati, Cap. X.

L. *Objicitur IV.* Authoritas S. Augustini. S. Augustinus docet concupiscentiam in non regeneratis reum facere hominem, et debitorem aeterni supplicii. Ergo juxta S. Doctorem est verum peccatum. Ergo idem dicendum est de concupiscentia etiam post baptismum, cum eadem omnino maneat, nec per baptismum auferatur. P. A. Lib. I. de Nup. et concup. Cap. XXXII. scribit: *Haec itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui teneat aeterni supplicii debitorem.* R. D. A. Reum facere hominem reatu, qui ab ipsa concupiscentia oritur, et in ipsa fundatur, quasi habere concupiscentiam praecise sit reum esse, N. A. Reatu, qui oritur et fundatur in peccato originali, quocum concupiscentia in non renatis conjuncta est, C. A. N. C. Concupiscentia juxta mentem S. Augustini non alio modo peccatum est in non renatis, quam v. g. caecitas peccatum est in eo, qui sibi ipse effodit oculos. Caecitas autem in hoc casu non est peccatum per se, et ratione sui: nam esse cae-

cum praecise, non est aliquid homini impatabile ad vituperium et poenam, et Deo odibile; sed ratione alterius tantum, nempe voluntariae effossionis oculorum; per hoc enim homo vere dignus est vituperio, poena et odio Dei, quod sua gravi culpa caecus sit. Quemadmodum igitur caecitas sublato, quo facta est, reatu per condonationem culpabilis effossionis oculorum, non aliam amplius habet rationem, quam defectus et carentiae perfectionis naturalis: ita etiam concupiscentia sublato, quo facta est, reatu per condonationem peccati, a nobis Adami voluntate commissi, non aliam amplius habet rationem, quam languoris, infirmitatis et poenae. Vide *Simonnet* Institut. Theol. Tractatu V. de Peccatis, Artic. VIII. Dispatatione V. ubi pluribus rem hanc illustrat.

LI. *Objicitur. V.* Ratio. Motus concupiscentiae, etiam indeliberati, sunt illiciti. Ergo lege divina prohibentur. II. quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, qua prohibetur ipsum malum. Atqui concupiscentia, quamtunvis involuntaria, per se trahit ad malum. Ergo. III. Deus odio prosequitur concupiscentiam, quae remanet in baptizatis, nosque ipsi tenemur illam odisse. Ergo concupiscentia est peccatum. P. C. Deus nihil odit nisi peccatum. Ergo IV. Concupiscentia non est a Deo. At omnis justa poena est a Deo. Ergo concupiscentia non est tantum poena, sed etiam culpa. V. Si concupiscentia non esset peccatum, posset expeti propter aliquem bonum finem. Atqui non potest expeti. Ergo. VI. Christus per omnia nobis similis factus absque peccato, non assumpsit concupiscentiam. Ergo concupiscentia est peccatum. R. ad I. D. A. Sunt illiciti, quia non licet eos pati, N. A. quia non licet eis obedire,

C. A. N. C. Ad II. D. M. Si illud, quod trahit ad malum, sit in nostra potestate, ut eo careamus, C. M. Secus, N. M. Atqui in nostra potestate non est, non experiri motus inordinatos ad malum impellentes. Ad III. C. A. N. C. Deus odio habet concupiscentiam, nosque ipsi tenemur eam odisse, non quia peccatum est, sed quia aliquid inordinatum est, et ad peccatum incitat. Ad *probat.* D. A. Deus nihil odit nisi peccatum, odio redundante in personam, C. A. Aliter, N. A. et Conseq. Ad IV. R. I. Retorquendo. Mors corporis non est a Deo, *Quoniam Deus mortem non fecit.* Sapientiae Cap. I. v. 13. At omnis justa poena est a Deo. Ergo mors non est solum poena, sed etiam culpa. R. II. D. M. Concupiscentia non est a Deo, quatenus est ordinata propensio ad bonum sensibile, N. M. Quatenus est inordinata propensio ad malum alliciens, subdist. Non est a Deo positive, quatenus nempe Deus non fuit author peccati, cujus effectus est concupiscentia, C. Non est a Deo quasi negative, quatenus Deus in ultionem peccati abstulit originalem justitiam, quae carnem spiritui subjiciebat, N. M. Ad V. N. M. Quia concupiscentia ad peccatum allicit, nullus honestus finis excogitari potest, ob quem a nobis expetatur. Ad VI. C. A. N. C. Christus eadem de causa non assumpsit concupiscentiam, ex qua assumere noluit ignorantiam, licet et illa, si sit omnino involuntaria, peccatum non sit. Nimirum concupiscentia et ignorantia repugnabant plenitudini gratiarum ac donorum, quae Christo debebantur, nihilque ad redemptionem nostram proderant.

CONTROVERSIA III.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

Contra Pelagianos.

LII.

Pelagiani praeterquam, quod originariam noxam in posteros Adami traduci inficiarentur, docebant concupiscentiam malam non esse, nec partum peccati sed a natura provenire: Adamum conditum fuisse mortalem, ideoque etiamsi non peccasset, fuisse corpore morituram; atque ita mortuum esse, non merito culpae, sed conditione naturae: Nasci infantes eodem statu, quo erat Adam ante peccatum, eosque baptismate lustrari, non ut condonentur peccata, sed ut morientes possint admitti in regnum Dei. Pelagianum hunc errorem de mortali conditione Adami adoptavit *Joannes Mercerus* (Le Mercier) Calvinianus, qui in Commentario in Genesin de Adamo scribit: *Mors ei molesta non fuisset, nec irae Dei signum ex peccato, ut hodie: sed dulcis quaedam et suavis animae a corpore separatio, vel commutatio potius et translatio in solidissima et aeterna gaudia.* Zwinglius, Pelagianis longe audacior, in Declarat. de peccato originali ad Urbanum Rhegium decuit, probabile esse, per Christum universam naturam humanam ita esse restitutam, ut etiam filii infidelium, sine baptismo decedentes, salventur: illud autem non solum probabile, sed etiam certum esse de filiis fidelium. Quem errorem, circa filios fidelium, secuti sunt Calvinus, Bucerus, Vermilius etc.

LIII. *Conclusio I.* Mors corporis est poena peccati Originalis. *Probat.* Adamus si in innocentia sui status perseverasset, numquam mortuus fuisset. Ergo mors corporis, morbi etc. sunt poena inobedientiae Adami, et peccati Originalis. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Sapientiae Cap. I. v. 13. dicitur: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum.* Et Cap. II. v. 23. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ad Rom. Cap. V. v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum hunc intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et Cap. VIII. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem.* Denique si Adamo, etiam absque peccato aliquando moriendum fuisset, inepta fuisset comminatio Dei ante praevaricationem Adae facta. Gen. Cap. II. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Probat.* II. Authoritate Conciliorum. Milevitanum, seu potius Carthaginense Can. I. ita statuit: *Placuit, -- ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit.* Arausicanum II. Cap. II. *Siquis soli Adae praevaricationem suam, non et ejus propagini asserit nocuisse: aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum; quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam dabit Deo, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem intravit in mun-*

dum etc. Similia habet Tridentinum Sess. V. Can. I. *Prob.* III. Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. XIII. de Civit. Dei, Cap. XV. *Unde constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturae, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus, Terra es, et in terram ibis.* S. Fulgentius Lib de Incarnat. Cap. XII. *Nisi praecessisset in peccato mors animae, numquam corporis mors in supplicio sequeretur. — Homo in terram carne non iret, si terra peccando non fieret.*

LIV. Caeterum immortalitas, quam habuit Adamus ante praevaricationem, quamque habuissent posteri, si in statu innocentiae perseverassent, non erat naturae humanae debita, sed dono Conditoris concessa: neque fuisset plena atque perfecta, quae moriendi necessitatem excluderet, qualem Beati post resurrectionem corporum sortientur; sed cujus beneficio non morerentur quidem re ipsa, sed mori tamen possent, si aut peccarent, aut extra Paradisum collocati a ligno vitae prohiberentur, ut explicat *S. Augustinus* Lib. VIII. de Genesi ad litteram, Cap. V. Homo itaque in statu innocentiae immunis fuisset a morte violenta, partim per prudentiam naturalem, vi cujus plurima vitae pericula evitare potuisset: partim per specialem Dei providentiam, avertentis ea pericula, quae humana industria caveri non poterant. A naturali autem morte ac morbis immunem praestitisset fructus de ligno vitae opportune adhibitus, qui temperamentum corporis vel ad optimum statum reduceret, si per reliqua alimenta fuisset non nihil alteratum: vel omnino

praeservaret, ne unquam ad statum praeternaturalem perveniret.

LV. *Conclusio II.* Concupiscentia rebellis est mala, atque a peccato originali proficiscitur. Dixi concupiscentia *rebellis*, qualem modo miseri experimur. Concupiscentia enim, prout est ordinata propensio ad bonum sensibile, est bona, atque a Deo, locumque habuisset etiam in statu innocentiae. Nomine itaque concupiscentiae rebellis veniunt actus illi inordinati appetitus inferioris, tam irascibilis quam concupiscibilis, quibus incitamur ad malum, aut retardamur a bono, et qui in nobis oriuntur citra advertentiam rationis, atque accedente etiam ea advertentia perdurant, tametsi voluntas eisdem positive resistat. Probatur jam prima pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum. Apostolus ad Rom. Cap. VII. ait: *Malum adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Ubi per *malum adjacens* nihil aliud intelligi potest, quam concupisentia carnis, quam etiam eodem capite vocat *legem membrorum, et legem peccati.* I. ad Cor. Cap. IX. ait Apostolus se castigare, et in servitutem redigere corpus suum. Et II. ad Cor. Cap. XII. ter se rogasse Dominum, ut auferatur a se stimulus carnis. Ergo concupiscentia rebellis est mala; bonum enim a se numquam removere conatus est Apostolus. *S. Joannes* Epist. I. Cap. II. ait, concupiscentiam carnis non esse ex Patre, sed ex mundo. Ergo cum non sit a Deo, a quo est omne bonum, non est bona. II. Authoritate Patrum, Cypriani, Ambrosii, Ilarii, Chrysostomi, ac praecipue B. Augustini passim in libris suis adversus Pelagianos. III. Ratione manifesta. Concupiscentia rebellis inclinat hominem ad peccatum, et spiritui ad-

versatur. Ergo rebellis concupiscentia, qualem nos experimur, est mala.

LVI. Probatur etiam altera pars Conclusionis. I. Authoritate Scripturarum. Apostolus ad Rom. Cap. VII. describens pugnam carnem inter et sanguinem ait: *Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ergo concupiscentia rebellis, seu indeliberati illi motus contra rationem insurgentes, sunt effectus peccati Adami. Ergo ante peccatum non dabatur haec rebellio. Praeterea Apostolus saepius concupiscentiam vocat *legem peccati.* Genes. Cap. II. legimus de primis nostris parentibus: *Erat autem uterque nudus, et non erubescebant.* Hujus rei causam Patres assignant, quod ii tunc carerent pudenda illa rebellione membrorum, ob quam nunc erubescimus, si nudi conspiciamur. II. Authoritate Patrum, praecipue *S. Augustini*, qui Lib. IV. contra Julianum, Cap. ult. de Adamo scribit: *Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Et Lib. II. de peccatorum meritis et remiss. Cap. XXII. *Hanc ergo* (obedientiam) *priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus: et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiae, ut quia eorum anima famulum corpus a Deo acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur.*

LVII. *Conclusio III.* Exclusio ab aeterna gloria est poena peccati originalis. Prob. I. ex Scripturis.

Joannis Cap. III. ait Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo peccatum originale, quod in baptismo remittitur, cujusque tantum capaces sunt parvuli, est obex aeternae gloriae. Ergo exclusio ab aeterna gloria est effectus peccati originalis. II. Authoritate Conciliorum Diospolitani, Carthaginensis, Milevitani, quorum meminit S. Augustinus Lib. II. de Anima et ejus origine, Cap. XII. *Novellos haereticos Pelagianos justissime Conciliorum catholicorum et Sedis Apostolicae damnavit authoritas, eoquod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam praeter regnum coelorum.* III. Authoritate Patrum, praecipue S. Augustini, qui Lib. III. de Anima et ejus origine, Cap. IX. scribit: *Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Cap. XIII. *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum coelorum, sed in paradisum; postea vero in resurrectione mortuorum etiam ad regni coelorum beatitudinem pervenire, si vis esse Catholicus.* Et Epistola XXVIII. nunc CLXVI. ad S. Hieronymum: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra Apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* IV. Ratione Theologica. Aeterna gloria est haereditas filiorum ado-

ptivorum Dei. Atqui peccato originali inquinati, quamdiu hoc non remittitur, non sunt filii adoptivi Dei. Ergo aeterna gloria non est illorum haereditas. Ergo peccatum originale hominem ab aeterna gloria excludit quamdiu non fuerit remissum. P. m. Filii adoptantur a Deo per gratiam sanctificantem. Ergo cum peccatum originale sit privatio justitiae originalis, et gratiae sanctificantis, peccato originali inquinati non sunt filii adoptivi Dei.

LVIII. Atque hae praecipuae sunt peccati originalis poenae; qui enim reliquam malorum illuviem, quae ex originali peccato, tamquam ex Lernaeo fonte derivata, totum humanum genus inundavit, penitius cupit cognoscere, *Bellarminum* adeat, Lib. VI. de Amissione gratiae et statu peccati, Cap. IX. et sequentibus. Caeterum has inter tres praecipuas peccati Originalis poenas discrimen aliquod notandum est. Mors corporis perinde ac concupiscentia rebellis non tantum sunt poena peccati originalis a singulis contracti, verum etiam sunt effectus proximus peccati primi parentis, ob quod justissime meruit, ut ipse et sua posteritas spoliarentur a Deo dono gratuito immortalitatis, et subjectionis appetitus sentientis ad voluntatem et rationem. Sicut homo perduellis meretur, ut ipse suique filii ac nepotes priventur donis acceptis a regia liberalitate: et ideo deleto, vel etiam non contracto originali peccato, adhuc maneret homo morti et concupiscentiae obnoxius; quia haec dona Dei erant specialia, a dono gratiae sanctificantis discreta, et inconnexa, ex merito tamen primi parentis una cum ipsa gratia sanctificante in posteros transfundenda. At vero exclusio ab aeterna gloria non est effectus proximus peccati primi parentis, sed proxime con-

sequitur ipsum solum originale peccatum a singulis contractum, nempe privationem gratiae sanctificantis. Quam ob rem etsi contingat plene remitti originale peccatum, quin remittatur debitum moriendi, et carendi concupiscentia rebelli; non tamen contingit simpliciter remitti peccatum originale, quin remittatur poena exclusionis ab aeterna gloria: haec enim remissio non fit, nisi per infusionem gratiae sanctificantis, quae jus homini confert ad gloriam, tamquam filio adoptivo Dei. Vide *Benedictum Piazza* in Causa Immaculatae Conceptionis, in Apparatu ad Causam, Artic. I. Paragr. III.

LIX. *Quaeres I.* An parvuli sine baptismo decedentes, quamvis priventur vita aeterna, quae consistit in visione intuitiva Dei, fruantur tamen naturali quadam beatitudine? R. hanc Pighii et Catharini sententiam, a Pelagianis placitis non adeo remotam, perabsurdam esse, omnique fundamento destitui. Prob. assertio I. Qui in aeternum damnandi sunt, nulla prorsus beatitudine sunt fruituri; eoquod damnatio sit maxima miseria, beatitudo vero sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed parvuli sine baptismo decedentes aeternum damnandi sunt. Ergo. P. m. Parvuli per solum baptismum liberantur ab aeterna perditione, seu damnatione. Ergo qui sine baptismo decedunt, aeternum damnandi sunt. P. A. Patres Concilii Carthaginensis in Epistola Synodica ad S. Innocentium I., quae inter Augustinianas est XC, nunc CLXXV, scribunt: *Quicumque negat, parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Et S. Augustinus Lib. I. de Anima et ejus origine, Cap. IX. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum,*

quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam haeresis Pelagiana promisit. II. Parvuli illi sunt vasa irae, sub potestate et imperio daemonis, antequam baptizentur, ut manifestum est ex doctrina Patrum ac praecipue Augustini, qui frequenter id tum alibi saepius, tum Lib. VI. contra Julianum, Cap. V. inculcat: *Verum est, quod antiquitus veraci fide Catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam, quae filios fidelium non exorcizarit, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret.* Ergo non fruentur beatitudine naturali decedentes sine baptismo, sed infelices erunt et miseri. III. Parvuli sine baptismo decedentes aeternum includentur in carcere aliquo subterraneo ac tenebricoso. Ergo beati esse non poterunt. P. A. authoritate Patrum, ac Scholae Principum, S. Thomae, S. Bonaventurae, Alensis, Scoti etc. Atque ipsius Florentinae Synodi, quae Sess. ultima in Decreto fidei definivit, *Illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Neque ulla est ratio, ob quam ex eo loco post universalis judicii diem dicantur liberandi; cum post hanc vitam non sit locus misericordiae, sed justitiae. Quod si dicas, post universale judicium transferendos esse super terram. R. Fabulam hanc nulla Scripturarum, aut Patrum authoritate fulciri; tuncque probabilius omnia elementa suum situm naturalem repetitura esse: sicque aqua, quae initio terram ambiebat, revertetur ad pristinum locum, a quo jubente Domino recesserat, ut terra esset commoda habitatio hominum, et animalium.

LX. *Quaeres II.* An parvuli sine baptismo decedentes ita priventur visione intuitiva Dei, ut nullum exinde dolorem etiam internum patiantur? R. negative. Prob. assertio I. Authoritate S. Augustini, qui Tract. LXVII. in Joannem scribit: *Proinde respuendi sunt* (Pelagiani) *a corde Christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum coelorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex ac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum coelorum intrare non potuerunt. Haec fides non est fides; quia non est vera et Catholica fides.* Et Lib. I. de Anima et ejus origine, Cap. IX. ait, parvulis non baptizatis nullum quietis vel felicitatis cujuslidet quasi medium locum inter damnationem regnumque coelorum promittendum esse. Atqui quiete illa fruerentur parvuli non baptizati, si ne internum quidem animi dolorem ex jactura coelestis beatitudinis persentiscerent. II. Ratione, quam assignat S. Augustinus Lib. VI. contra Julianum, Cap. X. *Si hoc eis non erit malum* (exclusio a regno coelesti) *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?*

LXI. Neque dicas I. Parvulos sine baptismo decedentes non pati poenam sensus, ideoque neque internum dolorem. II. Eos justum Dei judicium in sua calamitate agnoscere, adeoque dolorem omnem abstergi ob privationem regni coelestis. III. Ex amissione beatitudinis nullum dolorem percepturos, eoquod forte ignoraturi sint se illam amisisse. IV. Deum singulari providentia dolorem omnem ab eorum animis remoturum. Nam

ad I. R. Dolor animi ex beatitudinis privatione ortus, proprie ac directe a Deo non infligitur, sicut dolor ortus ex poena sensus; sed per se et naturaliter ex ea sequitur. Ad II. N. C. Sic animae in purgatorio, quamvis cognoscant se justo Dei judicio acerbissimas poenas luere, acerrimo tamen discruciantur dolore ob retardatam beatitudinem, quin de Deo conquerantur. Ergo a pari. Ad III. N. A. Parvuli cognoscent dari aliquam beatitudinem, eamque se amisisse; quia cognoscent naturam suam, et in ea naturale desiderium summi Boni adipiscendi ab Authore naturae inditum esse non ignorabunt. Praeterea omnino certum est, parvulos interfuturos esse ultimo judicio, eoquod Christus omnium vivorum et mortuorum sit judex; idque Scriptura frequenter asserat, nullo facto discrimine. Ergo non ignorabunt excludi se propter peccatum originale ab aeterna felicitate. Ad IV. N. A. Si Deus non impedit, quo minus parvuli in hac vita dolores patiantur, qui ex amissione justitiae originalis sequuntur; neque impediturus censeri debet dolorem, qui post mortem naturaliter consequetur cognitionem amissae beatitudinis.

LXII. *Quaeres III.* An parvuli sine baptismo decedentes aeterno igne sint cruciandi apud inferos in carcere damnatorum? R. Quaestionem hanc non adeo facilem et expeditam esse, ut quidam opinantur. Eosdem aeterno igne cruciandos esse sensit *B. Augustinus.* Ex multis S. Doctoris locis unicum seligo. Exprobraverat Augustino Julianus Eclanensis, Pelagianae factionis signifer, tamquam absonam prorsus, absurdamque sententiam, quam piorum aures ferre omnino non possent, id est, parvulis non baptizatis aeternum deberi incendium propter peccatum originale. Hic admonebat locus,

ipsaque res postulabat, ut, si Augustinus non fuisset in ea sententia, quam sibi Julianus exprobraverat, illatam sibi calumniam repelleret, palamque faceret, se non docere, parvulos non baptizatos originalis peccati causa aeterno esse addictos incendio, sed in aeterna duntaxat animi tristitia futuros de amissione Dei summi Boni, finisque ultimi, quo uno anima conquiescat. Sed secus omnino accidit: suam esse objectam sibi a Juliano sententiam agnovit Augustinus, admirationemque Juliani, tamquam de opinione incredibili, verbis illis compressit Lib. III. Operis imperfecti contra Julianum, Num. CXCIX. *Si non eruitur a potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus; quid miraris in igne aeterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis, praeter Dei regnum, quietis et vitae aeternae locum praeparant, ideo Christi erit falsa sententia: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur?*

LXIII. Idem, Augustino duce, post exortam Pelagii haeresin magno consensu asseruerunt Latini Patres, Author *Hypognostici*, *S. Avitus Viennensis* in Carmine ad Sororem Fuscinam, XV. Episcopi *Africani* Provinciae Byzacenae in Sardinia exules in Lib. de Incarnatione et Gratia, Cap. XXX., quem illorum nomine scripsit *S. Fulgentius Ruspensis*. Idem *S. Fulgentius* Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XXVII. *S. Gregorius M.* Lib. IX. Moralium, Cap. XII. *S. Isidorus Hispalensis* Lib. I. Different. Num. XXVI. *S. Anselmus* Lib. de Conceptu virginali et originali peccato, Cap. XXII. et *Aelredus* Abbas in Anglia Saec. XII. Lib. I. Speculi charitatis, Cap. XV. Quibus accedere videtur *S. Hiero-*

nimus in Dial. III. contra Pelagianos, qui ad querimoniam illam Pelagianorum contra Catholicos, quod parvulis sine baptismo decedentibus, juxta eorum placita, aeternae miseriae cruciatus praeparentur, nil aliud respondet, quam omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine teneri peccato obnoxios.

LXIV. Equidem multi non desunt Theologi, qui Augustinum aliosque Patres mitius interpretantur, dicuntque, durum illud vocabulum *ignis* quandoque mollius pro quovis sive corporis, sive animi dolore a Patribus adhiberi. At vero verba Patrum, si rite considerentur, clariora mihi videntur, quam ut hanc interpretationem admittant: neque facile mihi suadere possum, quod ignis significatus in ea sententia: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, cujus sententiae effectus, juxta Augustinum, futura sit sempiterna damnatorum combustio in igne aeterno, communis parvulis decedentibus absque baptismo, accipiatur ab illo pro tristitia quavis et aegritudine animi.

LXV. Neque felicius rem conficiunt illi, qui ipsum *Augustinum* de poenis parvulorum dubium haesisse evincere conantur I. ex Epistola illius XXVIII. nunc CLXVI. ad Hieronymum, ubi sic loquitur: *Cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio.* II. Ex Enchiridio, Cap. XCIII. et Lib. I. de peccat. meritis et remiss. Cap. XVI, ubi dicit parvulos *in damnatione omnium mitissima futuros.* III. Ex Lib. III. de Lib. arbitrio, Cap. XXIII. *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter praemium atque supplicium.* Ad I.

enim facile responderi potest, id unum ab Augustino affirmari, quod in hypotesi creationis animarum, sive posito, quod per traducem non propagentur, explicare ipse non valeat, quomodo parvuli sine baptismo decedentes in hac vita multis poenis temporaneis, in altera vero poena aeterna puniantur. Ad II. R. S. Augustinum non loqui de futura parvulorum poena secundum se spectata; sed facta comparatione cum poena adultorum, qui communi peccato originis addiderunt singularia crimina, quae scientes prudentesque libero suae voluntatis arbitrio malitiose admiserunt. Ad III. R. S. Augustinus Lib. de Dono perseverantiae, Cap. XII. scribit, se olim Presbyterum libros de libero arbitrio, quos laicus Romae inchoaverat, in Africa confecisse, nempe ante annum 395. Quare etiamsi ante Episcopatum suum de parvulorum poenis dubitasset, minime tamen sequitur, eum circa poenas illas semper fluctuasse: potuit enim postea proficere, et proficiendo veritatem investigare, quam antea ignoraverat. Verum, hoc etiam omisso, ajo Augustinum l. c. loqui de supplicio in genere, non in specie: nolaisseque hanc de poenis parvulorum quaestionem tunc instituere, quia hoc minime necessarium erat ad refellendum errorem Manichaeorum, duarum naturarum, boni scilicet et mali, permixtionem asserentium, ut ipse testatur S. Augustinus Lib. de Dono perseverantiae, Cap. XII, ubi sic ulterius pergit: *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in aeternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam.* Quid autem *mortis secundae* nomine intelligatur, ipse S. Augustinus saepe diserte docuit Lib.

XIX. de Civit. Dei, Cap. XXVIII. in Enchiridio Cap. XCII, et Lib. VI. Operis imperfecti contra Julianum, Num. XXXI., ubi ait: *Est etiam mors, quae in Apocalypsi mors secunda dicitur, qua et corpus et anima igne cruciabuntur aeterno; quam minatur Dominus ubi dicit, Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Quamvis ergo multae mortes inveniantur in Scripturis; duae tamen sunt praecipuae, prima et secunda: prima est, quam peccando intulit primus homo; secunda est, quam judicando illaturus est secundus homo.* Vide Card. Henricum Norisium in Viadiciis Augustinianis. Laurentium Alticotium in Summa Augustiniana Parte IV. Quaest. I. Artic. IV. *Edmundum Simonnet* in Institut. Theolog. Tract. V. de Peccatis, Disput. V. Artic. XII.

LXVI. Benignam sententiam, quae parvulos sine baptismo decedentes a poena sensu, sive cruciatibus inferni absolvit, docuit uterque Gregorius, Nazianzenus, et Nissenus, Augustino antiquiores. *Nazianzenus* Orat. XL. in Sanctum Baptisma de infantibus sine baptismo ex hac vita decentibus scribit: *Postremi denique nec coelesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficientur, ut pote qui, licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur.* S. Gregorius Nyssenus in Orat. de iis, qui praematura morte abripiuntur: *Immatura mors infantium neque in doloribus ac moestitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.* Citari etiam solet S. Ambrosius in

Caput V. Epistolae ad Rom. Verum cum liber ille non ab Ambrosio, sed ab Hilario Diacono Luciferiano Schismatico conscriptus fuerit, nullam habet authoritatem.

LXVII. Nazianzeni ac Nysseni sententiam a Saeculo XII. ad nostra usque tempora fere omnes Theologi, ac Scholae Principes secuti sunt, Petrus Lombardus Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, aliique: adeo ut Augustinianam sententiam paucissimi tantum propugnarint, Gregorius Ariminensis nempe, Joannes Driedo, Michael Paludanus, Joannes Poncius, Florentius Conrius Archiepiscopus Thuamensis, Franciscus Macedo, Henricus Cardinalis Norisius; reliqui vero tantum non omnes Theologi per VII. jam saecula benignam sententiam docuerint, doceantque, Innocentium III. secuti, qui extra Cap. *Majores* de Batismo, et ejus eff. ait: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero peccati est gehennae perpetuae cruciatus*. Communissimae huic Theologorum authoritati suffragatur consensus fidelium, qui aegre admodum audiunt, parvulos sine baptismo decedentes mitti in ignem aeternum cruciandos. Neque rationibus suis destituitur haec sententia. Ut enim alias omittam, durum valde, ac divinae bonitati contrarium videtur, ob peccatum voluntate physice aliena commissum tot animas sempiternis inferorum cruciatibus mancipari, cum tamen immunitas ab his poenis videatur creaturae rationali naturaliter debita, quamdiu personali peccato non est inquinata. Omnium enim judicio crudeliter agere censeretur Rex ille, qui ob parenti peccatum, cujus nullo modo conscii, nec voluntate physice propriae participe fuerunt filii, eos non modo be-

neficiis regia liberalitate concessis privaret, quod aequitati minime repugnat; verum etiam capitali afficeret supplicio. Quare quod Deus posteros Adami in poenam peccati originalis gratia sanctificante spoliarit, eosque morti, morbis, aliisque hujus vitae miseriis obnoxios velit, facile capio, cum immunitas ab his malis donum sit supernaturale, naturae humanae de se prorsus indebitum, atque ex mera Dei liberalitate Adamo concessum. At vero quod Deus homines ob solum peccatum originale sempiternis addicat inferorum cruciatibus difficulter adducor ut credam, eoquod immunitas ab illis videatur esse creaturae rationali, omnis personalis noxae experti, naturaliter debita. Itaque, spectatis omnibus, benigna sententia probabilior mihi videtur; quamvis ob gravissimam sententiae contrariae authoritatem, eam nullius erroris arguam suamque illi probabilitatem minime denegem.

OBJECTIONES.

LXVIII. *Objicitur 1.* contra I. conclusionem, Infirmitas argumenti ex Scripturis petiti. Locus ille Gen. Cap. II. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, intelligendus non est de morte corporis sed de morte solius animae. Ergo ex illo loco nihil evincitur. P. A. authoritate *S. Gregorii* Magni, qui Lib. V. Epist. XIV. locum illum exponit de morte animae. R. N. A. Deus enim dixit Adamo post praevaricationem, Gen. Cap. III. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ergo damnavit eum ad illam poenam, quam ei comminatus fuerat ante praevarica-

tionem. Atqui non damnavit animam natura sua immortalem, ad mortem, sed corpus. Ergo comminatus fuit Adamo mortem corporis. Ad *probat.* D. A. Ita ut S. Gregorius mortem corporis excludit, N. A. Ut eam praesuponat, C. A. N. C. Proprie ac stricte si loquamur, mors animae non est effectus peccati, sed ipsum peccatum, quod ex natura sua mors animae nuncupari potest, ac debet.

LXIX. *Dices* Adam non eo die, quo comedit de fructu vetito, sed post triginta et nongentos annos mortuus est. Ergo locus ille intelligi non debet de morte corporis. P. C. Si de morte corporis intelligendus foret, Adam eadem die, qua fructum vetitum gustavit, mori debuisset, dicitur enim, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ergo. R. C. A. N. C. Ad *prob.* N. A. Citato loco mors sumitur pro necessitate moriendi. *Eo quippe die,* ait S. Augustinus Lib. XIII. de Civit. Dei, Cap. XXIII, *mutata in deterius vitiataque natura, atque a ligno vitae separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus.* Hinc Symmachus citata verba ita interpretatus est: *Quocumque die comederis de ligno hoc, mortalis eris.* Quam interpretationem laudant S. Hieronimus Lib. Quaest. Hebraic. in Genesin, Cap. II. et Theodoretus Quaest. XXXVIII. in Genesin.

LXX. *Objicitur II.* Ratio. Corpus Adami constabat ex elementis perpetuo inter se pugnantibus. Ergo tandem aliquando moriendum illi fuisset, etiamsi non peccasset. Ergo mors corporis non est poena peccati, sed naturali hominis conditioni est tribuenda. R. C. A. D. C. Ergo moriendum illi tandem aliquando fuisset, si consideretur nuda naturae conditio, C. C. Supposita gra-

tuita promissione Dei, qua Adamo non peccanti immortalitatem corporis pollicitus fuerat, N. C. Atque hac ratione vere dicimus, mortem fuisse Adamo poenam admissi criminis: nisi enim peccasset, in illo felici statu permanens a morte fuisset immunis. Quemadmodum Sauli, ante electionem et promotionem ad regnum, poena non erat regno carere; at postquam regno potitus est, magna profecto fuit poena et ipsum et filios regno privari.

LXXI. *Objicitur III.* Sequela. Si Adam a Deo immortalis creatus fuisset, sequeretur eum v. g. aquis suffocandum non fuisse, si in illas praecipitem se egisset: neque moriturum, quamvis omni cibo abstinuisset. Atqui haec perabsurda et incredibilia sunt. Ergo. R. N. M. Adam id agendo graviter peccasset, tentando Dominum, Deique mandatum transgrediendo, qui Gen. Cap. II. praecepit ei dicens: *Ex omni ligno paradisi comede.* Cum igitur ex observantia mandatorum Dei penderet immortalitas primi hominis, Adamus absque rationabili causa amittendae vitae periculo proximo se exponens, atque a cibis ad hunc finem a Deo paratis abstinens, graviter deliquisset; mortique, quam Apostolus stipendium peccati vocat, haud dubie succubuisset.

LXXII. *Objicitur IV.* Mors B. Mariae Virginis. Beatissima virgo Deipara, quamvis juxta communissimam veramque Catholicorum Doctorum sententiam peccatum originale numquam contraxerit, a morte tamen non fuit immunis. Ergo mors corporis non est poena peccati originalis. R. C. A. N. C. B. Virgo Deipara mortis debitum non persolvit ob peccatum quod contraxit; sed ob peccatum Adami, prout illud erat perso-

nale, ac physice proprium Adami; cum mors sit effectus proximus peccati ipsius primi parentis; ob quod justissime meruit, ut ipse et sua posteritas spoliarentur a Deo dono gratuito immortalitatis. Vide dicta superius Numero LVIII.

CONTROVERSIA IV.

AN BEATA VIRGO DEIPARA ABSQUE ORIGINALI MACULA CONCEPTA FUERIT?

LXXIII.

Equidem haec controversia, quam pertractandam suscepimus, supremo Ecclesiae judicio nondum ita decisa est, ut contrariae sententiae patroni aut haereticis adnumerari, aut aliqua Theologica censura perstringi a nobis possint, aut debeant: quia tamen hanc passim a Dogmaticae Theologiae tractatoribus solide propugnatam invenio, operae pretium esse existimavi illustrem hanc ac pervagatam quaestionem Theologiae Polemicae studiosis paulo uberius exponere, ut Mariana gloria splendidius emicet, tantaque pulchritudine illecti, omnes Divinam Matrem, perfectissimum illud Sanctissimae Trinitatis Opus, ac Sacrarium, intimo cordis affectu prosequantur, atque unice in oculis gerant.

LXXIV. Ne in limine quaestionis offendamus, notandum est duplicem distingui hominis conceptionem. Una est inchoata ac seminalis, quae aliud non est, quam coagmentatio materiae in utero matris, aptae ad incho-

andum foetum. Altera est consummata, quae vitalis seu animalis dicitur, quando nimirum in corpusculum jam satis praeparatum ad eliciendas vitales operationes, infunditur a Deo creante rationalis anima: atque idcirco animatio etiam appellatur. In praesenti itaque controversia non loquimur de conceptione inchoata ac seminali; cum enim sola anima sit capax peccati, certum atque exploratum est, peccatum originale ante creationem animae rationalis a nemine contrahi posse: sed tantum sermo nobis est de conceptione consummata ac vitali; an videlicet Dei Genitricis anima in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuerit ex speciali Dei gratia ac privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi, a macula originalis peccati praeservata. Dixi I. *In primo instanti creationis atque infusionis.* Quod enim in secundo instanti, aut saltem ante nativitatem mundata fuerit, facile etiam a contrariae sententiae patronis admittitur, eoquod Ecclesia Nativitatem B. Mariae velut sanctam colat. II. *Ex speciali Dei gratia ac privilegio, intuitu meritorum Christi.* Cum enim Deipara per ordinariam generationis viam ex Adamo ortum traxerit, certumque sit, Christum omnium hominum, nullo excepto, redemptorem esse, necessario dicendum est, Beatissimam Virginem de se, praescindendo a speciali Dei gratia, et meritis Christi Domini, obnoxiam futuram fuisse peccato originali.

LXXV. Neque dicas cum Erasmo Roterodamo, tantam hanc de immaculata B. Virginis conceptione quaestionem inutilem esse ac supervacaneam, eoquod parum aut nihil intersit, si dicatur B. Virginem exiguo tempore, aut etiam unico momento peccato originali maculatam fuisse, ac postea mundatam. ut enim

nihil dicam de summis Pontificibus et Ecclesiae praesulibus, Doctoribus, universi Catholici orbis Academiis, de Imperatoribus, Regibus, Principibus, qui omnes in Immaculatae Conceptionis tutelam et cultum ea qua valent authoritate, studio, animique contentione incumbentes, illam gravissimi momenti rem esse factis ipsis abunde contestantur optabilius Beatae Virgini, fuisset concipi filiam adoptivam Dei, et non servam diaboli vel unico etiam temporis momento, quam concipere hominem Filium Dei naturalem, et esse Dominam Angelorum. Quis igitur inficias ibit, gravissimi momenti esse quaestionem hanc, fuerit ne a tanto malo immunis sanctissima Dei Genitrix?

LXXVI. *Conclusio.* Beatissima Virgo absque originali macula concepta, atque in primo creationis suae instanti sanctificata est. Prob. I. Authoritate Ecclesiae. Universalis. Ecclesia cultum publicum, sacrificium et Officium Canonicum praecipit et exhibet in honorem Sanctitatis Conceptionis B. Mariae, seu in honorem ipsius Deiparae, ratione sanctitatis in primo instanti suae creationis. Ergo Deipara in primo creationis suae seu animationis instanti fuit sancta, adeoque peccatum originale non contraxit; cum illud in eodem instanti stare non possit cum gratia sanctificante: alias duo contradictoria in eodem instanti darentur, gratia sanctificans nempe, ejusque privatio. P. A. Authoritate Pontificum, praecipue Alexandri VII. paulo inferius adducenda, atque ex ipsis verbis divini Officii, quod ea die recitandum est. *Cum jucunditate Conceptionem B. Mariae celebremus. Gloriosae Virginis Mariae Conceptionem dignissimam recolamus. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptio-*

nem. P. C. Certum est, Ecclesiam instituere et decernere non posse cultum sacrum et religiosum, praecipue Sacrificii et Officii divini, publice et universaliter exhibendum in honorem alicujus personae tamquam Sanctae, quae Sancta vere non fuerit, sed peccato infecta: alias praeciperet cultum materialiter saltem superstitiosum; siquidem cultum religiosum illi decerneret, qui cultu dignus non est. Ergo cum Ecclesia universa die VIII. Decembris Marianae Conceptioni cultum exhiberi decreverit per Officii divini recitationem, et Missae celebrationem, Mariana Conceptio vere Sancta est atque ab originaria noxa immunis.

LXXVII. Quanti ponderis sit hoc argumentum, luculenter colligitur ex S. Augustino, qui Sermone II. in Nat. S. Cyriani scribit: *Quando natus est, ignoramus; et quia hodie passus est, Natalem ejus hodie celebramus, sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus: Illo enim die traxit originale peccatum; isto autem die vicit omne peccatum.* Patres et Doctores posteriorum temporum Nativitatem B. Mariae Sanctam, atque a peccato immunem fuisse ex eo potissimum evincunt, quod Ecclesia Nativitatem B. Mariae celebret. S. Ildephonsus Toletanus, aut ut Mabillonio et Lucae Acherio videtur, S. Paschasius Radbertus Lib. de Parturitione Virginis scribit: *Enim vero si non beata esset et Gloriosa,* (Nativitas B. Mariae *nequaquam ejus festivitas celebraretur ubique ab omnibus; sed quia tam solemniter colitur, constat ex Authoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis.* S. Bernardus Epist. CLXXIV. ad Canonicos Lugdun. *Non fallitur omnino Sancta Ecclesia, Sanctum reputans ejus nativitatis diem, et omni an-*

no cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. S. Thomas III. Parte, Quaest. XXVII. Art. I. *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi de aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata.* S. Bonaventura in III. Sententiarum, Dist. III. Quaest. I. Art. III. *Dicendum, quod pro indubitato habet hoc Ecclesia, videlicet quod B. Virgo fuerit in utero sanctificata: et illud ex hoc patet, quod ejus Nativitatem tota Ecclesia celebrat; quod non faceret nisi sanctificata esset.* Eidem fundamento instituerunt *Petrus de Tarantasia*, postea *Innocentius V.* in III. Dist. III. Quaest. I. Art. I. *Henricus Gandavensis* Tom. II. Quodlib. XV. Quaest. XIII. *Alexander de Ales. III.* parte summae Theologicae, Membro II. Quaest. IX. Art. IV. *Durandus a S. Portiano* in III. Sentent. Dist. III. Quaest. II. aliique. Ex quo manifeste colligitur, etiamsi aliqui Patres, vel Doctores negassent immaculatum Virginis conceptum, hodie tamen si viverent, viderentque festum Conceptionis, perinde ac Nativitatis, vel Assumptionis, ab universa Ecclesia celebrari, eos absque ulla dubitatione, ob manifestam doctrinae consecutionem, sententiam nostram ut certissimam fore amplexuros.

LXXVIII. Prob. II. Authoritate Patrum, apud quos quamvis haec propositio disertis verbis non reperiatur, *B. Virgo caruit peccato originali*: eoquod haec quaestio nondum exorta fuerit; certatim tamen Patres, praecipue Graeci, Beatissimam Virginem vocant *Immaculatam, omni semper macula carentem, omnibus modis Sanctam, Cherubinis ac Seraphinis longe puriorem, solam sine omni peccato, terram nunquam*

maledictam etc. Quae verba significant eam non venia-li tantum, verum etiam originali peccato caruisse; alias non esset *sola* sine omni peccato, cum etiam infantes baptizati nulla culpa personali sint inquinati: neque esset immaculata, siquidem originali noxa fuisset vitiata; cum apud Latinos, atque antiquum Graecum interpretem in Psalm. CXVIII. apud S. Chrysostomum Tomo V. immaculatus is dicatur, *qui omni scelere, flagitio et sorde liber est.* Neque Angelis fuisset purior, qui nec originali, nec personali peccato umquam fuere inquinati. Integros Patrum textus exhibet Benedictus Plazza in praeclaro Opere, cui titulus: *Causa immaculatae Conceptionis B. V. Maria*, Actione II. Artic. III. Ex Latinis Patribus duo tantum testimonia profero. S. Ambrosius Sermone XXII. in Psalm. CXVIII. de B. Virgine scribit: *Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* S. Augustinus Lib. de Natura et Gratia, Cap. XXXVI. postquam docuit, ex peccato originali factum esse, ut nemo etiam sanctissimus, sit absque omni peccato actuali, ab hac communi sorte excipit Beatissimam Virginem his verbis: *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.*

LXXIX. Neque dicas, Augustinum hic a solis peccatis personalibus B. Virginem excipere. Nam I. haec exceptio, *cum de peccatis agitur*, est omnino generalis. II. Virgini, ait, plus gratiae collatum fuisse ad vincendum *omni ex parte* peccatum. Atqui Deipara non

omni ex parte peccatum vicisset, siquidem aliquando peccatum originale contraxisset. III. B. Virginem ait excipiendam esse *propter honorem Domini*. Honor autem Domini non minus originalis, quam personalis culpae immunitatem in Matre sua postulare videtur. IV. S. Augustinus ex peccato originali colligit ac deducit illam impotentiam moralem, quae inest singulis hominibus, vitandi omnia et singula peccata venialia. *Propterea*, inquit Lib. V. contra Julianum, Cap. XV. *nullus est hominum, praeter ipsum*, (Christum) qui *peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu; quia nullus est hominum, praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu.* Ergo cum eam gratiam B. Virgini collatam fuisse concedat, qua omni ex parte vinceret peccatum actuale, sive personale, supponit pariter, negatam ei non fuisse gratiam illam, qua vitaret peccatum originale.

LXXX. Prob. III. Authoritate Conciliorum. In *Tridentino* plerique Patres, teste *Ambrosio Catharino* in Disputatione pro veritate Immaculatae Conceptionis, suffragium suum dederunt, ut speciale Decretum ederetur de Immaculata B. V. Conceptione. Editum tamen non fuit ob instantissimas preces paucorum Episcoporum, et Theologorum O. P. Sessione autem V. ad finem Decreti de peccato originali addita fuit haec declaratio: *Declarat tamen haec sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Haec declaratio, quamvis in antiquiori-

bus aliquot sex primarum Sessionum editionibus non inveniatur, legitima tamen est, atque unanimi Patrum omnium consensu approbata, ut testantur *Ambrosius Catharinus* l. c. *Dominicus Sotus* Commentario in Epist. ad Romanos Cap. V. *Alphonsus Salmeronius*, ac *Petrus Canisius*, qui omnes Concilio interfuerunt; legiturque in editione Mediolanensi anni 1548, atque in Romana totius Concilii editione jussu et authoritate Pii IV. adornata, omnibusque posteriosibus editionibus. Jam vero Tridentina Synodus per hanc B. Virginis exceptionem declaravit, suae intentionis non esse Dei Genitricem comprehendere in illa sua generali doctrina, ex Scripturis, Patribus, Conciliis, et Ecclesiae judicio eruta de peccato originis in omne genus humanum transfuso, ac per regenerationis lavacrum expiando. Sensit ergo Concilium ea omnia sarta tectaque manere, tametsi B. Virgo excipiatur: seeus Tridentinum declarationem illam adjiciendo, Catholica Scripturarum, Patrum, Conciliorum, et Ecclesiae de originali peccato doctrinam, quam in eo Decreto se tradere profitetur, minus sincere et integre nobis exposuisset. Unde fit per hanc Tridentini Concilii declarationem erepta esse adversariis arma omnia, quibus immaculatam Deiparae Conceptionem ex Scriptura, Patribus, et Ecclesiae judicio solide impugnare queant; magnumque piae sententiae emolumentum accessisse, quod Tridentinum Constitutiones Sixti IV. innovaverit, ac confirmarit.

LXXI. Prob. IV Authoritate Pontificum. *Sixtus IV.* A. 1476. Constitutionem edidit, cujus initium, *Cum praecelsa meritorum insignia*, in qua Conceptionis festum authoritate sua solemniter instituit, nondum authentica atque indubia Sedis Apostolicae authoritate fir-

matum, easdemque devote festum Conceptionis celebrantibus concessit indulgentias, quas luerari possunt fideles festo Corporis Christi, Missamque et Officium peculiare designavit cum hac oratione: *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; concede quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii rui praevisa, eam ab omni labe praeservasti: ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.* Atque haec oratio per centum fere annos a Sixti IV. ad Pii V. usque tempora in Ecclesia Catholica usurpata est. A. 1482. altera Constitutione, *Grave nimis gerimus, et molestum,* damnavit et reprobavit Sixtus IV. *hujusmodi assertiones eorumdem Praedicatorum, et aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eamdem Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat conceptione et sanctificatione ejusdem Virginis gloriosae festum celebrare; et eos, qui crederent et tenerent, eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicujus haeresis labe pollutos fore.* Atque, ut in tertia Constitutione A. 1483. ejusdem ferme tenoris additur, *vel mortaliter peccare aut Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas: et a veritate penitus alienas: editosque desuper libros praedictos id continentes, quoad hoc authoritate Apostolica, tenore praesentium reprobamus, et damnamus.* Praedicatores dein Verbi Dei, qui ausu temerario docuerint has propositiones damnatas veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere praesumpserint, vult excommunicationem incurrere Sedi Apostolicae reservatam. Simili poenae ac

censurae subjicit eos, *qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, vel peccatum incurrere mortale: cum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum.*

LXXXII. *S. Pius V.* A. 1568. Conceptionis festum in Romano Breviario et Ecclesiastico Calendario stabiliter collocavit inter alia festa, ab Ecclesia Dei universa divinis Officiis de praecepto celebranda. Officium vero Conceptionis sub Sisto IV. editum suppressit, data Franciscanis Patribus tantummodo facultate illud recitandi; non quod in eo aliquid reprobatione dignum invenerit, sed ut omnia ad pristinum morem reduceret, et conformem toti Ecclesiae praescriberet publicarum precum rationem: eo enim tempore varia circumferebantur de Conceptione B. Virginis Officia, Leonardi de Nogarolis, Bernardini de Bustis, Francisci Quignonii, Roberti Gaguini etc. Ex tot igitur Officiis peropportunum judicavit S. Pius V. primaevum illud seligere, et recitandum praescribere, quod Abbati Helsino coelitus praescriptum fuerat, juxta ritum et formam Nativitatis, mutato tantum *Nativitatis* nomine in *Conceptionis*. Quapropter S. Pius V. non obscurasse, sed illustrasse censendus est cultum Conceptionis. Sicut enim Ecclesia in festo Nativitatis B. Mariae non illius sanctificationem, quocumque demum tempore contigerit, devote celebrat, sed ipsam ejus Nativitatem tamquam sanctam colit: ita etiam in festo Conceptionis non celebrat sanctificationem B. Mariae pro quacumque temporis differentia, sed ipsam ejus conceptionem tamquam sanctam et immaculatam veneratur.

LXXXIII. *Paulus V.* A. 1616. sub poenis et censuris in Bulla Sixti IV. contentis gravissime omnibus prohibuit, ne quis audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta in peccato originali. *Gregorius XV.* A. 1622. quia scandala, dissensiones ac discordiae in populo Christiano ortae sunt ob sententiam piae contrariam, ampliavit, et extendit Decretum Pauli V. etiam ad privata colloquia et scripta, *Mandans et praecipiens omnibus et singulis supradictis ne de caetero donec articulus hujusmodi a Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum; neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit aliter super hoc specialiter indultum.* Indulsit autem Dominicanis eodem anno 1622. XXVIII. Julii, *Ut in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, et non inter alios, aut cum aliis, de materia ejusdem Conceptionis B. M. V. disserere et tractare, absque ullo poenarum, in dictis Decretis contentarum, incursu libere et licite possint.* Idem *Gregorius XV.* sub gravissimis poenis censurarum etc. omnibus et singulis personis Ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus praecepit, ut in Sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine uti debeant. Dominicani enim voci *Conceptionis* aliam subrogaverant, nempe *Sanctificationis*: quo facto

satis ostendebant, non coli a se animationem B. Mariae; sed mundationem illius a peccato originali per gratiam sanctificantem.

LXXXIV. Jam vero ex Gregoriano hoc Decreto colliges I. Contrariae sententiae humanum omne commercium interdictum esse, omnemque illi ademtam esse facultatem seu publice seu privatim, seu voce seu scripto comparendi: ita ut sola pia sententia tam publice quam privatim, tam ore quam calamo, semper et ubique audiatur. II. Quod contraria sententia non debuisset tam rigido silentio mulctari, siquidem illa Ecclesiasticae disciplinae et Christianae pietati omni ex parte foret consentanea. III. Quod Gregorius XV. praecipiens, ut in divinis Officiis ac Missae Sacrificio *Conceptionis* nomine omnes utantur, hoc ipso praecipiat, ut omnes ipsam Deiparae Conceptionem, utique tamquam sanctam et immaculatam venerentur et celebrent; cum nemini fas sit, in iis praesertim quae ad religiosum cultum spectant, aliud in ore, aliud in mente et corde habere, simulando se colere quod revera non colit. IV. Absurde omnino ab aliquibus dici, *Conceptionis* nomen esse indifferens ad utramque sententiam: aut nomine Conceptionis intelligi *Sanctificationem* quocumque demum instanti eadem contigerit. Hac namque ratione omnes Pontificum sanctiones eludi facile possent, comminiscendo, aliam verbis significationem a Pontificibus tributam fuisse. Numquid enim absurdum non est dicere, vocabularium Ecclesiasticum a Gregorio XV. reformatum fuisse, nomenque Conceptionis, quod antea primam B. Virginis animationem significabat, in divinis Officiis longe aliud significare coepisse, quin Pontifex clare et expresse fideles moneret de mutato a se Conceptionis si-

gnificatu, ne eos in errorem induceret? Numquid si Conceptio sanctificationem pro quocumque instanti significaret, non inepto egisset Gregorius adversariis severissime prohibendo, ne amplius verbo Sanctificationis, sed Conceptionis in Missa et Officio utantur? Numquid Catholicos Reges Philippum III. et IV. insigniter non ludificasset Gregorius, qui per Oratorem suum postulaverant a Pontifice ut in celebrando Mysterio Conceptionis omnes juberentur ritum, vocem, et sensum Ecclesiae usurpare, nec cuiquam in posterum liceret sub sanctificationis, aut alterius cujusquam vocis varietate ab ea discrepare?

LXXXV. *Alexander VII.* A. 1661. Constitutionem edidit, cujus initium est, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.* In hac Pontifex ita loquitur: *Nos considerantes --- volentesque laudabili huic pietati, et devotioni, et festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana, post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum Praecedessorum nostrorum exemplo favere; nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, e peccato originali praeservatam --- Constitutiones et Decreta a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo X, Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam B. Mariae Virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi, et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti; innovamus, et sub censuris et poenis, in eisdem*

Constitutionibus contentis, observari mandamus. Hac itaque Constitutione declarat Alexander, non ea definiendo tamquam Ecclesiae dogmata, sed ita asseverando, ut pro certis atque exploratis apud fideles sint habenda, I. Romanam Ecclesiam olim celebrasse festum Conceptionis, ut immaculatae, et ab originali peccato immunis. II. Hoc festum et hunc cultum Conceptionis olim exhibitum in Ecclesia Romana, post ipsius cultus institutionem, numquam immutatum fuisse: Objectum festi Conceptionis quod, Romana Ecclesia celebrat, ipsam esse Deiparae, ab originali, peccato praeservatae, conceptionem immaculatam, quod Catholicus Rex *Philippus IV.* in libello supplici enixe postulabat a Pontifice declarari. *Quatenus*, ajebat, *declarare dignetur suo speciali decreto, motivum, seu objectum praedictae festivitatis esse, et fuisse gratiam primi instantis, in quo creata fuit Sanctissima Virginis anima, ab originali peccato praeservata.* III. Sanctam Apostolicam Sedem, per Romanos Pontifices praedecessores suos, sensui et cultui Immaculatae Conceptionis, secundum piam sententiam, constanter favisse, atque in hunc scopum Conceptionis festum instituisse, Officium ordinasse, Indulgentias concessisse, Religiosos Ordines et Confraternitates approbasse, vocem tam publicam quam privatam adversariis eripuisse, divinaque Officia sub uno Conceptionis titulo ac nomine celebrari jussisse. Illud praeterae observo, si quid in Constitutionibus ac Decretis Praedecessorum suorum conniventia, datum fuisset contrariae sententiae, Alexandrum VII. hac sua Constitutione innovare ac confirmare minime voluisse, dataque opera idcirco abstinuisse a clausula illa, quam Paulus V. et Gregorius XV. adjecerunt, *de*

praejudicio contrariae sententiae non inferendo, praeterquam quoad supra disposita.

LXXXVI. Prob. V. Authoritate Theologorum et Accademiarum. A. Saeculo XIII, quo primum in Scholis agitari coepit haec quaestio, ad Saeculum usque XV. praeter Henricum Gandavensem, Aegydium Columnam, Durandum a S. Portiano, Alvarum Pelagium, et Gregorium Ariminensem, qui in adversariorum castris militarunt, piam sententiam invicte propugnarunt Joannes Duns Scotus, Petrus Aureolus, Franc. de Mayronis, Joannes Bassolius, Guillielmus de Rubione, Petrus de Aquila Scotellus, Thomas de Argentina, Franc. Martini, Petrus de Alliaco, Joannes Charlier Gersonius, Joannes de Segovia, Alphonsus Tostatus, Nicolaus Cusanus, Guillielmus Vorrilongus, Nicolaus Orbellus, Dionysius Richel Carthusianus, Jacobus de Valentia, Gabriel Biel, Pelbartus de Temesvar, Ambrosius Spiera, Marsilius ab Inghen, Joannes Trithemius. Priorem sententiam immaculatae Conceptioni adversantem retractarunt, piae adhaerentes, B. Albertus Magnus in Bibliis Marianis, et in Quaestionibus super *Missus est*, Quaest. XXXI. et Quaest. CLXXVII. Petrus Paludanus Enarratione I. in Evangelia de Tempore, part. Hyem. S. Bonaventura Serm. I. et II. de B. V. M. et parte II. Opuscul. de VII. gradibus contempl. Richardus de Media villa Lib. de Conceptione B. V. ut refert. *Wadingus* Lib. de Scriptoribus Ord. Minorum, Nicolaus Lyranus in Cap. IV. Libr. III. Esdrae, et in Cap. IV. Epist. I. ad Thessalon. Joannes Baconius in IV. Sentent. Dist. II. Quaest. II. Art. III. et IV. Richardus Armacanus Serm. de Conceptione B. M. Avenione habito in Conventu Carmelitarum A. 1342. ut testatur *Thomas Waldensis* Tomo III.

de Sacramentalibus, Cap. LXXXIX. Cuinam sententiae S. Thomas Doctor Angelicus adhaeserit, paulo inferius examinabimus. A Saeculo XV. ad nostra usque tempora, nullos invenire est Theologos alicujus nominis, nisi solos, etsi non omnes, Sacri Ordinis Praedicatorum Magistros, Capreolum, Turrecrematam, Bandellum, Cajetanum, Spinam etc. qui adversus immaculatum Virginis conceptum calamum strinxerunt.

LXXXVII. Theologos Marianae innocentiae vindices secutae sunt Accademiae. *Parisiensis* Facultas Theologica jam Anno 1387. *Joannis de Montesono* O. P. XIV. solemni ritu proscripsit propositiones, quatuorque ex illis, nempe X. XI. XII. XIII. quibus significabatur, *B. Virginem non contraxisse originale peccatum, esse expresse contra fidem, vel contra Sacram Scripturam*, pronuntiavit esse revocandas, tamquam falsas, scandalosas, et priarum aurium offensivas, ac praesumptuose assertas. A 1497. eadem sacra Facultas Parisiensis solemni juramento se obstrinxit defendendi semper Conceptionem B. M. V. ab originali peccato immunem; statuitque neminem deinceps Facultatis sacrae Collegio adscribendum esse, nisi se hujus religiosae doctrinae strenuum propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteretur. Academia Coloniensis A. 1499. hanc ipsam doctrinam suis praescripsit. A. 1501. Academia Moguntina. A. 1617. Complutensis, Compestellana, Caesaraugustana, Granatensis, Toletana etc. nemini Theologicum gradum conferre decreverunt, nisi tactis Evangeliis promitteret, reciperet, sponderetque, se piae sententiae semper adhaesurum, eamque pro viribus propugnaturum. Idem a reliquis Academiis Germaniae, Italiae, Galliae, Belgii, Hispaniae, Lusita-

niae, Poloniae, Hungariae, factitatum est; adeo ut vix ulla sit in toto Catholico orbe Academia, quae immaculatum Virginis conceptum tuendum sibi, propugnandumque non proposuerit. Quanti autem sit ponderis communissima ac gravissima haec Theologorum, atque Universitatum authoritas, nemo est qui ignoret. Vide *Benedictum Plazza* tota Actione. VII.

LXXXVIII. Prob. VI. ex communissimo sensu ac fere universali Fidelium. Immaculatum Virginis conceptum non Academiae solum tuentur ac Theologi, verum etiam Pontifices, Episcopi, Clerus, Imperatores, Reges, Principes, Senatus, Populus: Omnes sacri Ordines, Dominicanos si demas, Benedictinus, Carthusianus, Cisterciensis, Coelestinus, Praemonstratensis, Augustinianus, Seraphicus, Carmeli, et Societatis Jesu etc. Adeo ut in hac causa merito locum habeat illa S. Augustini sententia Epist. VII. nunc CXLIII. ad Marcellinum: *Neque enim ut videamus quam hoc sit verum, Scripturarum authoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis ita verum esse perspicua ratione proclamat, ut quisquis contradixerit, dementissimus habeatur.* Et Epist. XCIX. nunc CLXIV. ad Evodium: *Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas.* Quanti faciendus sit fidelium consensus, satis ostendit Joannes Cassianus Lib. I. de Incarnatione Christi, Cap. VI. scribens: *Sufficere ergo solus nunc ad confutandam haeresin deberet consensus omnium: quia indubitatae veritatis manifestatio est authoritas universorum; et perfecta ratio facta est, ubi nemo dissentit: ita ut, qui contra hoc sentire nitatur,*

hujus prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quam damnanda perversitas. Quia praejudicium secum damnationis exhibuit, qui judicium universitatis impugnat: et audientiae locum non habet, qui a cunctis statuta convellit. Profecto verisimile non est, permissurum fuisse Spiritum Sanctum, ut universa ferme Ecclesia in re tanti momenti decipiatur: immo credendum est, ex illius inspiratione hunc universorum ferme fidelium sensum affectumque manasse. Neque hujus authoritatem infirmat perpaucorum dissensus: ubicumque enim communi consilio et deliberatione res agitur, quod omnes fere, paucissimis tantum exceptis, sentiunt atque decernunt, id omnium simpliciter consilio ac deliberatione ratum sanctumque habetur. In iis quippe rebus, quarum judicium ab aliqua universitate pendet, universitas non arithmetice, sed moraliter aestimanda est. Cum igitur Christus suam et Spiritus Sancti praesentiam universae promisit Ecclesiae, ne in rebus ad fidem et religionem spectantibus a vero aberraret, de Ecclesia locutus est universa, non arithmetice, sed moraliter aestimata; ne sua promissio cavillationibus pateret, et deludi facile posset. Praeterea si obnoxius foret errori hujusmodi communis Catholicae Ecclesiae sensus, cui perpauci tantum resistunt, argumentum ex eo deductum nullam umquam haberet vim ad refellendos novos errores in Ecclesia Dei subortos. Dicerent enim eorum authores et sectatores, nondum ab Ecclesiae communione aperta defectione separati, contrarium sibi non esse unanimem totius Ecclesiae sensum, cum et ipsi sint pars Ecclesiae. Plura argumenta congerunt Theologi Marianae gloriae vindices, a quibus consulto abstinemus, ne

nimis prolixi simus. Vide *Card. Coelestinum S fondrati* in Innocentia vindicata.

LXXXIX. *Quaeres I.* An antiquus sit Immaculatae Conceptionis cultus in Ecclesia Dei? R. affirmative. Et quidem in Graeca Ecclesia celebratam fuisse Conceptionem Deiparae jam Saeculo V. clare colligitur ex Typico *S. Sabbae* Abbatis, id est, ex ordine recitandi Officium per totum annum; die enim IX. decembris signatur *Conceptio S. Annae, Matris Deiparae*, quo nomine graeci intelligunt conceptionem activam S. Annae, et passivam Deiparae. Saeculo VII. *S. Andreas Cretensis* Canones et Triodia composuit pro Ecclesiasticis Officiis Graecorum. Primus horum Canonum hunc habet titulum: *Die IX. Decembris Conceptio Sanctae, ac Dei Aviae Annae. Tuam hodie, Religiosa Anna, celebramus conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis, eam utero conceperis, quae eum potuit capere, qui nusquam capi potest.* Saeculo IX. plures a Patribus Graecis habitae sunt orationes, sive homiliae ad populum de immaculata Conceptione B. M. nempe a Georgio Nicomediensi, S. Petro Argorum Episcopo, et Leone VI. Philospho, Imperatore CPolitano. Saeculo X. Conceptionem B. M. in universa Ecclesia Graeca solemnem fuisse patet ex Menologio, jussu Basilii junioris ante annum 984. conscripto, in quo V. Idus Decembris, more Graecorum, notatur *Conceptio S. Annae Matris Genitricis Dei.* Saeculo XII. Marianae Conceptionis Festum in toto Navarrae regno sanctum ratumque fuisse ostenditur ex Collectaneis de Vita et veneratione S. Veremundi Abbatis apud *Bollandi* Continuatores in Actis SS. Tomo I. Martii. Solemnitatem hanc in Anglia celebriorem fuisse constat tum ex Epistolis Nicolai Mona-

chi ad Petrum Abbatem Cellensem: tum ex Vita Gaufridi Abbatis Monasterii S. Albani, qui, teste Matthaeo Paris, Conceptionem Deiparae in cappis festive celebrari statuit. In Gallia quoque, praecipue in Ecclesia Lugdunensi propagatum fuisse hunc cultum, testatur Epistola S. Bernardi CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenses. Idem de Flandria, Hannonia, Dioecesibus Namurcensi et Leodiensi, ac finitimâ Germania ostendunt diplomata Principum, ac instrumenta authentica. Saeculo XIII. *S. Bonaventura* Magister Generalis Seraphici Ordinis, Pisis in Comitiis Generalibus Anno 1263, teste Wadingo Tom. II. Annal. Ord. Minorum, *statuit, ut hae novae festivitates admitterentur in Ordine, videlicet Conceptionis B. V. Mariae, Visitationis ejusdem etc.* Saeculo XIV. Statuto Synodali Ecclesiae Cameracensis, et Concilii Provincialis Londinensis mandatum est, ut tamquam festivum et solemne celebraretur Festum Conceptionis, idemque praescriptum est a Synodo Suessionensi Anno 1334. Celebrabatur pariter Avenione Festum Conceptionis a Romana Curia cum frequentia Cardinalium, solemni Missa et sermone in Ecclesia Fratrum Carmelitarum, ut testatum reliquerunt insignes duo Carmelitani Theologi Joannes Baconius, et Franciscus Martini. Eamdem Conceptionem ab Universitatibus quoque Parisiensi, Oxoniensi, et Cantabrigiensi celebratam fuisse, edito in hanc rem decreto, refert idem *Baconius* Tomo II. in Lib. IV. Sentent. Dist. II. Quaest. IV. Art. III. Anno 1378. Synodus Caesaraugustana decrevit, ut Festum Conceptionis B. M. tam ab Ecclesiasticis quam a populo quotannis celebraretur, quiescendo ab omni opere servili. A. 1388. Fratres Praedicatores in Galliis adacti fuerunt, Regis

authoritate, ad propositiones Joannis de Montesono publice revocandas, et Festum Conceptionis B. M. celebrandum, ut refert *Spondanus* Tomo I. Continuation. Annal. Ecclesiast. Baronii, ad annum 1387. Num. VII. Anno 1394. Joannes I. Aragoniae Rex idem Festum in omnibus regnis suis ac provinciis celebrari jussit. Saeculo XV. Synodus Basileensis, quae lucidum quandoque intervallum habuit, Sess. XXXVI. Festum Conceptionis B. M. ab universa Ecclesia celebrandum constituit. *Sixtus IV.* Anno 1476., hujus festivitatis institutioni Apostolicae firmitatis robur adjecit, edita Constitutione, *Cum praecelsa etc.* Missam quoque et officium, propria ac peculiaria, pro eo festo devotius celebrando instituit; et haec recitantibus vel audientibus easdem prorsus indulgentias, et peccatorum remissiones largitus est, quas Urbanus IV. Missam, et Horas Canonicas in Festo Corporis Christi recitantibus, vel audientibus indulserat. Saeculo XVI. Anno 1568. *S. Pius V.* Festum Conceptionis Deiparae in Calendario Breviarii Romani a se reformati collocandum mandavit; eique Officium instar Officii Nativitatis ejusdem B. Virginis assignavit, atque ab omnibus Ecclesiasticis recitari jussit. Saeculo XVII. Anno 1602. *Clemens VIII.* Conceptionis Festum ad ritum duplicis majoris, Anno vero 1693. *Innocentius XII.* ad ritum duplicis secundae classis cum Octava evexit, atque ab universa Ecclesia servari mandavit. Saeculo XVIII. Anno 1708. *Clemens XI.* Conceptionem Deiparae inter festos dies de praecepto ab universa Ecclesia servandos retulit. Anno 1742. *Benedictus XIV.* die Immaculatae Conceptioni sacro Capellam Pontificiam in Liberiana Basilica quotannis in perpetuum celebrari constituit. Fusius haec enarrat

Benedictus Plazza in Causa Immaculatae Conceptionis B. M. V., Actione III. Articulo II. Paragr. I.

XC. *Quaeres II.* An pia sententia probabilitatis limites excedat? R. piam sententiam non modo probabilem, aut opposita probabiliorem, verum etiam stricte moraliter certam esse, adeo ut omne prudens dubium de opposito excludat, ut patet expendenti probationes, et rationum momenta, quibus sententiam nostram communivimus. Piae etenim sententiae aperte suffragatur authoritas Ecclesiae, Festum Immaculatae Conceptionis solemniter instituentis ac celebrantis: favor Patrum, Tridentini Concilii, ac Pontificum Romanorum a Sixto IV. ad nostra usque tempora: consensus non populorum modo, verum etiam Doctorum, Academiarum, Religiosorum Ordinum, atque Episcoporum: pietas singularis omnium ordinum erga immaculatam Deiparae conceptionem: invicta cum Assumptione et Nativitate B. Mariae paritas. Quae omnia certitudinem pariunt, non illam quidem fidei propriam, vere tamen ac stricte Theologico-moralem.

XCI. Neque dicas I. Si paritas rite institui posset inter Festum Conceptionis et Nativitatis, eum qui Deiparam absque macula conceptam fuisse negat, erroris ac temeritatis arguendum esse, aeque ac qui sanctam fuisse ejus Nativitatem it inficias. II. Contrariae sententiae, cui omnis probabilitas adimitur, censuram inuri, contra Pontificias Constitutiones. Nam. R. ad I. Inter illam de sancta Nativitate, atque hanc de immaculata Conceptione B. Mariae sententiam hoc tantum discrimen intercedere, quod Theologi sententiam Nativitatis sanctitati contrariam temeritatis et erroris impune damnare possint: at vero opinionem immaculato conceptui

adversantem nulla Theologica censura afficere valeant, Sede Apostolica justis de causis id graviter prohibente. Haec tamen prohibitio certitudini piae sententiae minime officit; quia non impedit, quo minus Sedes Apostolica praecipiat colere, et universalis Ecclesia colat, non tamquam mere probabilem, sed tamquam simpliciter veram, Marianae Conceptionis sanctitatem, quam Alexander VII. Anno 1662. in disputationem, vel in dubium revocari severissime prohibuit. Ad II. R. Dum contrariam sententiam absolute improbabilem dicimus, nullam ei censuram inurimus, quia improbabilitas non est censura Theologica.

XCII. *Quaeres III.* An fieri possit, ut pia sententia quocumque tempore a Sede Apostolica damnetur tamquam haeretica, vel peccaminosa? R. negative. Cum enim Sixtus IV. damnaverit tamquam falsum, erroneum et a veritate penitus alienum, quod pia sententia sit haeresis, vel materiam contineat peccati mortalis: hoc ipso definivit tamquam certum, certitudine saltem conclusionis Theologicae propria, quod sententia docens, Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sui Conceptione praeservatam fuisse, non sit haeresis, nec materiam contineat peccati mortalis. Ergo pia sententia numquam damnari potest a Sede Apostolica, tamquam haeretica vel peccaminosa: neque contraria unquam definiri potest tamquam de fide. P. A. Damnatio unius propositionis, servata proportione, est definitio alterius contradicentis. Ergo sicut hoc ipso, quod Ecclesia damnet propositionem aliquam tamquam haereticam, alteram contradicentem definit tamquam de fide: ita hoc ipso, quod Ecclesia damnet aliquam propositionem tamquam erroneam, alteram contradicentem

definit tamquam concl usionem Theologicam, cui error opponitur.

XCIII. Probatur etiam Conseq. I. enthymematis. Judicium Pontificis in ferendis censuris propositionum ad fidem vel mores spectantium, est infallibile; non solum quando declarat propositionem aliquam esse haereticam, verum etiam quando declarat propositionem aliquam esse erroneam vel scandalosam. Ergo judicium Sixti IV. retractari amplius non potest. P. A. tum ex constanti Theologorum doctrina, qui oppositum censent falsum esse et erroneum: tum etiam ratione solidissima. Ecclesia Pastorem suum ex Cathedra loquentem semper tenetur audire, cum de rebus ad fidem et mores spectantibus ab eo instruitur. Si ergo Pontifex in iis aliquando erraret, tota in errorem induceretur Ecclesia, quod fieri non posse certo nobis constat ex Christi promissionibus. Id ipsum in praesenti materia admitti debet etiam ab illis; qui solius Romani Pontificis judicium infallibile non esse autumant ante acceptationem Ecclesiae: Siquidem Oecumenica Synodus Tridentina has ipsas Sixti IV. Constitutiones approbavit, atque innovavit Sessione V.

XCIV. Neque dicas, ex Sixtina Constitutione nihil evinci, quod in illa excommunicationis sententiam ipso facto incurrere dicantur etiam illi, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, vel peccatum mortale incurrere. Haec enim censura non cadit in ipsam assertionem, quae a Sixto IV. damnata non fuit ut falsa, erronea, aut a veritate aliena, sicut damnata fuit assertio adversariorum; sed cadit in assertores, qui hac

poena a Pontifice mulctantur, quod in hoc Religionis negotio Judicis munus sibi arrogent; cum tamen pia sententia nondum sit a Romana Ecclesia decisa.

XCV. *Quaeres IV.* An ratum et honestum sit votum tuendi usque ad sanguinem immaculatum Deiparae conceptum? R. affirmative. Prob. assertio I. Votum hoc versatur circa rem stricte moraliter certam, atque indubitatam, quae cum Religione nostra connectitur. Ergo objectum hujus voti pertinet ad virtutem Religionis, praescindendo etiam a voto. Ergo votum hoc non potest non esse Deo acceptum. II. Licitum, honestum ac Deo gratum est votum fundendi sanguinem pro virginitate tuenda: mortem oppetendi ex charitate in obsequio peste infectorum: moriendi ad servandam patris, vel matris vitam. Ergo cum certum sit, cultum Immaculatae Conceptionis esse pium, et virtutis opus, votum illam tuendi etiam fuso, si opus fuerit sanguine, honestum est, Deoque acceptum. III. Defendenti piam sententiam non aliunde imminere potest periculum amittendae vitae, nisi ab homine perditissimo, qui in contemptum voti, et legis Pontificiae (neque enim alia mens prudenter praesumi potest,) mortem intentet, nisi serio illa asserat, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Quo casu, cum hic contemptus sit intrinsece malus, mors utique ab omnibus est eligenda. IV. Qui hoc votum emisit, firmissime sibi persuadet, piam sententiam esse veram. Ergo si metu mortis impulsus, B. V. Mariam in originali peccato conceptam fuisse diceret, contra mentem loqueretur, falsum crimen Sanctissimae Dei Genitrici affingeret, ac veluti falsum testimonium in eam diceret. Praestat autem millies vitam dare, quam eamdem menda-

cio, falsa criminatione, aut falso testimonio turpiter redimere. Atque haec ratio ostendit, non solum voventi, sed etiam cuicumque firmiter piae sententiae assentienti obligationem impositam esse, eam defendendi usque ad sanguinem, defensione scilicet negativa, id est, eam non abnegandi.

OBJECTIONES.

XCVI. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum, quae absque ulla limitatione asserunt omnes peccasse. Ad Rom. Cap. III. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Et Cap. V. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt etc.* R. I. Gen. Cap. III. omnibus mulieribus in Eva dicitur: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore parios filios.* Ecclesiastici Cap. XL. *Omnia quae de terra sunt, in terram convertentur.* Jacobi Cap. III. *In multis offendimus omnes* III. Reg. Cap. VIII. v. 46. *Non est homo, qui non peccet.* Proverb. Cap. XXIV. *Septies cadet justus, et resurget.* Ecclesiastis Cap. VII. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* I. Joan. I. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Neque tamen ullus adversariorum asserere audet, B. V. Mariam puerperii dolores expertam esse, corpus illius in cineres redactum esse, aut peccatis personalibus inquinatam fuisse. Igitur si textus hi in sensu accommodo sumuntur, cur non et illi, qui originariam noxam in omnes homines fuisse diffusam asserunt? R. II. Si textus hi etiam B. Virginem includerent, Tridentinum nullam habuisset rationem non comprehendendi in suo Decreto de pec-

cato originali B. Virginem: neque Ecclesia Festum instituisset Immaculatae Conceptionis. Cujusnam autem authoritate magis standum est in interpretandis Scripturis, Ecclesiae ne universalis, an paucorum Theologorum, a quorum sententia totus propemodum orbis Catholicus abhorret? Certe universales hae Scripturarum propositiones non includunt omnia omnino individua, illud praesertim, quod, ut juridica utar phrasi, speciali nota dignum est, quodque, vel ob solam Matris Dei dignitatem, exceptionem patitur.

XCVII. *Dices 1.* Juxta Scripturas Christus pro omnibus mortuus est, et dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Ergo etiam Deipara mortua est, et a Christo redempta. Atqui si absque originali peccato concepta est, neque mortua, neque redempta fuisset a Christo. Ergo. R. C. A. D. C. Ergo Deipara a Christo redempta est, redemptione reparativa, seu remissiva peccati, N. C. Redemptione praeservativa, C. C. Quemadmodum B. Virgo a personalibus peccatis, ita etiam ab originali redempta est, redemptione mere praeservativa, quae longe nobilior et excellentior est reparativa, eoquod a pluribus malis liberet. Porro ne quis divisionem hanc redemptionis in reparativam ac praeservativam, velut novam, atque in favorem piae sententiae a posterioribus Theologis excogitatam criminetur, clare eam in Scripturis ac S. Augustino exprimi ostendemus; Psalmo CXLIII. v. 10. dicitur: *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno: eripe me.* Ubi Regius Psaltes loquitur de gladio Goliathi, a quo caesus quidem non fuit, fuisset tamen caedendus, nisi Deus ictum avertisset. Porro sermonem ibi esse de gladio Goliathi, ostendit ipse titulus Psalmi, qui inscribitur,

adversus Goliath. Psalmo LXXXV. v. 13. dicitur : *Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.* In quem sane infernum numquam decidit David ; erat tamen praecipitandus , nisi Deus ipsum ab hoc lapsu praeservasset. S Augustinus Enarratione in Psalm. LXXXV. scribit: *Nescio quis habens causam molestam , mittendus erat in carcerem : venit alius , defendit eam: gratias agens quid dicit? Eruisti animam de carcere. Suspendendus erat debitor , solutum est pro eo : liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant ; sed quia talibus meritis agebantur , ut nisi subventum esset , ibi essent , inde se recte dicunt liberari , quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.* Similia habet Lib. de Natura et gratia , Cap. LXVII. et Lib. II. Confessionum , Cap. VII. Agnovit eam etiam *S. Thomas* II. II. Quaest. CVI. Art. II.

XCVIII. *Dices II.* Ille omnium judicio censeretur haereticus; qui doceret , aliquem determinatum hominem non contraxisse peccatum originale , eoquod Scriptura contrarium de omnibus hominibus testetur. Ergo etiam piae sententiae patroni saltem non conformiter Scripturis loquuntur , quando ab hac labe Deiparam eximunt. R. cum Bellarmino Lib. IV. de Amiss. gratiae , et statu peccati , Cap. XVI. N. A. et Conseq. Fides Catholica id solum requirit , ut credamus , omnes homines qui per carnalem generationem ex Adamo nascuntur , ex eodem trahere originale peccatum , nisi forte singulari privilegio a communi lege quis excipiatur. Proinde cum ad singulos descenditur , non erit continuo haereticus , qui hunc aut illum hominem in peccato originali conceptum fuisse negaverit : sed ta-

men temere id negabit, et jure praesumetur haereticus nisi probabiles attulerit rationes, cur singulare illud privilegium in hunc vel illud hominem convenire censuerit. At vero piae sententiae patroni solidissimis atque invictis rationibus innocentiam Virginis comprobant, cum tamen pro aliis ne probabiles quidem afferri queant.

XCIX. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. Patres Graeci et Latini, praecipue Augustinus, passim solum Christum a peccato originali excipiunt: carnem B. Virginis vocant carnem peccati: Deiparam ajunt a Christo sanctificatam, mundatam, purgatam fuisse. Ergo pia sententia Patribus tam Graecis quam Latinis adversatur. R. praeter dicta Num. LXXVIII. ex Patribus primorum X. saeculorum, quos longissima serie recensere solent adversarii, ne unicum quidem reperiri, qui vel expresse tradat, Deiparam originali peccato infectam fuisse, vel id ab anterioribus Patribus traditum esse referat. Testimonia itaque Patrum ab adversariis referri solita, quibus dicitur, solum Christum a peccato originali excipi, asserimus in sensu accommodo accipienda, atque ab ipsis etiam adversariis limitanda esse. Iidem quippe Patres dicunt, non tantum omnes homines, praeter solum Christum, concipi, verum etiam nasci cum peccato: solum Christum non ab originali tantum, verum etiam a personali peccato immunem esse. Atque hanc doctrinam tamquam inconcussum fidei Catholicae dogma tradunt, oppositam vero tamquam haeresin manifestam explodunt, ut patet ex *S. Augustino* Lib. II. de peccat. meritis, Cap. XXXV. Lib. VI. contra Julianum, Cap. IV. et *S. Fulgentio* Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XXVI. Quis autem adversariorum dicere audeat, Nativitatem

Deiparae sanctam non fuisse, B. Virginem peccata actualia commisisse, piam sententiam haereticam esse, praecipue cum Sixtus IV, et Concilium Tridentinum hanc ipsam assertionem erroneam esse declaraverint, et a veritate penitus alienam? Patres igitur tantummodo contra haereticos contendebant, juxta legem communem omnes homines, praeter Christum, subesse peccato originali, et solum Christum ratione suae Conceptionis, eoquod non ex commercio viri et mulieris natus fuerit, ab eo incurrendo fuisse immunem, immo ab ipso etiam debito illud incurrendi. Sic autem intellecta ejusmodi testimonia piam sententiam non tangunt. Non enim dicimus B. Virginem ex communi lege, aut ratione suae Conceptionis; sed ex privilegio et gratia singulari, ob merita Christi, exemptam fuisse a noxa originali.

C. Porro hanc fuisse mentem Patrum Colligitur I. ex errore Pelagianorum, quem nervis omnibus evertere conabantur Patres. Pelagiani enim non contendebant, ex singulari Dei privilegio, unum aliquem hominem, praeter Christum, originariam noxam non contrahere; sed ex ipsa lege naturae nullum hominem revera nasci aut concipi cum peccato originali. Satis ergo erat Patribus asserere, omnes homines, praeter Christum, spectata lege communi et naturali eorum propagatione ex Adamo, contrahere peccatum originale. Colligitur id II. ex scopo, ad quem collineabant Patres in adstruendo peccato originali: nempe ut contra Pelagianos gratiae Dei hostes evincerent, Christi redemptionem, et gratiam Dei per Christum omnibus omnino necessariam esse, ut a peccati captivitate liberentur. Cum igitur Augustinus alique Patres omnes homines, praeter unum Christum, peccato subjiciunt, de subjectione et captivitate loqu-

untur sive in re sive in debito, quam omnes homines incurrunt, praeter unum Christum, qui solus virtute suae conceptionis redemptione non indiguit. Ergo cum Beatissima Virgo, quamvis originale peccatum non contraxerit, redemptione indiguerit praeservativa, Patres nullam habuere rationem asserendi, quod eadem originali peccato actu aliquando fuerit inquinata. Vide Ven. *Petrum Canisium* Lib. I. de Maria Deipara, Cap. VII.

CI. Quod si quaeras, cur ergo Augustinus expressis verbis ac dilucide B. Virginem a peccato originali immunem fuisse non asserit? R. I. Cur ergo Augustinus de peccato originali agens, totque alios sanctos viros originali peccato inquinatos memorans, numquam in eorum numero ponit Virginem Beatissimam? cum tamen id Augustini causae maxime opportunum fuisset. Nam et ista originali peccato corrupta, nullo amplius Pelagianis ratio superfuisset alios, ac praecipue filios Patriarcharum excipiendi. R. II. Deiparam id circo ab Augustino nominatim non excipi, tum quia jam semel pro semper eam exceperat Lib. de Natura et Gratia, Cap. XXXVI. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem*: tum ne Deiparam saepius nominatim excipiendo Pelagianis ansam daret cavillandi, dicendique, legem illam non esse universalem.

CII. Patres, quando carnem Deiparae appellant *carnem peccati*, intelligi nec possunt, nec debent de formali originis peccato I. Quia peccatum originis non est in carne sed in anima. II. Quia carnem peccati appellant, priusquam anima in ipsam infusa fuerit, ut patet ex *S. Augustino* Lib. II. de peccat. meritis et

remiss. Cap. XXXVI. III. Quia iidem Patres hanc appellationem carni Deiparae convenisse significant ipso etiam Dominicae Incarnationis tempore, ut loquuntur *S. Augustinus* Lib. II. de peccat. meritis et remiss. Cap. XXIV. et *S. Fulgentius* Lib. de Incarnatione et Gratia, Cap. VI. neque tamen ullus Patrum censuit, B. Virginem usque ad id tempus originali peccato infectam fuisse. Igitur per carnem peccati nihil aliud intellexere, quam carnem per carnalem concupiscentiam semine utriusque parentis propagatam: quae concupiscentia effectus est peccati originalis, et nisi singulare Dei privilegium intercedat, via est, qua transfundatur in foetum, cum primum animatur, peccatum originale. Sicut in Scripturis ipsa concupiscentia peccatum dicitur, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat: ita etiam caro Deiparae per concupiscentiam parentum propagata, *caro peccati* a Patribus appellatur.

CIII. Neque negotium nobis aliquod facessit, quod Patres Deiparam sanctificatam fuisse a Deo dicant, mundatam, purgatam: aut quod indiguerit sanctificatione, mundatione aut purgatione. Quando enim Patres dicunt B. Virginem vel absolute, vel in utero Matris sanctificatam, commode intelliguntur de sanctificatione, prout illa est motus in sanctitatem de non Sancto negative in Sanctum, hoc est, de sanctificatione, quae illi contigit in primo animationis suae instanti, ita ut simul existere coeperit, et esse sancta, ac proinde ab originali peccato immunis. Cum vero Patres indicant, B. Virginem sub ipsum Dominicae Incarnationis tempus sanctificatam fuisse, necessario intelliguntur de sanctificatione, quae sit motus de minori in majorem sanctitatem. Quare falsum omnino est, quod haec vox *Sancti-*

ficatio ex sua propria notione denotet praecedens peccatum quod deleat, ut optime jam observarunt *S. Thomas* III. Parte, Quaest. VII. Art. IX. ad II. et *Alexander de Hales* III. Parte Summae Theologicae, Quaest. IX. memb. I. Artic. II. Alias quomodo Christus de se ipso dicere potuisset *Joan.* Cap. X. v 36. *Quem Pater sanctificavit*? Eadem pariter ratione, qua sanctificatio, multiplex quoque est emundatio, vel purgatio. Una, quae quod immundum erat, a praejacentibus sordibus mundat altera quae de non mundo negative facit mundum hoc est, quod simpliciter non erat, facit ut mundum et purum existat. Tertia denique emundationis et purgationis species est, promotio a minori ad majorem munditiam, seu perfectionem. Praeterea dupliciter potest quis emundatione indigere: uno modo, ut mundetur a sordibus, quibus jam inquinatus erat: alio modo, ut praeservetur a sordibus, quibus contrahendis erat obnoxius. Et qui hoc modo purgatur, vere ac proprie a sordibus emundatus dicitur: sicut qui praeservatur ab imminente captivitate, redemptus dicitur. Ubicumque igitur Patres Deiparam mundatam vel purgatam fuisse dicunt, rectissime intelliguntur vel de illa emundationis specie, quae ipsam de non munda negative fecerit mundam, vel de munda mundiorem; vel certe de mundatione praeservativa, quae ipsam a labe alioquin incurrenda praestiterit illaesam. Atque id circo Mariam *praepurgatam* et *praemundatam* fuisse asserunt *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXVIII. in Christi Nativit. *S. Germanus CPolitanus* in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Tomo X. Biblioth. et *S. Nicephorus CPolitanus* in Epistola ad Leonem III. Papam.

CIV. *Dices.* Vincentius Bandellus de Castro novo CCC. testimonia Patrum, et antiquiorum Do-

Doctorum contra piam sententiam allegavit in suo libro de singulari puritate et praerogativa Conceptionis Christi. Melchior Canus fidenter ponuntiat, Sanctos omnes, qui in hujus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverasse, B. Virginem in originali peccato conceptam fuisse. Idem ante Canum affirmaverat Cardinalis Cajetanus. Ludovicus Antonius Muratorius, Estensis Bibliothecarius, qui sub ementito nomine Lamindi Pritanii, Lampridii, et Valdesii delitescit, sancte testatur, se exquisivisse in scriniis Patrum, et ne unum quidem reperiisse piae sententiae assertorem. R. Vincentium Bandellum plurimos in eo libro adduxisse Patrum textus absque delectu, temere vitiatos ac corruptos: aut certe ad evincendum maculatum B. Virginis conceptum nequaquam idoneos. Hinc mirandum non est, Cajetanum, et Canum, Bandelli malis artibus deceptos, conficta ac vitiata Patrum testimonia pro veris et genuinis habuisse. Caeterum quae Estensis Bibliothecarius, facta diligenti pervestigatione, nescio quo fato, in Patrum scriniis reperire non potuit testimonia, felicius a pluribus Theologis inventa sunt, atque a *Benedicto Plazza* in Causa immaculatae Conceptionis, Actione II. Artic. III. atque Act. VI. Art. II. ordine chronologico omnium conspectui exposita.

CV. *Objicitur III.* Authoritas S. Bernardi, et S. Anselmi Cantuariensis. *S. Bernardus*, cum Lugdunenses Canonici in Gallliis Anno 1136. solemni ritu Festum Immaculatae Conceptionis celebrarent, gravem ad eos Epistolam dedit, ordine CLXXIV, eosque ob novum hunc in ea Ecclesia cultum reprehendit scribens: *Ante quidem apud aliquos errorem compereram; sed dissimulabam, parcens devotioni, quae de simplici cor-*

de, et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, et in famosa, nobilique Ecclesia, et cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Demum de ipsa Conceptione disserens, *Restat*, ait, *ut post conceptum, in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur; quae, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen et Conceptionem.* II. S. Anselmus Cantuariensis Lib. II. Cur Deus homo, Cap. XVI. scribit: *Virgo ipsa, unde assumptus est* (Christus,) *est in iniquitatibus concepta, et in peccatis concepit eam Mater ejus; et cum Originali peccato nata est: quia et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo.

CVI. R. I. S. Bernardum l. c. non loqui de conceptione vitali, seu animatione foetus, quam solam sanctam et immaculatam fuisse contendimus; sed de primo conceptu hominis, cum videlicet parentum sanguis in materno utero commiscetur, et primae fibrae ducuntur humani foetus. Patet id I. ex primorum Scholasticorum consensu, Alexandri de Hales, B. Alberti Magni, S. Thomae, ac S. Bonaventurae, qui citata S. Bernardi verba ad eum dumtaxat scopum adducunt, ut probent B. Virginem ante animationem sanctificari non potuisse. Atque ita Bernardum intellexere quam plurimi etiam recentiores, Bivarius, Manriquez, Sfondrati, Plazza, Sianda in Lexico polemico etc. Patet id II. ac praecipue ex toto contextu citatae Epistolae, in qua S. Bernardus ita argumentatur: Si B. Virgo fuit Sancta in sua conceptione, vel quia fuit sanctificata ante primum instans organizationis, vel in primo instanti organizationis. Non primum, nam B. Virgo non potuit

ante primum instans sanctificari, quia nondum existebat : non secundum affirmari potest; quia primum instans organizationis fuit illud ipsum, quo parentes B. Virginem generarunt : non potuit autem B. Virgo sanctificari eo instanti, quo parentes eam generarunt, quia cum libidine generarunt. Ubi manifeste vides Bernardum loqui de conceptione seminali, totumque argumentum subrui dicendo, B. Virginem neque ante primum instans, neque in ipso instanti organizationis foetus; sed in primo instanti animationis, seu infusionis animae in corpus fuisse sanctificatam; eoquod ante animationem nec peccatum, nec Sanctitatem habere potuerit, cum peccatum et sanctitas non corpus inanime, sed animam, seu hominem ex corpore et anima compositum afficient. Proinde non coli a nobis Conceptionem seminalem B. Mariae, sed formalem et vitalem. Vide *Simonnet* Tract. V. de peccatis, Disp. V. Art. VII.

CVII. R. II. S. Bernardus id circo praecipue reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod inconsulta Romana Ecclesia, quae illo tempore Conceptionem non celebrabat, Festum hoc instituerit. *Nam si sic videbatur*, inquit, *consulenda erat prius Apostolicae Sedis authoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Praeterea in eadem Epistola scribit : *Haec mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare. Ego vero, quod ab illa accepi, securus et teneo, et trado. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de saeculo nequam, et coelis quoque intulit celebritatem gaudiorum. Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum*

Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse, ut Sancta prodiret. Si ergo nostris temporibus viveret S. Bernardus, cerneretque Conceptionem Deiparae ab universali Ecclesia celebrari, ut suo aevo Festum Nativitatis et Assumptionis, numquid eam indubitatam haberet, numquid eam securus et teneret, et traderet?

CVIII. Ad II. R. Allegata verba, non ut a se, sed ut a Bosone suo collocutore et discipulo in eum modum inquirente et argumentante prolata scribit S. Anselmus. Et quamvis ipse respondendo verba illa non corrigat, non ideo tamen illa approbat, sed praetermittit; tum quia scopus ejus erat ostendere, Christum ab originali peccato immunem esse, quamtumvis etiam de Matre peccatrice conceptus foret: tum quia, ipso nesciente, ab aliquibus festinanter descriptus est liber ille, antequam ultimam ei manum admoveret. Idcirco subjungit S. Anselmus pag. 74. Operum suorum editionis Gerberonianae: *Plura, quae tacui, inseruissem, et addidissem, si in quiete et congruo spatio illud mihi edere licuisset.*

CIX. *Objicitur IV.* Authoritas S. Thomae, et Scholae Thomisticae. *S. Thomas* saepissime suis in libris adversatur piae sententiae. In III. Sentent. Dist. III. Art. II. scribit: *Esse sine peccato dicitur esse proprium Christo, quia nec originali, nec actuali peccato fuit umquam infectus. Virgo autem Mater ejus fuit quidem peccato originali infecta, a quo, antequam nasceretur, fuit munda; sed ab actuali peccato omnino fuit immunis.* III. Parte, Quaest. XXVII. Artic. II. *Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante animationem, nec in instanti animationis, sed post animationem; aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, et per co-*

sequens non indiguisset redemptione facta per Christum. In Expositione Salutationis Angelicae scribit. *Christus excessit B. Virginem in hoc, quod sine peccato originali conceptus et natus est; Beata autem Virgo in originali peccato concepta fuit, sed non nata.* II. Sententiam S. Thomae universa tuetur schola Thomistica. Ergo pia sententia plurimos habet adversarios, ideoque dici non potest stricte moraliter certa. R. S. Thomas pluribus locis Deiparam ab originaria noxa immunem fuisse docet verbis adeo disertis, ut aliam interpretationem omnino respuant. In I. Sentent. Dist. XLIV. Quaest. unica, Art. III. ad III. *Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit: fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Parte II. Opusculorum, Opusculo LXI. de Dilectione Dei et proximi, Cap. XXVII. *Facit ergo summus artifex in ostentationem pleniorem artis suae, speculum unum, clarissimo* (scilicet Angelico) *clarius, Seraphino tersius, et purius; et tantae puritatis, ut purius intelligi non posset, nisi Deus esset, Personam scilicet Virginis Gloriosissimae, de quo* (speculo) *Anselmus: Decebat ut illius conceptio Hominis de Matre purissima fieret, ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi.* Atqui si B. Virgo maculam originalem juxta S. Thomam contraxisset aliquando, purior Angelis non foret, possetque aliquid illa purius excogitari. In Cap. III. Epistolae ad Galatas Lect. VI. scribit S. Doctor: *Mulierem ex omnibus non inveni, quae omnino a peccatis immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima,*

et omni laude dignissima Virgo Maria, quae omnino a peccato immunis fuit, originali, et veniali. Ita antiquiores editiones tantum, non omnes habent, quamvis haec verba in editione Antuerpiensi Anni 1591. et in recentioribus omissa fuerint. Pia igitur sententia merito dicenda est niti authoritate S. Thomae: iique omnes, qui in verba Doctoris Angelici jurarunt, piam sententiam tuendo, de utroque, de B. Virgine nimirum, ac de S. Thoma praeclare mereri poterunt: neque enim S. Thomas majori fide dignus est, cum Virginem videtur damnare, quam cum eam absolvit.

CX. Caeterum ne adversarii S. Thomam sibi contradixisse, aut priorem sententiam revocasse dicant, ajo textus omnes specie tenus contrarios, qui ex S. Thoma afferri solent, facile conciliari posse. Nam I. quando S. Thomas dicit Deiparam conceptam fuisse in peccato originali, loquitur de conceptione seminali, non vitali. Multi enim antiquiorum Theologorum censebant, originale peccatum prius esse in foetu inanimato, quam in anima; non quidem per effectum suum primarium, qui est privatio gratiae, sed quoad alios quorum corpus capax est, concupiscentiae nimirum, maledictionis ac virtutis infectricis, ut patet ex S. Bernardo, S. Anselmo, atque ipso S. Thoma, qui III. Parte Quaest. XIV. Art. III. ad I. ait: *Dicendum quod caro Virginis concepta fuit in peccato originali, et ideo hos defectus contraxit.* Ergo cum nos loquamur de sola Conceptione formali, seu vitali, S. Thomas nobis non est contrarius. II. S. Thomas multis locis ait B. Virginem contraxisse peccatum originale, non reipsa et in se, sed in debito; assertionem enim suam probat ex eo, quia secus Deipara non indiguisset redemptione. Ergo cum S. Thomas senserit ad

indigentiam redemptionis satis esse necessitatem, seu debitum contrahendi peccatum originale, ut patet ex I. II. Quaest. CVI. Art. II. et in IV. Sentent. Dist. XLIII. Quaest. I. Art. IV. ad III, doctrina ita S. Thomae intelligenda est de peccato a Deipara contracto tantum in debito. III. S. Thomas, quando in III. Parte, Quaest. XXVII. Art. II. sanctificationem Deiparae ait contigisse post animationem, non intelligit posterioritatem temporis, sed naturae; quia cum subjectum proprium gratiae sanctificantis sit creatura rationalis, infusio gratiae sanctificantis semper est posterior infusione animae. Si vero locus ille de posterioritate naturae non intelligendus esset, inepta foret S. Doctoris illatio. Ex eo namque, quod sanctificatio Deiparae non fuerit prior tempore ad animationem, perperam infertur, quod fuerit determinate posterior ad animationem; dari enim potest medium inter haec duo extrema, nempe quod fuerit simul tempore cum ipsa animatione.

CXI. Praeterea non inanis suspicio est, textus illos, qui ex Operibus Doctoris Angelici contra piam sententiam afferuntur, aliquorum malitia vitiatos fuisse. Ut enim nihil dicam de Aegydio Columna, Sancti Thomae discipulo, qui castigatorium conscripsit in corruptorem librorum Thomae Aquinatis, Wielmus, Richardus Klapoel, Hervaeus Natalis, Guilielmus Messelech, Joannes Parisiensis, Guilielmus Bollionius, Cambertus de Primatiis, omnes ex Ordine Predicatorum, calamos acuerunt contra corruptores Sancti Thomae. Profecto omnibus exploratum est, multis ac maximis fraudibus ab aliquibus impugnatam fuisse Immaculatam Deiparae Conceptionem. Conficta fuere miracula, quibus contractam fuisse a B. Virgine originariam noxam com-

probabatur, subornatae revelationes, simulatae Angelorum et Deiparae apparitiones, incisa dormientibus stigmata, voces occultis parietibus velut e nubibus missae, aliaque quae a *Spondano* memoriae prodita sunt ad Annum 1508. Haec, pluraque alia vide apud *Caelestinum Card. Sfondrati* in Innocentia vindicata, Paragr. XI.

Sed quamvis liberaliter adversariis daretur, textus ex S. Thoma afferri solitos, corruptos non fuisse, ac difficulter aliam interpretationem admittere; ex duobus tamen S. Thomae principiis per solidissimam ac legitimam argumentationem certo deducitur, Conceptionem Deiparae sanctam fuisse atque immaculatam, eo sensu, quo a piae sententiae patronis asseritur. I. legitur III. Parte, Quaest. XXVII. Art. I. *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit Sancta. Fuit ergo in utero sanctificata.* Subinfero. Ergo cum Ecclesia juxta piam sententiam celebret Conceptionem vitalem, Deipara in primo instanti infusionis animae in corpus fuit Sancta, adeoque maculam originalem numquam contraxit. Alterum principium habetur II. II. Quaest. X. Art. XII. *Maximam authoritatem habet Ecclesiae consuetudo, quae semper est omnibus aemulanda. Et magis standum est authoritate Ecclesiae, quam authoritate Augustini, et Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.* Subinfero. Atqui certum est, quod Ecclesia magis faveat piae sententiae, quam adversariorum, quibus perpetuum ac rigorosum silentium imposuit. Ergo, vel ipso S. Thoma judice, praeponenda est pia sententia.

CXII. Ad II. N. A. Quamvis satis multi ex Ordine Praedicatorum, praesertim prioribus saeculis, piam

sententiam impugnaverint: non defuerunt tamen in hoc celeberrimo Ordine magni nominis Theologi, qui immaculatum Virginis conceptum strenue propugnarunt. Horum, licet non omnium, indiculum exhibemus. *B. Albertus Magnus* in Bibliis Marianis, et in Quaestionibus super *Missus est*, Quaest. XXXI. *S. Thomas* in I. Sentent. Dist. XLIV. Quaest. unica, Art. III. ad III, et alibi, ut diximus Num. CIX. *Jacobus de Voragine* Serm. VII. de Annuntiatione Tomi I. Sermonum de SS. et Serm. III. de Assumptione Tomi II. *Nicolaus de Gorran* Enarratione in Cap. I. Lucae v. 28. *Joannes a S. Geminiano* Concione VI. *Armandus de bello Visu* Collatione IV. de Conceptione B. V. *Petrus Paludanus* Enarratione I. in Evangelia de Conceptione B. M. part. Hyem. Serm. de Tempore. *Robertus Holkot* Anglus, Comment. in librum Sapientiae, in Caput XIII. Lectione CLXI. *Joannes Thaulerus* in Sermonibus de Tempore Sermone de Festo Purificationis B. M. *Joannes Bromiardus* in Summa praedicantium, Artic. IV. Num. XXVIII. *S. Vincentius Ferrerius* III. parte Sermonum de Sanctis, in Sermone de Conceptione B. M. *Joannes Herolt*, seu Discipulus de Sanctis Serm. V. de Conceptione S. M. *Leonardus Matthaei* de Utino in Sanctuario, Serm. de Nativitate B. M. *Guilielmus Pepin* Lib. de imitatione Sanctorum, et Lib. de Secretis secretorum. *Joannes Viguerius* in Institutionibus ad Naturalem et Christianam Philosophiam, Cap. XVIII. Paragr. V. de peccato originali, et in Commentario in Epist. ad Romanos, parte III. Cap. V. *Ambrosius Catharinus* quatuor opuscula edidit pro immaculata Conceptione, Tridentum ad Concilii Patres mittenda. *Dominicus Soto* Comment. in Cap. V. Epist. ad Rom. et

Lib. IV. Sentent. Dist. V. Quaest. unica, Art. II. *Petrus Dore* in Imagine virtutis, Cap. I. et II. *Ludovicus Granatensis* duabus disertissimis concionibus pro Festo Conceptionis, quae extant Tomo I. Concionum. *S. Ludovicus Bertrandus* in Serm. de purissima Conceptione B. Virginis, habito Valentiae, quem ex ipso autographo descriptum habemus apud *Nierembergium* in Exceptionibus Conc. Tridentini, Cap. XXIV. *Bartholomaeus Medina* Comment. in III. partem S. Thomae, ad Quaest. XXVII. Art. II. *Antonius Navarro* Tomo I. Sermonum de Sanctis Sermone de Conceptione. *Vincentius Justinianus Antistius* in Tractatu de Immaculata Conceptione SSmae V. M, in quo scribit, a S. Dominico usque ad sua tempora, Sanctos magnosque viros sui Ordinis piae sententiae adstipulatos esse, omnesque, quotquot sua aetate Dominicanos Concionatores audivit, Immaculatam Virginis Conceptionem coram populo praedicasse. *Hieronymus de Lanuza* in V. Tomo Homiliarum super Evangelia, pro Evangelio Festi Conceptionis. *Alphonsus de Cabrera* Tomo I. Considerationum super Evangelia in Adventu. *Stephanus Mendez* Tomo I. de dignitate Matris Dei, Lib. III. Cap. XLI. *Nicolaus Coeffetau* in Tabella innocentiae et gratiarum. *Seraphinus Capponi a Porrecta*, et *Joannes a S. Thoma* Commentar. in Summam S. Thomae. *Natalis Alexander*, qui Tomo VIII. Hist. Eccles. Cap. III. Art. XXIII. Scholio IV. Fratres suos ita alloquitur: *Author sum Fratribus meis Praedicatoribus, ut depositis antiquae et jam antiquatae opinionis praejudiciis, cujus tenebras Spiritus Sanctus dispulit (etsi nondum ita plene ac perfecte, ut quaestio ista sit in filei luce per divinam revelationem Ecclesiae factam constituta), communem, piam et Ec-*

clesiasticam sententiam, ac devotionem erga Immaculatam Deiparae Virginis Conceptionem amplectantur, praedicent, ac propagare studeant. Horum numerum augent quotquot Dominicani jam duobus aut tribus saeculis abhinc Doctoris Theologi insignia consecuti sunt in Catholicis fere omnibus Academiis, quae neminem ad litterarios gradus admittunt, nisi piam sententiam se defensurum juret.

CXIII. *Objicitur V.* Authoritas *Clementis XI.* Hic in celebri Constitutione Anno 1708. edita, qua Deiparae Conceptionem ut Festum de praecepto ab omnibus observari praecipit, non appellat *Festum Immaculatae Conceptionis*, sed *Festum Conceptionis B. M. V. Immaculatae.* Ergo Ecclesia colit quidem Immaculatam Virginem, neutiquam vero Immaculatam Conceptionem. *Confirm.* Cum Bulla Clementis XI. in quadam Italiae civitate iterum impressa esset verbis aliquot immutatis, *Ut Festum Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae etc.* vehementer ea de re conquestus est Pontifex, ac die XII. Octobris Anno 1709. Ordinario loci mandavit, ut eos acriter reprehenderet, qui typis eam Bullam ita imprimendam curaverunt, eamque eum in modum impressam supprimi jussit, et luce publica prohiberi. Ergo. R. C. A. N. C. Ecclesia juxta declarationes et constitutiones Pontificum, ac verba divini Officii, colit B. Virginem non a personali tantum, sed etiam ab originali peccato semper immunem, cultu ab ejus institutione numquam immutato : colit Conceptionem ut Sanctam : ergo colit Conceptionem immaculatam. Si enim Conceptio vitalis Deiparae in primo instanti fuisset maculata, neque *sancta*, neque *dignissima* appellari posset, falsasque forent illa divini Officii verba : *Gloriosae*

Virginis Mariae Conceptionem dignissimam re colamus. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem. Certe Innocentius XI. Anno 1678. Officium parvum Immaculatae Conceptionis, quod Raymundus Capisuccus S. Palatii Magister proscripserat, quia apocrypham indulgentiam continebat, non tantum in integrum restituit, et imprimi concessit; verum etiam sponte sua mandavit, ut in novis ejusdem Officii parvi editionibus ad illa verba primae orationis, *Ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devoto affectu recolo*, pro majore expressione adderetur: *Ut qui nunc tuam Sanctam, et Immaculatam Conceptionem etc.* Ad *Confirm.* C. A. N. C. Ut enim observat *Prosper Lambertinus*, postea *Benedictus XIV.* in suo Commentario de Festis Deiparae, vocem *Immaculatae* Clemens XI. non ad Conceptionem, sed ad B. Virginem referri voluit, ut appareret, ipsum, cum de praecepto observari eam solemnitatem juberet, noluisse hanc controversiam supremo ac irrefragabili judicio definire. Hinc mirum non est, quod hanc verborum transpositionem aegre tulerit; cum apice non immutato standum sit verbis praescriptis in Constitutionibus Pontificiis, nec immiscenda sint alia pro libito, etiamsi pia et vera.

CXIV. *Objicitur VI.* Sequela. Si pia sententia esset moraliter certa, adversariorum vero improbabilis, sequeretur adversarios peccare gravissime. Atqui haec sequela sub gravibus poenis a Pontificibus prohibita est. Ergo. P. M. Qui virum honestum, absque probabili fundamento, adulterii aut alterius criminis arguit, omnium judicio graviter peccare censetur. Ergo etiam qui absque probabili fundamento Deiparam asserit originale

peccatum contraxisse, gravissimam illi infert injuriam. R. D. M. Si adversariis videatur ipsorum sententia improbabilis, sicut improbabilis videtur piae Sententiae assertoribus, C. M. Si appareat ipsis vere probabilis, aut probabilior, N. M. Potest contingere, ut adversariis, si qui hodiedum dantur, ad generalia Patrum et Scripturarum dicta attendentibus, Magistrorum suorum praejudicio praeoccupatis, piae vero sententiae fundamenta non satis ponderantibus, videatur probabile, in primo instanti infusionis animae in corpus fuisse Deiparam originali noxa inquinatam. Hinc nos neminem judicamus, aut peccati mortalis reum arguimus, omne judicium Deo reliquentes. Quod si vero piam sententiam palam reprehenderent, aut in dubium vocare praesumerent, non video qua ratione a peccato mortali, gravique Pontificiarum Constitutionum contemptu excusari queant.

CXV. *Objicitur VII.* Infirmitas I. nostrae probationis. Quamvis Ecclesia Festum Conceptionis celebret, certum tamen non est, eam in praecipiendo hoc cultu errare non posse. Ergo pia sententia ex hoc capite non est moraliter certa. P. A. Quamvis S. Joannes Baptista in originali peccato conceptus, ab eoque tunc primum mundatus fuerit, quando Deipara Elisabetham invisit; Ecclesia tamen Graeca solemniter celebravit Conceptionem S. Joannis Baptistae die XXIII. Septembri, idque Festum Latinis omnibus Martyrologiis vetustioribus, Hieronymi nempe, Bedae, Adonis, Usuardi, Notekeri, Rabani, inscriptum fuit. Immo Melitae, atque in aliis Ecclesiis à sacro Ordine militari S. Joannis pendentibus, hodie adhuc celebratur. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* R. quod Ecclesia Graeca Conceptionem S.

Joannis Baptistae numquam celebraverit ut sanctam, sed respectu tantum Mysteriorum ad ipsam spectantium, v. g. revelationis ab Angelo factae Zachariae etc. At vero Deiparae Conceptionem utraque Ecclesia, Latina et Graeca, ut sanctam et immaculatam in semetipsa celebrat. Ecclesia Latina, ac praecipue Romana, Mater et Magistra omnium Ecclesiarum, sacro cultu divinisque Officiis numquam celebravit Conceptionem S. Joannis Baptistae, quamvis in Martyrologiis annuntiata fuerit tamquam res memoratu digna his verbis: *Conceptio S. Joannis Baptistae.* Quod de cultu Conceptionis S. Joannis additur Melitae, atque in aliis Ecclesiis Melitensium Equitum, apertae falsitatis arguit *Piazza* Act. III. Num. CLXXXVII.

CXVI. *Dices I.* Quamvis Ecclesia coleret damnatum ut Sanctum, nullus adhuc error formalis in cultum ipsum caderet. Ergo multo minus id fieret, quamvis Ecclesia Conceptionem Deiparae peccato originali inquinatam coleret ut Sanctam; cum ab Ecclesia definita non fuerit pia sententia. P. A. Pia intentio Fidelium ultimato fertur in Deum, cujus causa damnatum illum ut Sanctum venerarentur. Ergo proprie non coleretur damnatus. *Confirmat.* Deus adoratur in justis. Ergo fieri non potest, ut error formalis cadat in ipsum cultum. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Cultus noster interior et exterior directe et proxime fertur in illum ipsum Sanctum singularem, quem Ecclesia singulariter, absolute, ac determinate, absque conditione vult coli, ut patet ex Bullis Canonizationum. Si ergo hic singularis homo revera Sanctus non esset, sed damnatus, qui eum coleret, damnatum reipsa coleret, ac proinde error formalis in ipsum cultum caderet. A l. *confirm.* D. A. Qua-

tenus haec Sanctorum veneratio secundum voluntatem Dei est, C. A. Ita ut haec adoratio, sive cultus ad solum Deum terminetur, non vero ad hominem justum, N. A. et Conseq. Certe nisi negare velimus Sanctos a nobis coli cultu duliae, admittendum est cultum nostrum directe ac proxime in Sanctos ferri.

CXVII. *Dices II.* Fideles tenentur adorare hostias, quae tamquam consecratae exponuntur: rite colunt reliquias Sanctorum, licet careant certitudine stricte tali, quod hostia illae sint rite consecratae, quod reliquiae illae Sanctorum sint genuinae. Ergo etiam ab Ecclesia obligari possunt ad colendam Immaculatam Conceptionem, licet certum non sit, eam fuisse immaculatam. R. C. A. N. C. Nam I. Ecclesia numquam praecipit hanc determinatam hostiam esse adorandam, has determinatas reliquias esse colendas; sed tantum adorandas esse hostias rite consecratas, colendasque esse genuinas Sanctorum reliquias. Obligatio igitur adorandi singulas hujusmodi hostias, aut colendi Sanctorum reliquias, quae communiter pro genuinis habentur, oritur partim ex fide, qua firmissime credimus in quavis hostia rite consecrata contineri Christum, honestum ac pium esse cultum reliquiarum: partim ex dictamine rectae rationis praescribentis, illam hostiam esse habendam pro consecrata, illas reliquias pro genuinis, de quarum consecratione, veritate aut identitate nullum prudens dubium occurrit. Quare siquis error interveniret, non is tribui posset Ecclesiae, quae nihil de singularibus hostiis aut reliquiis judicat; sed imbecillitati mentis nostrae, cujus prudentia non semper est conjuncta cum veritate. Contra vero Ecclesia praecipit, ut die VIII. Decembris, juxta piam sententiam, cola-

tur Conceptio Deiparae ut sancta, adeoque ut immaculata: declaravitque per Alexandrum VII. objectum hujus cultus esse Beatissimam Virginem in primo instanti animationis suae, praeveniente Spiritus Sancti gratia, ab originali peccato praeservatam, prohibens per Gregorium XV, ne quis alio in posterum nomine utatur, quam Conceptionis. Ergo si conceptio non fuisset sancta, error hic Ecclesiae tribuendus esset. II. Etsi hostia quam adorant fideles, non esset consecrata, aut reliquiae non forent genuinae, nullus error formalis in cultum ipsum interiorem caderet, sed error dumtaxat materialis immisceretur in exteriori cultu. Ratio est, quia species Eucharisticae, et reliquiae Sanctorum, sunt res inamines, nullamque ex se excellentiam habent: hinc per se, et secundum se non sunt capaces adorationis aut cultus; sed tantum ut conjunctae cum Christo, vel cum eo cujus sunt, eum scilicet in iis apprehendendo. Ergo in eis adoramus Christum, aut Sanctos ut materiam proximam et terminum adorationis; cultusque noster interior, dirigens omne opus exterioris adorationis, in solum Christum, vel Sanctos illos tendit, et notam tantum exteriorem honoris et submissionis speciebus illis, aut reliquiis servamus. Contra vero Deipara ab originali peccato praeservata in primo instanti animationis suae, ex se maximam habet excellentiam: per se, et secundum se est cultu digna, nosterque animus servitutis et submissionis ad illam terminatur. Ergo error formalis in ipsum cultum interiorem caderet, siquidem illa ab originali noxa non fuisset praeservata.

CXVIII. *Dices III.* Argumentum nostrum probat nimium; nimirum piam sententiam posse omnino credi fide divina, praescindendo etiam ab omni privata

revelatione. Ergo nihil probat. P. A. Juxta communissimam Theologorum sententiam fide divina credi potest, eum qui rite canonizatus fuit a Romano Pontifice, esse in coelo; eoquod Pontifex errare non possit, quando omnibus fidelibus praecipit cultum alicujus Sancti. Ergo cum Romani Pontifices omnibus fidelibus praeceperint cultum Conceptionis Deiparae juxta piam sententiam, fide divina credi potest, Deiparam esse sine macula conceptam. R. N. A. Al *probat.* R. ideo fide divina credi posse eum qui rite canonizatus est, Sanctum esse, ac visione intuitiva Dei in coelis frui, quia Pontifex in Canonizatione ultimatum ac definitivum judicium tulit, quod talis sit Sanctus, et cum Christo in coelis regnet. Contra vero Pontifices praecipiendo, ut Festum Conceptionis ab omnibus celebretur, numquam tulere ultimum ac definitivum judicium, quod Deipara sine originali labe concepta fuerit: immo protestati sunt, nolle se per hoc quidquam definire.

CXIX. *Dices IV.* Fide divina credendum est, non posse a Pontifice universae Ecclesiae praecipi cultum superstitiosum. Atqui si Conceptio B. Virginis non fuisset immaculata et sancta, Pontifices praecepissent universae Ecclesiae cultum superstitiosum, seu cultum Mysterii, quod numquam contigit. Ergo. R. D. M. non posse praecipi cultum formaliter superstitiosum, illicitum et inhonestum, C. M. Materialiter superstitiosum, subdist. Si objectum illius cultus a Pontifice definiatur, C. Si mere declaratum sit, non vero decisum, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Cultum materialiter superstitiosum a Pontifice praecipi non posse, quamdiu objectum illius cultus suprema atque ultimata sententia non definivit, equidem juxta communissimam Theolo-

gorum sententiam, stricte moraliter certum est, non tamen de fide est. Cum igitur Pontifices, praecipue Alexander VII, praecise tantum declararint, minime autem definierint, objectum cultus qui Immaculatae Conceptioni defertur, asserimus piam sententiam stricte moraliter certam esse, non vero de fide.

CXX. *Dices V.* Potest probabiliter dici, quod Ecclesia non colat ipsam Conceptionem formalem Deiparae; sed quod ex ea occasionem tantummodo sumat Deo gratias agendi ob beneficia B. Virgini collata. Ergo ex eo quod Ecclesia Festum Conceptionis Deiparae celebret, nihil evincitur. P. A. Si Ecclesia coleret Festum Conceptionis formalis, non illud celebraret die VIII. Decembris, sed longe serius. Cum enim anima rationalis foemellis infundatur LXXX. primum die a conceptione, sequitur, Deiparam aut XII. fere mensibus in utero B. Annae fuisse, quod prorsus insolitum atque incredibile est: aut Conceptionem vitalem Februario circiter mense contigisse. Ergo. *Confirmat.* Quamvis Ecclesia colat, B. Virginem ad Nives, de Monte Carmelo, de Mercede etc. hi tamen tituli non evaserunt indubitati. Ergo quamvis etiam Ecclesia colat Conceptionem Deiparae, hujus tamen sanctitas non idcirco est indubitata. R. I. Ergo etiam idem dici poterit de Festo Nativitatis, Assumptionis etc. R. II. id omnino gratis confingi, neque absque temeritatis nota dici posse post tot editas Summorum Pontificum Constitutiones, in quibus objectum hujus cultus perspicue declaratur. Ad *probat.* N. A. et Conseq. Ecclesia posset Festum Conceptionis formalis VIII. Decembris colere, quamvis illa eadem die non contigerit: quemadmodum celebrat Festum Visitationis II. Julii, licet ex S. Luca aperte col-

ligatur (siquidem juxta communissima ac fere unanimem Catholicorum Doctorum sententiam, annuntiationi diem XXV. Martii tribuamus) eamdem contigisse Martio exeunte. Consequentia autem cum ratione addita negatur, partim ob authoritatem Ecclesiae ea die Conceptionem celebrantis, et revelationem Helsino Abbati factam: partim ob authoritatem illustrium Medicorum, qui foetum humanum vel ipso primae conceptionis die, vel proximis saltem diebus, anima rationali donari asserunt. Quae si etiam ambigua essent, nonne Ecclesia potuit VIII. die Decembris Conceptionem Deiparae formalem celebrare, eoquod ipsi certo non constet, qua demum die contigerit? Ad *confirmat.* O. A. N. C. Etiamsi hi tituli falsi forent, non tamen coleretur falsa sanctitas; eoquod Ecclesia non colat illos titulos, sed tantum ex illis occasionem sumat colendi Deiparam. Contra si Deiparae Conceptio maculata fuisset, Ecclesia celebrando Conceptionem, coleret sanctitatem falsam, et peccatum.

APPENDIX

DE DEBITO PROXIMO ET REMOTO PECCATI ORIGINALIS IN DEIPARA.

CXXI.

Quaeres I. An Virgo Beatissima debitum remotum non habuerit contrahendi peccatum originale. II. An non etiam proximum? Debitum *remotum* est obligatio orta ex naturali descensu ab Adamo praevaricatore, vi cujus descensus omnes qui ita nascuntur, praescinden-

do a speciali Dei privilegio et gratia, per se comprehensi fuissent sub pacto illo virtuali a Deo cum Adamo inito. Debitum *proximum* est obligatio, seu necessitas proxima habendi maculam originalem in instanti animationis, orta ex alligatione nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami praevaricatoris. Unde si voluntas Deiparae alligata fuisset voluntati Adami, et comprehensa sub generali illo pacto, eo ipso habuisset debitum proximum contrahendi maculam originalem; licet dein in primo instanti Conceptionis vitalis, seu formalis, per infusionem gratiae sanctificantis, fuisset praeservata, ne peccato illo inficeretur: atque eo ipso moraliter peccasset in Adamo; non tamen peccatum originale contraxisset nascendo, utpote speciali gratia praeventa.

CXXII. His praemissis R. ad I. affirmative. Videtur hoc sine errore negari non posse, esseque omnino necessarium ad salvandas Scripturas, et indigentiam redemptionis: neque ulla datur ratio Deiparam eximendi a debito remoto. Nam Deipara, non minus ac caeteri homines, descendit ex Adamo per ordinariam viam generationis: et nisi ex Christi meritis fuisset exemta, debuisset cum caeteris intrare pactum: fuit ergo conditione naturae obnoxia peccato Adae contrahendo. Neque propterea Mariana gloria obscuratur; debitum enim remotum non importat verum defectum moralem, sed mere naturalem: nec magis pudendum est hoc modo esse debitorem, quam esse filium suorum parentum.

CXXIII. Ad II. R. ipsos piae sententiae patronos hac in re discordes esse. Suarius, Bellarminus, Vasquius, Azorius, Tannerus, Theophilus Raynaudus, Simonnet, Antoine etc. ajunt Deiparam a debito proxi-

mo eximi non posse, his ducti rationibus. I. Scriptura ait omnes in Adamo mortuos esse, omnesque in illo peccasse. II. Hoc privilegium nihil profuisset B. Virgini; quia debitum proximum non est defectus moralis, sed mere naturalis, et macula extrinseca sicut non est vitium morale progigni ex stirpe ignobili, vel quondam perduelli. III. Si Adam non peccasset, Deipara accepisset gratiam sanctificantem et justitiam originalem vi hujus pacti cum Adamo iniți, non secus ac alii homines. Ergo illius voluntas fuit alligata voluntati Adami. IV. Quando Deus per suum decretum voluntates nostras voluntati Adami alligavit, et Deiparam excepit, nulla adhuc existebant merita Christi. Ergo non fuisset a pacto illo exempta propter merita Christi, adeoque propter illa non fuisset redempta, seu praeservata. *Confirm.* Decretum alligativum et permissivum peccati Adami factum est ante praevisionem peccati, ac multo magis ante decretum mittendi Christum, qui missus non fuisset, si Adam non peccasset. Ergo vel Deipara in signo priori ad decretum illud mittendi Christum comprehensa erat in illo generali pacto, sicque debitum proximum contraxerat: aut si inclusa non fuit, id non erat ex meritis Redemptoris, pro illo signo nondum decreti.

CXXIV. Contra Ambrosius Catharinus, Cornelius Mussus Bituntinus Episcopus, Salmeronius, Granado, Salazar, Nierembergius, Thyrsus Gonzalez, ac communissima Doctorum, praecipue Societatis Jesu, jam a sesqui saeculo, Deiparam a debito proximo absolvunt, hisque nituntur rationibus. I. Debitum proximum conciliari non potest cum ea puritate adeo commendata a SS. Augustino, Anselmo, et Thoma, qui dicunt Ma-

riam omni ex parte vicisse peccatum : ea puritate nituisse, qua major sub Deo nequit intelligi : nihil purius esse illa in rebus creatis; facile enim excogitari posset major puritas, nimirum Angelica. II. Debitum proximum est vera macula; verum peccatum in Adamo moraliter commissum, vera rebellio contra Deum, in quam voluntate moraliter propria consensit, qui talis debitor est, ac praecipuum malitiae caput in peccato originali. III. Haec alligatio Deiparae nec erat optabilis, nec conveniens: non optabilis, quia ut futura Mater verbi Divini, longe majores praestantioresque gratias acceptura erat in primo vitalis Conceptionis suae instanti, quam eidem promereri potuisset Adamus. Igitur alligata fuisset voluntati imperfectiori, et exposita periculo proximo peccati mortalis, absque ulla spe lucri, seu commodi. Non erat conveniens; quia decere non videtur, ut Domina subjiceretur servo, et Dei Genitrix ac Regina Angelorum subderetur capiti multo inferiori, nempe Adamo. IV. Omnes praerogativae ad gratiam sanctificantem spectantes, ex quibus nullus sequitur processus in infinitum, tribuendae videntur Deiparae, juxta regulam *Petri Cellensis*, Lib. IX. Epist. IX. scribentis: *B. Virgini concedenda sunt omnia privilegia, quae ei fuisse negata positive et efficaciter non probatur, — et praesumptionibus standum, donec probetur contrarium.* Regulam hanc ratam habuit *S. Thomas* in III. Sentent. Dist. III. Quaest. I. Artic. I. *Credendum omnino ei* (Beatissimae) *collatum esse, quidquid conferri potuerit.*

CXXV. Facile itaque adversariorum argumentis satisfieri posse existimant. Ad I. Respondent, hos et similes textus verificari in sensu accomodo, exceptis ni-

mirum individuis speciali nota dignis. Quod si ipsi adversarii textus illos in sensu accomodo non sumant, sequeretur, contra illorum mentem, non modo debitum proximum, sed ipsam etiam originalem culpam in primo animationis instanti a Deipara fuisse contractam. Ad II. respondent, licet non sit moralis macula ex Adamo perduelli per naturalem generationem descendisse; magnam tamen moralem indecentiam esse, in Adami perduellionem consensisse, sicque peccatum physice alienum moraliter proprium sibi fecisse: quae omnia in debito proximo involvuntur. Ad III. Negant A. et Conseq. Antecedens quidem, quia, ut superius diximus, haec alligatio, etiam quoad partem favorabilem, neque erat Deiparae optabilis, neque conveniens. Consequentiam vero negant, quia quamvis fuisset in hoc pacto comprehensa quoad partem favorabilem, non ideo sequitur comprehensam etiam fuisse quoad partem odiosam. Ad IV. Resp. C. A. D. C. Non fuisset a pacto illa exempta propter merita Christi actu tunc posita, C. Aliquando ponenda, et tunc jam praevisa, N. C. Ad *confirmat.* Cum in Deo non detur nisi unicum ac simplicissimum Decretum, realiter et virtualiter indivisum, ajunt in primo signo rationis, seu juxta nostrum concipiendi modum, Christum absolute decretum fuisse ut Redemptorem, antequam praevideretur peccatum Adami absolute futurum, et voluntates nostrae alligarentur voluntati Adae. Deus itaque, juxta hanc responsionem, praelucente scientia simplicis intelligentia, ac scientia media de libertate Christi, Adami, Deiparae etc. hoc vel simili modo decernere concipitur: *Volo Christum cum hac libertate merendi mittere in carne passibili, in remedium peccati, quod praevideo ab Adamo fore*

committendum, si ipsum producerem, caput morale posterorum constituerem, praeceptum ei imponerem, et hanc libertatem conferrem. Atque hunc Adamum volo producere in tempore, et hunc posterorum numerum, et in isto hanc quoque Virginem Mariam. Decerno etiam Adamum caput morale posterorum, quorum voluntates alligo ipsius voluntati in ordine ad observationem vel transgressionem praecepti: quod ei imponere volo, de non comedendo pomo: excipio tamen hanc Virginem Mariam, quam Matrem Christi cum hoc gratiarum cumulo eligo, et quidem ob merita ejusdem Christi Redemptoris: volo Adamo conferre hanc libertatem, et permittere ipsius peccatum. Verum uberiorem hujus rei discussionem Theologiae Speculativae tractatoribus relinquimus, contenti praecipua hujus quaestionis momenta indicasse.

ARTICULUS II.

DE PECCATO PERSONALI, EJUSQUE POENIS.

CONTROVERSIA I.

AN BEATISSIMA VIRGO SEMPER IMMUNIS FUERIT AB OMNI PECCATO PERSONALI?

Contra Protestantes.

CXXVI.

Sectarii plerumque consueverunt Virginem illam maledico dente lacerare, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo. Nostrorum temporum Novatores, ne a proavorum suorum semine deflectant, impie sentiunt, Beatam Virginem, instar aliorum hominum, saepius peccasse actualiter. Ita nominatim Calvinus in Harmonia Evangelica in Cap. I. Lucae, et in Antidoto Conc. Tridentini. Lutherus in postilla majore Evangelii Dom. III. post Epiphan. et alibi. Joannes Pomeranus in Cap. XLIV. Jeremiae. Georgius Major in Evang. Dom. I. Post Epiphan. Lossius in Cap. II. Lucae. Sarcerius in Cap. I. Lucae. Jacobus Schenckius, Anton Corvinus, Brentius, Centuriatores Magdeburgici etc. ut refert Ven. *Petrus Canisius* in Praefat. Libri de Maria Virgine. Solus e Catholicis Doctoribus Gregorius Ariminensis in II. Sentent. Dist. XXX.

Quaest. II. Artic. I. ausus est dicere, B. Virginem interdum venialiter peccasse, ne illam fateretur fuisse a peccato originali immunem; quia juxta Augustini regulam, nullus est in peccato originali conceptus, qui non interdum venialiter peccaverit. Contra vero Sanctissimam Dei Genitricem toto vitae suae tempore ab omni cujuscumque personalis peccati, etiam levissimi, sorde immunem prorsus fuisse, tamquam rem exploratam de qua nefas sit dubitare, et omnes reliqui Theologi docent, et omnes Catholici credunt; praesertim posteaquam Concilium *Tridentinum* Sess. VI. Can. XXIII. hanc esse traditionem Ecclesiae declaravit his verbis: *Siquis hominem semel justificatum dixerit -- posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenent Ecclesia; anathema sit.*

CXXVII. *Conclusio.* Beatissima Virgo toto vitae suae tempore ab omni peccati personalis labe, ex speciali Dei privilegio, semper fuit immunis. Prob. I. Authoritate Scripturarum. *Gen.* Cap. III. v. 15. Deus ait ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem; et semen tuum et semen illius: tu insidiaberis calcaneo ejus, et ipsa conteret caput tuum.* Per mulierem illam S. Cyprianus, S. Epiphanius, S. Augustinus, Theodoretus, Ven. Beda, Rupertus Tuitiensis Abbas, S. Bernardus, Petrus Blesensis, aliique Patres Deiparam intelligunt: per ejus semen, Christum; per serpentem, diabolum; per semen diaboli, infideles et impios Christianorum hostes. Ergo dicendum est Deiparam ab omni personali labe semper immunem fuisse, non mortali tantum, sed etiam levissima. P. C. Si B. Virgo peccato personali inquinata fuisset, non ipsa contrivisset sem-

per caput serpentis ; sed contrita fuisset a serpente. Ergo. *Canticorum* Cap. IV. v. 7. dicitur : *Tota pulchra es amica mea , et macula non est in te.* Quae verba ad B. Virginem pertinere , inferius in solutione objectionum ostendemus. Lucae Cap. I. v. 28. *Et ingressus Angelus ad eam , dixit : Ave gratia plena , Dominus tecum.* Ergo cum Deipara plena fuerit gratia sanctificante ; habuit etiam gratiam praeservantem ab omni labe peccati. Ut enim verbis utar *S. Petri Damiani* Hom. in Nativ. B. V. M. *Quid sanctitatis , quid justitiae , quid religionis , quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit , quae totius divinae gratiae charitasmate plena fuit ? Sic namque ab Angelo , dum saluretur , audivit : Ave gratia plena , Dominus stecum. Quod, rogo, vitium in ejus mente , vel corpore vindicare sibi potuit locum , quae ad instar coeli , plenitudinis totius Divinitatis meruit esse sacrarium ?* Illud praeterea observo , quod Angelus non dixerit , Deiparam gratia implendam esse , posteaquam conceperit Unigenitum Dei filium , sed eam jam actu gratia plenam esse : Dominum non tantum cum illa futurum , sed actu esse , ac fuisse semper speciali providentia illi assistendo , gubernando , instruendo , ac defendendo illam, impediendo , ne diabolus umquam gloriari posset , se cum illa fuisse.

CXXVIII. Prob. II. Authoritate Patrum , Graecorum et Latinorum. *S. Dionysius* Alexandrin. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum de Christo ait : *Matrem incorruptam , a pedibus usque ad caput benedictam servavit.* S. Ephraem Syrus in Orat. de Sancta Dei Genitrice : *Immaculata , et intemerata , incorrupta, et prorsus pudica , atque ab omni sorde ac labe pecca-*

ti alienissima Virgo, Dei Sponsa, et Domina nostra. S. Proclus CPolitanus in laudatione S. Dei Genitricis Orat. VI. *Ipsa est penetrale innocentiae sacrarium, ipsa sanctificatum Dei Templum.* S. Sabbas in Menaeis Graecorum, die II. Januarii, Ode III. de B. Maria scribit: *In te, quae nulli umquam culpae affinis fuisti, spem omnem meam repono. Nemo, ut tu Domina, inculpatus est aeque, nec, praeter te, incontaminatus quisquam. O naevo nulli subjecta!* S. Sophronius Jerosolymitanus in Epistola Synodica ad Sergium CPlitanum, quae CPolitana III. Synodo Generali fuit approbata, asserit B. Mariam *ab omni contagione ac macula liberam fuisse corpore, anima, et intellectu.* S. Andreas Cretensis Tomo XII. Bibl. Maximae PP. in encomio Zonae Dei Genitricis, eam vocat *peccato omni ac sorde sublimiorem, et terrenum nihil habentem.* S. Joannes Damascenus Orat. II. de Assumpt. *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit, ubi falsae divinitatis cupiditate flagrantes, jumentis comparati sumus. Ipse enim Unigenitus Filius, cum Deus, et ejusdem cum Patre substantiae esset, ex hac Virgine et pura terra hominem sibi effinxit.*

CXXIX. Eadem fuit Latinorum Patrum sententia. *S. Ambrosius* Enarrat. XXII. in Psal. CXVIII. ait: *Suscipe me* (Domine Jesu) *non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati* S. Hieronymus Comment. in Cap. X. Ecclesiastis: *Beata terra Ecclesiae, cujus Rex est Christus Filius ingenuorum; de Abraham, Isaac, et Jacob, Prophetarum quoque et Sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, et ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus na-*

ta est Virgo liberior, Sancta Maria nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus ejus erupit in florem. Ergo cum S. Hieronymus progenitores Christi liberos fuisse dicat, eoquod peccatum non sit eis dominatum; Virginem vero eis liberiorem fuisse asserat, satis insinuat nullum in ea simpliciter fuisse peccatum. *S. Augustinus* Lib de Nat. et Gratia, Cap. XXXVI. *Excepta itaque Sancta Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum: quae concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* S. Fulgentius in Serm. de duplici Nativit. Christi: *In secundi hominis Matre gratia Dei et mentem integram servavit, et carnem.* S. Ildephonsus Toletanus in Serm. de Assumptione Deiparam comparat cum Arca veteris Testamenti, *supra quam propitiatorium et Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur; quia Mariae nullum intrinsecus obrepsit peccati contagium: sed intus omnis custodia legis, et manna fuit.* S. Anselmus Cantuariensis Lib. de Conceptu Virginali, Cap. XVIII. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illo niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus, idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat; et de qua Spiritus Sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur ille, de quo ipse procedebat.* S. Bernardus Serm. II. de Assumpt. *Ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum*

non habuit. Et in Epist. CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenses ; *Ego puto , quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit , quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum: Decuit nimirum Reginam Virginum, singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitae et justitiae omnibus obtineret.* Antiquissimae huic Patrum doctrinae suffragantur Theologi Orthodoxi omnes cum *S. Thoma*, *S. Bonaventura etc.*

CXXX. Prob. III. Authoritate Ecclesiae. Ecclesia, quae est basis, columna, et firmamentum veritatis, jam a pluribus saeculis celebrat Nativitatem Deiparae. Ergo hoc ipso sentit, jam tunc fuisse illam in gratia confirmatam, quando nata est; quia Ecclesia non veneratur publico ac solemni ritu nisi eam sanctitatem, quae perpetuo est duratura. Praeterea *Tridentinum* Sess. VI. Can. XXIII. declaravit hanc ipsam esse traditionem Ecclesiae, quod Deipara ab omni peccato etiam veniali et levissimo, semper immunis fuerit

CXXXI. Prob. IV. Ratione Theologica ex *S. Thoma* in III. Parte, Quaest. XXVII. Art. IV. *Respondeo dicendum ; quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.— Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei: et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit: Invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies etc.*

Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem: -- tum etiam quia singularem habuit affinitatem ad Christum, quia ab eo carnem accepit, -- tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem San. Cap. I. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo sunpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale; ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. IV. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te Caeterum si cui rationes istae a D. Thoma allatae, congruae quidem, non tamen rem certam atque perspicuam facere videantur, sciat non aliam hic dari posse rationem quae omnino satisfaciat, quam beneplacitum Dei, in Verbo scripto et tradito nobis manifestatum.

CXXII. *Quaeres.* An B. Virgo, eoquod in gratia fuerit confirmata, habuerit potentiam peccandi? R. cum *Theophilo Raynaudo* in Diptychis Marianis, Parte II. Puncto IX. Num. XXXV, aliisque, affirmative. Quamdiu enim Deipara fuit in hac vita mortali, non debuit locari extra conditiones status illius, inter quas est flexibilitas arbitrii in utramque partem, atque adeo potestas peccandi. Neque confirmatio in gratia, quae B. Virgini adhuc viatrici negari nullo modo potest, continetur carentia potestatis peccandi: etenim Apostoli confirmati erant in gratia; et tamen peccare poterant, ac teste Joanne Apostolo, reipsa venialiter peccabant. Quamvis autem non nisi levia peccarent, tamen non destituebantur potestate peccandi graviter: non quidam in sensu

composito cum tali dono gratiae, ut per se patet, sed in sensu diviso. Igitur confirmatio in gratia consistit in ubertate auxiliorum congruorum, quibus voluntas efficaciter illicitur ad bonum, tametsi eluctabiliter, atque adeo cum potestate peccandi. Ea enim libertas auxiliorum congruorum, juncta divinae protectioni externae, sufficientissima est, ut intelligamus hominem in gratia sanctificante firmari, id est, ita in ea stabiliri, ut certo ea non excidat, quamvis posset excidere, si luberet.

OBJECTIONES.

CXXXIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Ex una parte Scriptura generaliter pronuntiat, quod in multis offendamus omnes: quod omnes habeant peccatum etc. ex altera parte locus a nobis adductus ex Cap. III. *Genesis* parum est efficax ad evincendam immunitatem Deiparae ab omni peccato. Ergo. P. A. In Hebraico textu non legitur *ipsa*, sed *ipse conteret caput tuum*: atque hoc pronomen non refertur ad mulierem, sed ad ejus semen, quod itidem in Hebraico est generis masculini, latine autem vertendum esset *ipsum*, nimirum semen mulieris, idest, Christus conteret caput tuum. R. has Scripturarum generales locutiones intelligendas esse in sensu accommodo; quia Scripturae loquuntur tantum de eo, quod communiter, generaliter, et per se fieri solet, praescindendo a speciali Dei gratia et privilegio. Ratio id dicendi petitur tum ex Verbo Dei scripto, tum etiam tradito, ex quo in probatione nostra intulimus immunitatem Deiparae ab omni prorsus peccato. Certe hos generales Scripturarum textus speciali Virginis privilegio non obstare declaravit tum Tridentinum Concilium,

tum communissima Patrum sententia. Immo *S. Augustinus* Lib. de Spiritu et littera, Cap. II. dicit, si quis de aliquo Sancto affirmet, eum numquam peccasse, non propriis viribus, sed gratia et dono Dei, non multum esse cum illo contendendum; sed potius, si id sufficienter ostendat, illi esse gratulandum. Ad alteram Antecedentis partem R. I. *Ipsa* in foemininо, non *ipse* legerunt antiquissimi Patres, *Claud. Marius Victorinus* Lib. I. in Genes. *Alcimus Avitus* Lib. III. Carm. Cap. VI. *S. Chrysostomus* Hom. XVII. in Gen. *S. Ambrosius* Lib. de Fuga saeculi, Cap. VII. *S. Augustinus* Lib. II. de Gen. contra Manichaeos, Cap. XVIII. et Lib. II. de Gen. ad litteram, Cap. XXXVI. *S. Gregorius* M. Lib. I. Moral. Cap. XXXVIII. Item *Eucherius*, *Rupertus Tuitiensis*, *Ven. Beda*, *Rabanus*, *Strabo* in hunc locum, *S. Bernardus* Ser. II. super *Missus est.* Neque repugnat huic lectioni textus Hebraicus, qui ambiguus est, ut ostendit Card. *Bellarminus* Lib. II. de Verbo Dei Cap. XII. Atque hanc lectionem retinuit Vulgata nostra, quam si Ecclesiae authoritatem rejicientes contemnant Protestantes, qui demum ipsi probare poterunt, legitimam se habere Scripturarum versionem? R. II. cum *Cornelio a Lapide* Comment. in l. c. eamdem in utraque lectione sensum exprimi. Nam cum Deus hic opponat, quasi antagonistas mulierem cum suo semine, serpentium suo semine; consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contriturum caput serpentis: sicut e contrario serpens tam mulieris quam seminis ejus calcaneo insidiatur.

CXXXIV. *Dices.* Saltem locus ille ex Cap. IV. Canticorum adductus, *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, nihil evincit. Ergo. P. A. Quam-

vis concedatur, Salomonem in Cantico Canticorum figurata loqui, et sub aliis vocabulis alia significare: quae tamen in illo dicuntur, Patres, aliique Scripturarum interpretes, communiter intelligunt de Christo, et Ecclesia sponsa sua. Ergo verba illa intelligi nequeunt de Deipara, sed de Ecclesia. R. N. A. Ad *probat.* N. C. Idem Scripturae locus plures habere potest litterales sensus, simul aeque ab eodem Spiritu Sancto intentos, ut non obscure indicant *S. Hieronymus* Comment. in Cap. III. Epist. ad Ephesios, *S. Augustinus* Lib. XII. Confess. Cap. XXXI. *S. Leo M.* Serm. IX. de Nativ. Domini, *S. Gregorius M.* Lib. I. in Ezechielem, Hom. VIII. *S. Thomas* I. Parte, Quaest. I. Art. X. Nihil ergo vetat, quo minus illa eadem testimonia, quae de Ecclesia, vel de Christo Domino secundnm sensum litteralem accipiuntur in sensu itidem litterali de Deipara quoque dicta esse intelligantur; quae Ecclesiae nobilissimum membrum est, et cum ipso Christo tam arcta necessitudine conjuncta, quam est Mater cum Filio. Itaque juxta communem Sacrorum Interpretum sensum canuntur quidem in Cantico Canticorum spirituales nuptiae Christi et Ecclesiae, ita tamen ut etiam de particularibus sponsis, et specialis praerogativae jure de B. V. Maria, tamquam de sponsa omnium lectissima et dilectissima, sermo sit. Plures etiam antiqui doctique Interpretes totum istud Canticum de ipsa B. Virgine integro commentario explanarunt, Rupertus Abbas Tuitiensis, Alanus Magnus de Insulis, Honorius Augustodunensis, Dionysius Carthusianus, aliique.

CXXXV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. *S. Basilius* Epist. CCCXVII. asserit Deiparam dubitatione quadam fluctuasse moriente Christo, et scandalo jacta-

tam, quando supplicio vidit affectum filiam. Etenim *animam*, ait, *omnem passionis tempore dubitationi cuidam fuisse subjectam, secundum Domini vocem, qui dixerat, Omnes vos scandalum patiemini in me.* Idem affirmat S. Cyrillus Alexandrinus suis in Joannem Commentariis, qui insuper scribit Deiparam a Christo Joanni discipulo commendatam fuisse, ut egregius ille Mystagogus Misterii Passionis altitudinem recte et idonee Deiparae explicare posset. II. S. Chrysostomus Hom. XXVII. et Hom. XLIV. in Matth. explicans illud *Quae est Mater mea, et qui sunt Fratres mei?* scribit: *Nam quod illa* (Deipara) *facere instituerat, supervacaneae cujusdam ambitionis erat. Quippe volebat ostentare populo, se filio dominari, et in eum authoritatem exercere: cum nondum de ipso magnum aliquid imaginatione sua sibi proponeret. Ideo intempestive accessit. Ac vide quaeso iam ipsius, quam illorum superbiam.* Similia habet Tertullianus Lib. de Carne Christi, Cap. VII. III. S. Chrysostomus Hom. IV. in Matth. ait, nuntiatum prius fuisse Virgini, conceptum iri in ejus utero filium; ne si rei penitus ignara gravidam se postea deprehendisset, in summam perturbationem ac metum veniret: *Quippe verisimile est, si quid actum esset, ignoraret, gravius aliquid in se consulturam esse, ac laqueo ferrove sibi vitam erepturam; quod tantae ferendae ignominiae impar esset.* IV. Idem S. Chrysostomus Hom. XXI. in Joan. causam affert ejusmodi, cur Mater Christi ab eo postulaverit, ut aquam in vinum converteret: *volebat enim tum de illis benemereri, tum se ipsam illustriorem per Filium facere, ac fortassis humani aliquid est passa; quemadmodum et fratres illius dicentes, Manifesta te ipsum mundo: nempe cu-*

pientes gloriam ex miraculis capere. Propterea durius illis respondit. Suffragantur Chrysostomo *Euthimius* in Cap. II. Joannis, et *Maximus Taurinensis*, qui Hom. I. in Epiphan. Domini propterea temeritatis notam Virgini Deiparae inurit. R. Cespitationem paucorum Patrum, qui parum commode de Deipara scripserunt, nihil officere certitudini sententiae nostrae. Illi enim levissimis, ac minime justis, ut paulo post ostendemus, inducti fuere rationibus ad id opinandum; ac communissimae Patrum sententiae, praecipue Latinorum, aperte adversantur, ut patet consideranti textus a nobis in probatione allatos, quibus nunc tota Ecclesia suffragatur.

CXXXVI. *Objiciuntur III.* a Protestantibus praetensi Deiparae lapsus. I. B. Virgo dubitavit in fide, quando Gabrielem Archangelum interrogavit, *Quomodo fiet istud?* II. Ex culpabili negligentia filium amisit; perditum nimis sollicite et anxie inquisivit: inventum arroganter et superbe allocuta est. III. In Cana Galileae ambitiose miraculum a Filio suo postulavit; ideoque acriter ab illo fuit reprehensa. Joan. Cap. II. *Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.* IV. Ambitiose Filium interpellavit tempore praedicationis, ut ostenderet populo, se Filio suo dominari. V. In morte Christi de illius Divinitate dubitavit, sicut illi praedixerat Simeon Lucae Cap. II. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*: et nimis molliter ejus mortem tulit. VI. Certum est, quod Deipara Orationem Dominicam saepius recitaverit, in qua dicitur, *Et dimitte nobis debita nostra*, id est, peccata. Ergo non fuit immunis ab omni peccato. R. haec crimina infrunita prorsus petulantia Deiparae affingi, praesertim hoc aevo,

quo Deiparae immunitas ab omni peccato personali Ecclesiae judicio satis videtur eliquata. Ut vero manifestum sit omnibus, quam vana ac futilia, omnique ratione destituta hic a Protestantibus objiciantur, brevi responsione singula singillatim diluemus.

CXXXVII. Itaque ad I. R. N. A. Deipara nuntianti sibi Angelo conceptum prolis ac partum, credidit; modum tamen, quo res haec perficienda erat, inquisivit. Nam, quia filii conceptio castitatis voto videbatur contraria, ad se pertinere putavit, quis esset futurus modus talis conceptionis, interrogare, et discere quid officii in eo negotio ipsa esset praestitura. Hanc fuisse mentem et fidem Virginis satis ostendunt verba Elisabeth Lucae Cap. I. v. 45. *Beata, quae credidisti*: et Patrum encomia, quibus ideirco Deiparam ornant. S. Irenaeus Lib. XIII. adv. Haer. Cap. XXXIII. ait: *Quod Eva alligavit per incredulitatem, hoc Maria solvit per fidem, qua et altissima Mysteria statim credidit, et sine mora obediendo consensit.* S. Augustinus Serm. CCXC. alias Homil. XLIV. inter L. Cap. V. *Intelligimus Carissimi, quoniam Zacharias, quando ait, Per quid ego cognoscam hoc? Ego enim sum senex, et uxor mea progressa in diebus suis; desperando dixit, non inquirendo: Maria vero quando e contra ait, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? inquirendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, de promissione non dubitavit.*

CXXXVIII. Ad II. R. N. A. Christus sine culpa et negligentia Parentum a via deflexit. Lucae Cap. II. v. 43. *Et non cognoverunt parentes ejus.* Quod eo facilius accidere potuit, quo ipsi minus erant solliciti; quia Filii virtutem, Divinitatem, et sapientiam exploratam

habebant, nihilque sine illius voluntate evenire posse certo sciebant; quod satis significant verba illa, non superbiam, ut criminantur Sectarii, sed insignem fidem et charitatem redolentia, Lucae Cap. II. v. 48. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Cum vero exacto unius diei itinere; cum inter notos et amicos Maria et Joseph non invenirent, Jerosolymam regressi sunt, inquirentes illum. Quamvis enim nullius culpae sibi conscii essent; quia tamen ignorabant, quid in tenera illa aetate Christus agere meditaretur, et an humanae salutis negotium publice aggredi vellet, merito erant solliciti, cavebantque, quantum in se erat, a Filio non separari. Quod si quaeras, cur Christus Mariam et Josephum certiores non fecerit commorationis suae in Templo, eosque Nazarethum praeire non jusserit? R. id neutiquam a Christo factum esse, quod ab illis impediendum se praevideret, patefacto semel consilio suo; sed ob majus Parentum meritum, uberiusque divinae gloriae incrementum. Facta enim apud notos et amicos a Deipara diligenti pervestigatione, pronum erat eos cupiditate incendi rei exitum explorandi, et quid demum Christo contigisset: sicque, Deo ita disponente, contigit, ut admirabilis Christi sapientia, quam adeo Jerosolymitani Templi Doctores suspexerant, latius apud Naxarenos dimaneret, non absque prolixa divinae gloriae commendatione.

CXXXIX. Ad III. R. In ea Virginis petitione nullam elucere ambitionem, sed eximiam potius fidem et charitatem; nec verba Christi ullam reprehensionem continere: non enim verbo Matrem objurgavit, qui eam facto honoravit. Christus itaque, ut omnes intelligeremus miraculorum hujusmodi momenta altioris cujus-

dam providentiae consilio temperari, (quod etsi Deipara non ignoraverit, non tamen satis ad aliorum usum et utilitatem expresserat,) utque ostenderet, miraculorum faciendorum vim parentum authoritati non esse subjectam, Matri suae dicenti, *Vinum non habent*, respondit, *Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Quae verba non semper objurgationem ac reprehensionem significant; sed saepe indicant, suo judicio usurum in re aliqua, qui sic loquitur, nec ab alieno arbitrio pendere, aut legem imponi sibi se esse passurum. Certe Mariam illis verbis a Christo reprehensam non fuisse, vel ex eo dignoscitur, quod illa obtinendi beneficii secura, ministros prompte omnia exequi jusserit, quaecumque Jesus dixisset. Quare longe probabilior videtur mihi eorum opinio, qui citata verba ita interpretantur: Quid hoc ad me, vel ad te? si vinum non habent, vino non indigemus: nondum venit tempus, vivente adhuc Precursore meo Baptista, Divinitatem meam prodigiis comprobandi. *Mulier.* Mulierem vocatam a Christo fuisse Deiparam putat Caesar Calino *Trattenimento Storico sopra i Vangeli*, *Lib. IV. Cap. X.* eo modo, quo semetipsum Christus vocavit *Filium hominis*: ne forsitan illi, quibus se verum esse Dei Filium manifestaverat, opinarentur, Deum aliquem sub Mariae schemate latitare, sicque Christum non esse verum hominem, ut pote non ex foemina natum. *Ven. Petrus Canisius* Lib. IV. de Maria Virgine, Cap. XVIII. putat, Christum non Matris, qua cum illi perbelle semper conveniebat, sed aliorum causa, subaspere ac duriuscule respondisse, ut contra futuros haereticos hoc responso doceret, se majus habere aliquid, quam quod ex Maria sumpsisset; seque

non solum illius, sed et Dei Filium esse ac divinam quidem naturam sine Matre, sine tempore perfecte sibi constare, ac etiamnum in carne libere operari: ut doceret miraculorum patrandorum authoritatem non ab humanis affectibus, neque a Matre quidem, sed a divina virtute pendere, solique Deo adscribendam esse: ut doceret, suum et aliorum, qui negotium Evangelicum probe administratum volunt, proprium esse munus, sepositis carnis affectibus, et affinium parentumque consiliis rejectis, non humana sapere, sed divina curare.

CXL. Ad IV. R. Nullum ibi peccati vestigium, objurgationem nullam deprehendi. Deipara non materna authoritate sermonem interrupit, non in domum irruit, in qua Filius verba faciebat; sed foris stabat, quaerens Filium alloqui, donec quidam de turba Christum interpellantes admonuerunt eum, Matrem, et consanguineos foris expectare. Christus occasione hac utendum ratus, respondens dixit ad illos *Lucae* Cap. VIII. v. 21. *Mater mea, et Fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt.* Ut circumstantes doceret, propter consanguineos Dei opus intermittendum non esse, potiorique apud se loco esse homines charitatis operibus deditos, quam consanguineos suos, ipsamque Matrem, si solus in ea Maternitatis titulus spectetur.

CXLI. Ad V. R. Haec absque ullo prorsus fundamento dici: siquidem Simeon gladium illi praedixerat, non infidelitate et dubitationibus, sed compassionis; quia ob mortem Christi summo dolore erat afficienda. Quamvis autem acerbissimo tunc doloris gladio fuerit transfixa; nihil tamen invicta animi fortitudine, et coelesti robore virginei pectoris indignum egit. Un-

de exsibilandi sunt, qui insanarum matrum pro filiis in pari causa intemperias ad Sacrarium Spiritus Sancti transferre, ac dicere non verentur, Deiparam in morte Filii spasmo correptam, exanimem fere prope Crucem corruisse, unguibus ac digitis genas dein lacerasse, capillos vulsisse, pugnis contudisse pectus, vicina loca vociferationibus atque ejulatu complesse, multaque in Judaeos ac Judam proditorem intorsisse. Perspectum habebat Virgo, hanc esse debitam Deo satisfactionem pro expiandis hominum peccatis: nec aliam ob causam descendisse Verbum divinum in terras, et carne indui voluisse, quam ut per ignominiam Crucis homines e captivitate daemonis liberaret. Itaque conformabatur agnitae Dei voluntati, quia gratiae plenitudinem a Deo obtinuerat: immo ipsa suis manibus, si oportuisset, ad explendam Dei voluntatem, filium crucifigere parata fuisset: quandoquidem virtute et obedientia excellentior erat Abrahamo. Admirabilem hanc Virginis constantiam egregie pro more suo describit *S. Ambrosius* Epist. XXV. *Maria Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi Sanctus Evangelista. -- Sed nec Maria minor, quam Matrem Christi decebat. Fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, et piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem; sed mundi salutem. --- Hanc imitamini Matres sanctae, quae in unico filio dilectissimo tantum maternae virtutis exemplum edidit.*

CXLII. Ad VI. C. A. N. C. Verba illa, *Dimitte nobis debita nostra*, protulit Deipara pro aliis: ac pro tota Ecclesia: pro se vero gratias potius pro acceptis beneficiis agebat, eorumque perpetuam durationem postulabat. Neque majus nobis negotium facessunt, qui

Confessarium ordinarium S. Joannem Evangelistam, extraordinarium vero, priori nimirum absente, S. Jacobum Jerosolymitanum Episcopum Deiparae obtrudunt, a quibus in sacramentali confessione expiaretur. Hujus enim perabsurdae opinionis patroni *B. Albertus Magnus* super *Missus est*, Quaest. XXXIX. XL. XLIII. *Dionysius Carthusianus* Lib. III. de laudibus Deiparae, *Pelbartus de Temesvar* Lib. VII. Stellarii, Parte I. Art. II. Cap. III, nimium quantum ab Apostolorum aevo remoti fuere; ideoque nullam merentur fidem, cum nullum idoneum testem rei hujus antehac inauditae proferre valeant. Putant quidem isti, Deiparae confessionem non fuisse peccatorum, sed beneficiorum Dei, et suae incongruitatis ad magnitudinem eorum, aut tantum sub conditione se accusasse, si v. g. in tali opere per negligentiam deliquisset. Verum quam incongrue haec dicantur, nemo non videt. Cuilibet enim exploratum est, Sacramentum Poenitentiae administrari non posse deficiente materia remota, quam peccata personalia constituunt: ignorantiam vero affingere Deiparae, ut posset confiteri, vel dicere eam confessam fuisse solum conditionate, repugnat manifeste eminentissimae Virginis perfectioni, quae in omni opere suo perfecte cognoscebat, quid secundum rectam rationem fieri posset, et oporteret: nihilque agebat, quod Deo gratum acceptumque fore certo non existimaret.

CXLIII. *Objicitur IV.* Ratio. Deipara habuit fomitem peccati. Ergo experta est motus sensualitatis antevertentes plenam quidem et perfectam, non tamen omnem deliberationem rationis. Atqui hi motus semideliberati sunt peccaminosi, quia levem aliquam malitiam continent. Ergo Deipara non caruit omni peccato.

personali. Antequam respondeam, noto I. quod fomes peccati sit inordinatus motus appetitus sentientis, praeveniens rationem, inclinans, et alliciens voluntatem ad aliquid contra rectam rationem. Noto II. triplicem esse Catholicorum Doctorum sententiam. I. est Alexandri de Hales, qui peccati fomitem in Deipara penitus extinctum fuisse asserit, quam primum in utero matris sanctificata est. II. est B. Alberti Magni, et S. Thomae, qui censent, post primam sanctificationem remansisse in B. Virgine peccati fomitem, secundum essentiam, perpetuo tamen ligatum seu impeditum, ne in ullum inordinatum motum prodiret; in secunda vero sanctificatione, quae contigit in conceptione Christi, fuisse omnino sublatum. III. eaque nunc communissima cum Suario, Toleto, Vega, Catharino, Canisio, Vasquio, Valentia etc. tenet, peccati fomitem in Deipara nec ligatum umquam fuisse, quasi revera in illa aliquamdiu manserit; nec etiam extinctum aut sublatum, quasi aliquando in ea praecesserit; sed nullo umquam modo in Virgine extitisse. Ratio tribus his sententiis communis, est voluntas Dei manifesta nobis per Scripturas, et Sanctos Patres, qui dicunt Deiparam immaculatam esse, purissimamque: nihil eam cum terrenis affectionibus commune habuisse, Angelis ac Seraphinis puriorem fuisse etc. Et quamvis Deus, relicto etiam fomite, potuisset omnem culpam impedire in B. Virgine; cum tamen omnia sapientissime et suavissime provideat, et fini idonea media accommodet, longe connaturalius Deiparam ab omni fomite, atque inordinato motu liberam fecit: quia moraliter impossibile est pati inordinatos motus, et ne venialiter quidem ac subreptitie umquam delinquere. Ex his jam habetur respon-

sio ad propositum argumentum. Nego enim Antecedens, et Conseq. Quamvis enim, quod a nobis nequaquam conceditur, datus fuisset aliquando fomes peccati in Deipara, ligatus tamen fuisset, ne in ullum motum inordinatum ac rationi contrarium, etiam semideliberatum, prodiret.

CONTROVERSIA II.

AN DEUS SIT AUTHOR PECCATI?

Contra Libertinos, Calvinum, Zwinglium, Bezam.

CXLIV.

Simon Magus, haereticorum omnium Patriarcha, Deum ea ratione peccatorum nostrorum causam esse dixit quod eam naturam nobis dederit, quae non possit non peccare. Hinc Vincentius Lerinensis, in aureo suo Commonitorio adversus profanas vocum novitates, de eodem scribit Cap. XXIV. *Quis ante Magum Simonem, Apostolica districtione percussum; a quo vetus ille turpitudinum gurges, usque in novissimum Priscillianum, continua et occulta successione manavit, authorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere Creatorem Deum?* Cerdonistae, Marcionitae, Manichaei, eorumque propago Priscillianistae et Albigenses, primariam peccati causam Deum malum esse voluerunt. Saeculo II. Florinus, quem edito libro acerrime impugnavit *S. Irenaeus* Lugdunensis Episcopus, quamvis unicum solummodo Deum, eumque bonum admitteret, ausu tamen plus quam haeretico Deum

fecit peccati authorem, teste *Eusebio* Lib. Hist. Eccles. Cap. XIX. Florinum secuti sunt Joannes Wickleffus, Quintinus Sartor Picardus, Libertinorum sectae conditor, Ulricus Zwinglius, Martinus Bucerus, Petrus Martyr sive Vermilius, Joannes Calvinus, Theodorus Beza, Philippus Melanchton, qui in Cap. VIII. Epist. ad Rom. dicit, sic esse opus Dei Davidis adulterium, e Judae proditionem, ut Pauli vocatio. Retractavit tamen hanc insaniam Melanchton in libro de Locis communibus.

CXLV. Equidem *Calvinus* tum alibi, tum in Admonitione adversus Libertinos longa disputatione probare nititur, Deum non esse authorem peccati, eumque a turpissima hac nota purgare nervis omnibus contendunt Calviniani: sed frustra sunt, atque id solum evincunt, Calvinum pro more suo sibi non constare, ac pugnantia loqui. Cum Quintinistis depugnans, negat ille Deum esse authorem peccati: At vero contra Catholicos disputans aperte eam insaniam docet. Certe Lib. I. Institutionis, Cap. XVIII. Paragr. III. antea locutus de gravissimis sceleribus, de incestu Absolonis, de apostasia decem Tribuum, de rabie Judaeorum in Christum furentium, haec subjungit: *Et jam satis aperte ostendi, Deum vocari omnium eorum authorem, quae isti Censores volunt otioso tantum ejus permissu contingere.* Praeterea manifeste id ex toto Calvinianae doctrinae systemate necessario fluxu consequitur. Calvinus enim docet I. Deum non solum velle fieri, sed etiam ab aeterno decrevisse ut fierent quaecumque patrantur ab hominibus peccata, quamvis non praevisa determinatione voluntatis humanae; cum juxta Calvinum Deus praesciat futura, quia ipse decrevit ut fierent. II. Deum non solum ab aeterno decrevisse, ut patrarentur

quaecumque fiunt ab hominibus peccata; verum etiam imperasse Satanae, et improbis hominibus, ut nos ad peccandum inducant: eosque ad hoc a Deo inclinari, urgeri, impelli. Cum enim Deus in impio Calvini systemate, ante omnem praevisionem demeritorum, absolute decreverit aliquibus infligere poenas aeternas: in hac vero providentia nemini hae poenae actu infligantur, nisi ob commissa peccata, necessarium est, ut Deus reprobos in peccandi necessitatem detrudat; alias periculo se exponeret non obtinendi effectum reprobativi sui decreti. III. Deum operari in mentibus impiorum, et per eos, ut sua instrumenta: ipsum, tamquam primam causam, facere ea omnia, quae respectu hominum quidem sunt, et dicuntur vera peccata: respectu Dei vero sunt opera bona et justa, eoquod homines mala intentione Deus autem optima mente, bonoque consilio illa omnia faciat. IV. Deum positive excaecare, indurare homines: eos occulta quadam vi incitare, movere, necessitare ad omnia flagitiorum genera perpetranda. Ex quibus manifesta consecutione deducitur, juxta Calvinum, Deum esse flagitiorum omnium authorem et causam. Ille enim omnium prudentum judicio, est moralis causa, et primarius author peccati, qui physice et effective, tamquam principale agens, illud ponit: qui incitat, impellit, necessitat ad peccatum: qui utitur creatura tamquam mero instrumento: qui efficaciter procurat, ut quis peccet. Atqui, juxta Calvinum, talis est Deus. Ergo juxta Calvinum Deus est moralis causa et author peccati. Vide *Cardin. Bellarminum* Lib. II. de Amissione gratiae et statu peccati, Cap. III. et *Becanum* in Manuali Lib. III. Cap. V.

CXLVI. *Conclusio.* Deus non est author et causa

peccati. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Psal. V. v. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapientiae Cap. XIV. v. 9. *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Ecclesiastici Cap. XV. v. 21. *Nemini mandavit impie agere.* Ezechielis Cap. XVIII. v. 23. *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus?* Oseae Cap. XIII. v. 9. *Perditio tua Israel*, (id est, ex te,) *tantummodo in me auxilium tuum.* I. ad Thessalon. Cap. IV. v. 3. *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* II. Petri Cap. III. v. 9. *Nolens aliquos perire.* Jacobi Cap. I. v. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

CXLVII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Justinus in Dial. cum Tryphone ait: *Illud quoque ante docui, Deum non esse causam, cui ii quorum peccata ante cognita sunt, sive Angeli, sive homines improbi efficiantur; sed sua quisque culpa tales sunt.* S. Irenaeus in Lib. adversus Florinum, apud Eusebium Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XIX. *Ista dogmata, Florine, ut tecum agam humanius, sanae doctrinae et sententiae non sunt. — — Ista dogmata ne haeretici quidem, qui erant ab Ecclesia exturbati, umquam affirmare audebant. Ista dogmata Praesbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant Apostolorum discipuli; minime tibi tradiderunt.* Eusebius Caesariensis Lib. VI. Praeparat. Evang. Cap. V. *Impius profecto judicabitur, immo vero pessimus omnium, qui a Creatore universi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur. Unde sequitur, aut haec peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri.* S. Basilius in Hom. *Quod Deus non est author malorum*, scribit: *Revera mente et*

prudentia privatus est, qui dicit Deum non esse. Consimilis vero huic est, et nihilo inferior dementia: qui dicit Deum malorum esse authorem. Aequale enim ipsorum peccatum esse judico, propterea quod utrique Deum esse negant; alter quidem omnino non esse dicens, alter vero non bonum esse decernens. Si enim malorum author est, nimirum non bonus est. Quare utrimque negatio est Dei. S. Augustinus Lib. XIII. de Trinit. Cap. XII. *Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, juste tamen.* Et Lib. V. de Civit. Dei, Cap. IX. *Sicut omnium naturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malae quippe voluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt, quae ab illo est.* Idem libros III. scripsit de Libero arbitrio, ea potissimum de causa, ut ostenderet Deum non esse authorem peccati. *S. Prosper Aquitanus* in Responsione ad Capitula Gallorum, Cap. XIV. *Infidelitas non credentium Evangelio, nequaquam ex Dei praedestinatione generatur. Bonorum cum Deus author est, non malorum.* S. Fulgentius Lib. I. ad Monimum, Cap. XIII. *Potuit Deus, sicut voluit, praedestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad poenam. Sed quos praedestinavit ad gloriam, praedestinavit ad justitiam: quos autem praedestinavit ad poenam, non praedestinavit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex praedestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum juste peccare. Nullus autem hominum juste peccat, quamvis eum Deus juste peccare permittat.* Idem communi consensu asserunt reliqui Patres, *Origenes* Lib. IV. contra Celsum. *S. Athanasius*

in Orat. contra idola. *S. Epiphanius* Haer. LXVI. *S. Chrysostomus* Hom. III. in Gen. et Hom. XXIII. in Acta Apost. *S. Gregorius Nazianz.* Orat. I. in Julianum. *Theodoretus* in Epitome divin. Decret. Cap. de Antichristo. *S. Damascenus* Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XX. *Tertullianus* Lib. adv. Hermogenem. *S. Ambrosius* Lib. de Paradiso, Cap. XV. et Lib. II. de Cain et Abel, Cap. IX. *S. Hieronymus* in Cap. I. Epist. ad Ephesios. *S. Gregorius M.* Lib. II. Moralium, Cap. XXI. et Hom. IX. in Ezechielem etc.

CXLVIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. *Arausicanum II.* Capit. XXIII. ait: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem id faciunt, quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant, illius tamen voluntas est, a quo et praeparatur, et jubetur quod volunt.* Et Capit. XXV. *Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Tridentinum Sess. VI. Canone VI. *Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli; anathema sit.*

CXLIX. Prob. IV. Ratione Theologica, eaque multiplici. I. est. Deus non potest velle, desiderare, aut praecipere id, quod ipsius naturae omnino contrarium est, quodque ipse maxime execratur. Atqui peccatum naturae divinae omnino contrarium est; eoquod natura Dei sit bonitas infinita, peccatum vero summa sit

malitia. Ergo cum inter Deum et peccatum nulla sit proportio, sed maxima contrarietas, Deus non potest velle, desiderare, aut praecipere peccatum. II. Deus non potest ex animo velle et desiderare ut fiat id, quod diserte, serio, ac severe prohibet fieri: Deus enim habere non potest voluntates inter se contrarias. Atqui Deus diserte, serio, ac severe prohibet peccata, ut Scripturae sacrae innumeris locis testantur. Ergo. Neque dicas, Deum velle peccatum, non sub ratione mali, sed ex bono fine: praeterquam enim, quod etiam homo peccatum non velit sub ratione mali, quando objectum voluntatis est turpe, bonus finis neque excusat, neque impedit malitiam voluntatis. Nemo enim potest recte appetere adulterium, aut mendacium, etiamsi bono fine se dicat illud appetere, v. g. ad declinandum gravissimum incommodum. III. Nemo, nisi tyrannus, punit illud, quod ipsius voluntate ac consilio factum est. Atqui Deus punit peccata hominum, et quidem gravissimis suppliciis, tam in hac quam in altera vita. Ergo peccata hominum non fiunt voluntate ac consilio Dei. Neque dici potest, Deum punire peccata ad manifestandam justitiam suam: nam hoc Tyrannorum proprium est, eo fine velle alios delinquere, ut possint in iis puniendis libidinem suam explere. IV. Si Deus vellet hominem peccare, sequeretur aperta contradictio, hominem nimirum non peccare quando peccat. Ergo. P. A. Qui voluntatem suam cum divina voluntate conformat, non peccat; eoquod illa actio conformis sit voluntati divinae, quae est summa perfectionis regula: ideoque nullatenus peccarunt Judaei spoliantes Aegyptum, aut Abraham immolare volens filium suum Isaac. Sed qui peccatum committit, conformaret suam voluntatem

cum divina; quia juxta Calvinum Deus vult ab illo committi peccatum. Ergo qui peccatum committit, non peccat. Ergo frustra venit Christus in hunc mundum ad peccata tollenda. Ergo peccatum nihil est nisi falsa opinio, ut contendunt Libertini. V. Si Deus vult peccata perpetrari, sequitur, eos qui aliena diripiunt, vel adulteria et homicidia perpetrant, templa et altaria evertunt etc. non tantum non peccare, sed bene etiam atque honeste agere: e contrario eos solos peccare, qui haec fieri prohibent. Nam priores illi conformant se divinae voluntati; posteriores vero directe obsistunt, quia vetant ea fieri, quae Deus absolute vult fieri. VI. Si Deus vellet peccata ab hominibus perpetrari, eosque ad peccandum urgeret, impelleret, necessitaret, ipse Deus gravissime peccaret. Atqui hoc implicat. Ergo. P. M. Haec voluntas Dei foret mala, utpote contraria Sanctitati et essentiae Dei, quae omne peccatum necessario execratur, et prohibet. Ergo esset peccaminosa: ubi enim est voluntas mala, ibi peccatum est. Prob. etiam minor propositio. Peccare est deficere, ac recedere a regula legis aeternae, quae est ipsa divina Sapientia. Atqui Deus deficere nequit; alias non esset Ens summum et infinite perfectum: neque recedere potest a divina Sapientia, quae cum Deo identificatur. Ergo implicat Deum peccare. Haec certe tam perspicua, tam evidentia sunt, ut Calviniana haec doctrina merito amentissima amentia, atque insanissimus furor sit appellanda.

OBJECTIONES.

CL. *Objicitur I.* generatim Authoritas Scripturarum. In scripturis divinis frequenter occurrunt textus,

qui si in litterali sensu sumantur, Deum peccati authorem esse dicunt. Ergo cum Scriptura in sensu litterali sumi debeat, dicendum est, Deum esse authorem peccati. R. I. Retorquendo. In Scripturis clarissimi atque innumeri textus dantur, a nobis Num. CXLVI. laudati, qui probrum hoc a Deo removent, causamque peccati non aliam designant, quam liberum hominis arbitrium. Ergo cum scriptura in litterali sensu sumenda sit, dici debet ipsum hominem esse causam peccati. R. II. Nisi Deum etiam velimus humanis affectibus agi, et corporeum esse, Scripturam non in proprio, sed figurato sensu sumendam esse, quando id vel irrefragabilis authoritas, vel ratio manifesta evincit, ut in praesenti controversia accidit. Hinc S. Augustinus Lib. III. de Doctrina Christiana, Cap. XVI. scribit: *Si praeceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficium jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est.* Praeterea ex Illustrissimo *Scipione Maffeio* Hist. Theolog. Lib. I. Cap. III. observo, duriusculas illas Scripturarum locutiones continuo emolliri, si quis noverit hebraicos esse hos modos loquendi, qui aliud sonant, aliud significant: consuetudinem item omnia Deo tribuendi, tamquam causae primae, fecisse ut Hebraei phrases adhiberent, quibus non raro Deo videantur adscribi ea, quae non nisi ab hominum perversitate procedunt. Sapienter S. Augustinus monet Lib. de vera religione, Cap. L. *Habet omnis lingua sua quaedam propria genera locutionum, quae cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.* Hebraicum idioma et Syriacam dialectum qui calent, optime norunt quam asperos habeat loquendi modos,

quamque ab eorum, qui Occidentis plagas incolunt, cogitandi ratione alienos. Non suppetunt Hebraeis verba, quae certas explicent praecisiones, aut recte distinguant agere et pati: carent non nullis temporibus, neque infrequenter tempus unum alteri surrogant: eodem utuntur vocabulo ad res affines quidem, at differentes: neque desunt iis verba et nomina, quorum significationes complures non diversae modo sunt, sed etiam oppositae. Expressiones saepe adeo sunt hyperbolicae, ut ad litteram spectatae mutare videantur significatum; peccatum enim irremissibile idem interdum est, quod difficulter condonabile, odisse idem ac minus amare etc. Novum usque adeo Testamentum, tametsi maxima saltem ex parte Hebraice scriptum non fuerit, Hebraismorum plenum est; tum quod veteris Testamenti effata saepe repetat: tum quod ab Hebraeis concinnatum sit.

CLI. *Objicitur II.* Praedestinatio impiorum. Deus ab aeterno praedestinavit, seu efficaciter decrevit et absolute peccata omnium hominum. Ergo est author peccati. P. A. Gen. Cap. XLV. v. 8. ait Joseph ad fratres: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et Cap. L. v. 19. *Nolite timere: Num Dei possumus resistere voluntati?* Act. Cap. II. v. 23. *Hunc definito consilio et praescientia Dei traditum* (Christum) *per manus iniquorum affigentes interemistis.* Act. Cap. IV. v. 27. *Convenerunt enim vere in Civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum Gentibus et populis Israel, facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Ergo Deus praedestinavit, seu efficaciter et absolute decrevit peccatum fratrum Joseph, et Judaeorum. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Deus praedefinivit pro-

fectionem Josephi in Aegyptum, benevolentiam et charitatem illius erga fratres, patientiam Christi, et redemptionem humani generis, supposita malitia fratrum Josephi, et Judaeorum, quam ab aeterno praesciebat quidem, et permittere decreverat, minime tamen praedefiniverat. Hinc verba Josephi ad fratres hunc habent sensum: Non vestro consilio, sed Dei providentiae causam ingressus mei in Aegyptum adscribo; Deus enim malitiam vestram praevisam in bonum usum convertit, ut salvos facerem multos populos, fame alias morituros. Illud vero, *Num Dei possumus voluntati resistere*? ad solum Josephum referendum est, de se in numero multitudinis loquentem ea de re, quae ad omnes pertinet Deum vere timentes. Hebraicus enim textus, cui consonat Graecus et Chaldaeus ita habent. *Nolite timere, nam sub Deo ego sum.* Id est, nolite putare, me illatae injuriae ultorem futurum; Deum enim timeo, et illi subjectus sum: atque ideo illum imitari, eique obedire debeo. Cum igitur Deus occasione vestri criminis tanta bona mihi contulerit, non possum vobis irasci, ne ingratus erga Deum videar.

CLII. *Dices I.* Deus praedefinivit mortem Christi, et redemptionem humani generis. Ergo Deus ab aeterno praedefinivit causam mortis Christi. Sed causa mortis Christi fuit peccatum Judaeorum. Ergo Deus praedefinivit peccatum Judaeorum. P. C. Qui absolute vult effectum aliquem, absolute vult etiam causam, sine qua effectus ille non daretur. Ergo. R. C. A. N. C. Ex antecedente plus non infertur, quam quod Deus decreverit permittere peccatum Judaeorum; minime vero quod illud praedefiniverit, vel praeordinarit. Aliud autem est permissio peccati, quae a Deo ordinatur ad finem bo-

num, ad manifestandas nempe mortalibus divinas suas perfectiones, justitiam, vel misericordiam : aliud est praeordinatio peccati, quae a Deo fieri non potest, eoquod nequeat velle aliquid turpe et inhonestum. Ad *probat.* D. A. Qui absolute, et nulla facta suppositione vult effectum, vult etiam causam, C. A. Qui facta suppositione, et sub conditione ab alio purificanda vult effectum, hoc ipso vult etiam causam, N. A. Deus juxta nostrum concipiendi modum, post praescientiam peccati Judaeorum, quod permittere statuit, praedefinivit mortem Christi, adeoque non nisi facta suppositione, quod Judaei ex propria malitia sint Christum interfecturi.

CLIII. *Dices II.* Si Deus peccata non praeordinat, sed tantum permittit, haec permissio fieret Deo nolente, aut volente : si Deo nolente ; Deus omnipotens non est, qui peccatum impedire nequeat : si volente ; ergo peccata fiunt Deo volente, ut contendit Calvinus. R. Permissio peccati, eoquod sit bona, Deusque illa utatur ad manifestationem divinarum perfectionum suarum, fit Deo volente : peccatum vero ipsum, quia semper malum est omni honestate carens, fit Deo non volente. Quod si inferas : Ergo peccatum ipsum fit Deo nolente. Nego illatum. Inter velle et nolle datur medium, nimirum non velle.

CLIV. *Dices III.* Si Deus prohibendo peccata non vellet ea fieri, nullum umquam committeretur ab hominibus peccatum. Atqui plurima committuntur quotidie. Ergo falsum est, quod Deus non velit ea fieri. P. M. Dei voluntati nemo potest resistere. R. D. M. Si Deus non vellet ea fieri, voluntate absoluta et efficaci, id est, si positive nollet ea fieri, C. M. Si Deus non vellet ea fieri, voluntate seria quidem, non tamen efficaci

et absoluta, N. M. Deus voluntate seria, et beneplaciti, quantum est in se, non vult peccata fieri, sed omnes cupit salvos fieri: non tamen ideirco liberum hominibus adimit arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur. Vult igitur Deus aut peccata non fieri; aut si fiant, justissimas poenas expetere.

CLV. *Dices IV.* Deus vult poenam, quam infligit. Atqui peccatum saepe est poena alterius peccati. Ergo Deus saepe vult peccatum. P. m. Peccatum saepe esse poenam alterius peccati testatur *S. Augustinus* Lib. V. contra Julianum, Cap. V. immo ipse Apostolus ad *Rom.* Cap. I. v. 28. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt.* R. C. M. N. m. Peccatum est poena alterius peccati improprie tantum ac consecutive, quatenus nimirum Deus in poenam prioris peccati homini gratiam efficacem denegat, sicque homo a Deo desertus facile iterum in priora scelera relabitur: aut etiam quatenus ex peccato alia mala consequuntur, v. g. tristitia, remorsus conscientiae, infamia, valetudo infirma etc. quae omnia verae poenae rationem habent. Quare ipsum peccatum poena dici non potest ratione sui, sed tantum ratione mali annexi, aut derelictionis et desertionis. Neque quidquam Catholicae veritati contrarium ex Augustini libris contra Julianum exsculpi potest. Augustinus enim Juliannm non repehendit, quod dixerit Deum tradere deserendo; sed I. Quia dixerat Julianus hominem a Deo non deseri in poenam alterius peccati. II. Quod per ly *deserere* non intellexerit destituere, seu non juvare cadentem, sed permittere ut quis haereat in desideriis, in quibus jam erat; cum tamen *tradi in desideria* aperte significet, permittere ut in aliquo sint desideria

prava, illisque consentiatur. III. Quia Julianus desertionem Dei non accepit pro destitutione auxilii efficacis, sed pro simplici tolerantia et patientia Dei.

CLVI. *Objicitur III.* Finis creationis impiorum. Deus impios creat ad sempiternum interitum, ut in illis puniendis divinam suam justitiam exerceat. Ergo Deo volente ac decernente fiunt peccata. P. A. *Proverb.* Cap. XVI. dicitur *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Ad Rom. Cap. IX. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exodi Cap. IX. v. 16. *Idcirco autem posui te* (Pharaonem) *ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.* Et ad Rom. Cap. IX. de eodem Pharaone dicitur: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* R. D. A. Deus impios creat ad sempiternum interitum, ante praevisionem absolutam demeritorum, N. A. Consequenter ad illam, C. A. N. C. Alicui ante demeritorum absolutam praevisionem supplicium decernere, non justitia est, sed injustitia; sicut injustitia est sine demerito aliquem suppliciis afficere, ut docet *S. Augustinus* Epist. CVI. nunc CLXXXVI. ad Paulinum: *Quemquam immeritum, et nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Deus igitur dicitur creare impios ad diem malum, quia creat illos cum aeterno decreto eos damnandi, sed praesupponente absolutam praevisionem demeritorum, quae ipse Deus facturus non est, sed solum permissurus; quae ipse non praeparavit, sed solum permittere decrevit ab aeterno, ut in tempore justitiam et potentiam suam demonstret in puniendis malis meritis, quorum non est author, sed justus ultor. Deus fe-

cit vasa quaedam in contumeliam ex materia damnata et contumeliosa, non pro voluntate sua, sed pro conditione materiae: non antecedenter, sed consequenter ad absolutam demeritorum praevisionem. Nec majorem difficultatem habet illud, quod de Pharaone *Exodi* Cap. IX, et ad Rom. Cap. IX. dicitur; teste enim *Augustino* Quaest. XXXII. in Exodum, habet hunc sensum: Ubi primum malus et impius effectus es, potui tibi regnum cum vita eripere: malui tamen in vita te diutius conservare, ut malitia tua, quam non feci, sed solum permisi, uterer ad probationem populi mei, et potentiae meae in tuo supplicio demonstrationem. Deus igitur non facit malos, sed illis utitur ad bonum electorum: neque creat, ut mali sint, sed creatos permittit fieri malos: neque malos effectos patitur ut pejores fiant, et malitiam suam augeant; sed ut vitio suo in malitia obstinati bonos excerceant, vel debito supplicio affecti admoneant, omnesque agnoscant, quanta sit ira et potentia Dei in sceleribus vindicandis.

CLVII. *Dices I.* Deus non ambiguo fine condidit reprobos. Ergo ab aeterno decrevit, ut enormia committerent scelera, et in impietate sua perseverarent. R. C. A. N. C. Deus omnes, creaturas rationales ad majorem suam gloriam condidit, serio desiderans, quantum est in se, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant, et aeternam salutem consequantur. Neque haec seria Dei voluntas, quamvis affective tantum respectu omnium, non effective efficax fuerit, frustranea dici potest. Siquidem idcirco ex hoc desiderio salutis omnium concessit Deus omnibus gratias vere sufficientes, quibus adjuti aeternam salutem consequi omnes possent, si vellent. Quod si vero homines nollent mandata servare, et

salutem adipisci, sicque misericordiam Dei commendare: voluit ut justitiam Dei punientis experirentur, fierique de illis voluntas Dei consequens praevisionem absolutam consummatae impietatis eorum, qui neglexerunt implere voluntatem Dei antecedentem eorum demerita. Ad hunc autem finem obtinendum nullo opus est decreto praedefinitivo, quo Deus efficaciter velit scelera patrari; sed sola sufficit praescientia cum decreto permittendi, seu non impediendi ea scelera.

CLXIII. *Dices II.* Deus debuit manifestare hominibus, posito quod creaturas condere voluerit, divinas suas perfectiones, misericordiam praecipue et justitiam. Ergo ab aeterno decrevit lapsum et interitum plurimorum hominum. P. C. Si nulla creatura in culpam lapsa fuisset, non esset qui juste puniri, aut misericorditer liberari posset. Ergo Deus ab aeterno praedefinire debuit lapsum et interitum plurimorum. R. C. A. N. C. Ad *probat* D. A. Non esset qui misericorditer liberari posset, liberatione reparativa, C. A. Praeservativa, N. A. Quamvis nulla creatura in culpam lapsa fuisset, Deus tamen misericordiam suam apertissime demonstrasset creaturas a lapsu praeservando, easque tot beneficiis cumulando: justitiam etiam suam manifestasset coronando bene merentes, et promissiones suas adimplendo. Quin immo justitiam vindicativam luculenter ostendisset comminando praevaricatoribus legis acerbissima supplicia. Quamvis enim nulla creatura, utpote singulari Dei gratia a peccatis praeservata, vindicem Dei manum experta fuisset; ob infinitam tamen Dei minantis et loquentis potentiam atque authoritatem, nullus dubio locus fuisset, Deum et scelera omnia execrari, et justissimas de illis poenas, si qua patrarentur, exacturam esse.

CLIX. *Objicitur IV.* Incitatio ad peccatum. Deus impellit, atque incitat homines ad peccatum, tum per se, tum per alios, quibus tamquam instrumentis utitur. Ergo. P. A. I. Lib. II. *Regum*, Cap. XXIV. dicitur: *Commovit* (Dominus) *David dicentem in eis: Vade, numera Israel et Judam.* II. Psal. XLIII. *Declinasti semitas nostras a via tua.* III. Lib. III. Regum, Cap. XXII. *Dixit Dominus* (diabolo): *Decipies, et praevalebis: egredere, et fac ita. -- Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.* IV. Matth. Cap. VI. *Et ne nos inducas in tentationem.* V. Lib. II. Reg. Cap. XVI. *Dominus praecepit* (Semei) *ut malediceret David.* VI. Psal. CIV. *Convertit cor eorum* (Aegyptiorum) *ut odirent populum ejus.* VII. Lib. III. Reg. Cap. XI. et XII. item Lib. IV. Cap. IX. et X. rebellio Jeroboam contra Roboamum, et Jehu contra Achab dicitur a Deo fuisse. Ergo. R. N. A. in sensu ab adversariis intento. Triplici modo Deus dici potest hominem impellere et incitare in sensu tropico et figurato ad peccatum, ut observant *Card. Bellarminus* Lib. II. de Amissione gratiae et statu peccati, Cap. XIII. *Et Simonnet* Tract. V. de Peccatis, Disput. I. Artic. VI. Ac. I. quidem permittendo homines mala agere, pravamque eorum voluntatem non impediendo. Cum enim sine permissione Dei nihil fieri possit; ea vero quae Deus post praevisionem permittere vult, certissime sint eventura, hoc ipso quod peccatum hominis non impediat, in sensu quodam tropico ac figurato dici potest homines ad peccatum impellere et incitare: sicut tropice indurare aliquem dicitur, quando illum indurari permittit. II. modo Deus improprie ad peccatum inducere dicitur, quatenus voluntates hominum proprio vitio malas, non

positive quidem, sed permissive ordinat ad unum potius malum quam ad aliud, impediendo ne unum malum faciant, et ut aliud faciant permittendo, seu per occultam et invisibilem operationem illis permittendo, ut hoc modo mali sint, et non alio, ut hoc malum velint, et non aliud. Atque hoc modo Deus ipse dixit, afflictum a se fuisse servum suum Job, Satanam ita alloquens *Job.* Cap. II. v. 3. *Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra*, quamvis vexationum illarum author fuerit daemon, cui facultatem petenti Sanctum virum vexandi respondit Deus verbis illis *Job.* Cap. I. v. 12. *Ecce, universa quae habet, in manu tua sunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* III. modo Deus per tropum homines ad peccandum provocare dicitur, quatenus malas eorum voluntates, et ad malum sua sponte jam determinatas, ad unum potius malum faciendum quam ad aliud inclinat, non solum permissive, sed etiam positive flectendo ad unum, et detorquendo ab alio: non quidem per actionem, qua physice voluntates illas ad unum malum immediate moveat ac determinet, atque ab alio avertat, (hic enim modus et humanam libertatem tolleret, et Deum faceret peccati authorem) sed occasionaliter immittendo v. g. bonam aliquam cogitationem, ex qua homo malus occasionem sumit unum malum potius volendi quam aliud, judicandi v. g. melius esse huic nocere quam alteri, huic iniquitati potius serviendum esse quam alteri.

CLX. Ex his facile respondetur ad textus illos in objectione allatos. Primi quatuor textus pertinent ad primum compulsionis modum. Deus nimirum ad puniendа populi ac Principum peccata, congruum eis au-

xilium subtrahendo permisit, ut David numeraret populum, ut Judaei averterentur a viis Domini, ut Achab deciperetur: rogamusque Deum in Oratione Dominica, ne nos deserendo tentationi succumbere permittat. V. textus explicandus est per secundum compulsionis modum. Nimirum Deus voluntati Semei, qui Davidem oderat, atque ad gravissima mala inferenda paratus erat, occulta operatione ad hoc malum Davidi inferendum viam aperuit, et ad alia praeclusit, non impediendo ne malediceret, et impediendo ne gravius malum inferret. *Quomodo dixerit Dominus huic homini*, scribit S. Augustinus Lib. de gratia et Libero arbitrio, Cap. XX., *maledicere David, quis sapiens et intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit, ideo dictum est, Dixit ei Dominus. Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum.* VI. textus ad tertium compulsionis modum pertinere videtur. Deus Aegyptiorum corda ad odium Israelitarum convertit, non solum permissive, id est, hoc odium non impediendo, sed etiam positive: non quidem Aegyptios per se vel per alios ad odium provocando, sed Israelitis benefaciendo; cum praevideret Deus, Aegyptios inde pro sua malignitate occasionem sumpturos Israelitas acerbius insectandi. Ad VII. R. cum *S. Augustino* Lib. XVII. de Civit. Dei, Cap. XXI. et XXII. Jeroboam et Jehu in illa defectione non peccasse, fuisseque utrumque legitimum Regem, atque a Deo electum. Cum enim Roboam Rex Juda exercitum eduxisset, Israelitas ideirco cum Jeroboamo deleturus, misit Deus Se-

mejam Prophetam, qui Roboamo, et tribui Juda diceret, III. Reg. Cap. XII. v. 24. *Haec dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc.* Jehu pariter nihil tale cogitans, Elisaei jussu ab uno Prophetarum Rex Israel unctus est, dixitque ad eum Dominus IV. Reg. Cap. X. v. 30. *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo, fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Quae vero habentur Oseae Cap. VIII. *Ipsi regnaverunt; et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi*, intelligenda sunt de usu regni, non de institutione.

CLXI. *Objicitur V.* Induratio et excaecatio impiorum. Deus indurat, et excaecat peccatores. Ergo Deus est causa peccati. P. A. Exodi Cap. IX. dicitur: *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Isaiae Cap. LXIII. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Ad Rom. Cap. IX. *Cujus vult miseretur, et quem vult, indurat.* Isaiae Cap. VI. v. 10. *Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat: et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Joannis Cap. XII. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* R. D. A. Deus indurat et excaecat peccatores directe ac positive, N. A. Indirecte ac negative, C. A. N. C. Deus est tantam causa permissiva indurationis et excaecationis, non impediendo, non miserendo,

deserendo illos a quibus prior desertus est, ut S. Augustinus docet Epistola CV. nunc CXCIV. ad Sixtum: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et Lib. I. ad Simplicianum Quaest. II. *Obduratio Dei est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum quo sit melior, non erogatur.* Item Tract. LIII. in Joan. *Sic excaecat, sic obdurat Deus, deserendo, et non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Caecitas mentis consistit in praejudiciis, seu persuasionibus falsis, quibuscum falsa et erronea conscientia naturali necessitate connexa est, et ad quas voluntas ita afficitur, ut prae illis non solum quamlibet verisimilitudinem, sed etiam ipsammet evidentiam contemnat et abjiciat. Durities cordis est affectus pravus, quo voluntas admonitiones divinas tam internas quam externas contemnit, eisque resistit, immo nec eas sentit. *Quid ergo cor durum?* inquit S. Bernardus Lib. I. de Considerat. Cap. III. *Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur.* Utraque, tam caecitas mentis, quam durities cordis, peccatum est gravissimum; eoquod sit affectus pravus, et error gravis ac voluntarius in materia morum, et quidem cum pertinacia: est causa peccati; multa enim ab induratis et excaecatis male fiunt ex culpabili ac voluntaria caecitate mentis, et duritie cordis: est poena peccati; quia Deus neminem deserit, nisi in poenam peccatorum admissorum. Ad *probat.* C. A. N. C. Primi tres textus ex hactenus dictis facile explicantur. IV. ex Isaia hunc habet sensum: Praedic eos excaecandos, atque indurandos esse; occludent enim Judaei

sponte, ac propria malitia, oculos mentis, ne quo forte casu videant veritatem: aures data opera obturabunt, ne audiant veritatem. Vide Tirinum in Cap. VI. Isaiae. Postremum locum ex Cap. XII. Evangelii S. Joannis luculenter explicat S. Augustinus Tract. LIII. in Joan. *Dicitur enim nobis: Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere?* Ad quod respondet: *Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, et non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum? - - - Hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per Prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt.*

CLXII. *Dices 1.* Si Deus hominem excaecat et indurat deserendo, peccatum merito ascribi potest Deo. Ergo Deus est author peccati. P. A. Homo excaecatus et induratus non tantum non videt veritatem aut Spiritui Sancto actu resistit, verum etiam non potest videre veritatem, aut divinis inspirationibus cedere. Ergo peccata, quae committuntur ab excaecatis et induratis, non possunt illis imputari, sed Deo. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Non potest videre veritatem, aut divinis inspirationibus cedere, in sensu composito excaecationis et indurationis, C. A. In sensu divino, N. A. et Conseq. Quamvis homo dum est caecus et induratus, non possit cernere veritatem, et cedere inspirationi, potest tamen facere sensum divisum, id est, removere caecita-

tem et obdurationem, petendo a Deo auxilium; sicque remoto obice, et videre et cedere poterit. Numquam enim Deus ita destituit hominem, quin saltem juvet illum ad impetrandam gratiam et vires, quibus obduratio tolli possit; saltem quamdiu homo tenetur ad fidem, vel ad justitiam converti, ita ut si hoc non agat, peccet.

CLXIII. *Dices II.* Si homo petendo auxilium removere potest caecitatem et obdurationem, judicium Dei, quo aliquos in poenam praeteritorum scelerum indurat et excaecat, erit incertum. Atqui hoc dici non potest. Ergo. R. N. M. Deus non solum deserit, atque hac desertione sua vinci sinit ab hostibus eum, qui excaccari et indurari meretur; sed etiam denegat illi gratiam congruentem ejus ingenio ad petendum auxilium, id est, eum non excitat et vocat, quomodo praevidet illi aptum esse, ut sequatur excitantem et vocantem. Et quamvis non deneget auxilium, quo ille absolute possit opem a Deo petere; certissime tamen praevidet, eum auxilio illo ad salutem non usurum esse. Atque ita cujus vult miseretur, et quem vult, certissimo ac justissimo judicio indurat.

CLXIV. *Objicitur VI.* Operatio Dei. Deus reipsa operatur et efficit ea quae mala sunt, tamquam causa principalis. Ergo. P. A. I. Isaiae Cap. XLV. v. 7. dicitur: *Ego Dominus, et non est alter: faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec.* II. Lib. II. Reg. Cap. XII. *Haec dicit Dominus: Ego suscitabo super te malum de domo tua: et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo. — — Ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* Ergo incestus Absalonis Deum habuit authorem.

III. Lucae Cap. II. dicitur de Christo : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Et ad Rom. Cap. IX. dicitur Christus *lapis offensionis, et petra scandali.* IV. Ad Ephesios Cap. I. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Ergo si omnia, hoc ipso etiam peccata operatur. R. N. A. Ad I. Sermo ibi est de malo poenae, non de malo culpae, ut notant Tertullianus, Origenes, Hieronymus, Damascenus, aliique Patres. Ad II. N. C. Nec imperavit, nec suasit Deus tantum scelus Absaloni; permisit tamen ad puniendum Davidem, ut Absalonis voluntas ad multa scelera jam inclinata, in hoc rueret, cohibendo ab aliis. Ad III. R. Christum non fuisse missum in hunc mundum, ut esset causa et occasio ruinae vel scandali, sed ut esset omnibus causa salutis, quamvis Deus praevideret aliquos, malitia sua, occasionem scandali sumpturos. Quare non lapis ipse a Deo positus, sed voluntaria caecitas ac perfidia offendentis ruinam generavit. Ad IV. N. C. Scriptura nullibi dicit, Deum operari omnia quae fiunt in mundo, tam bona quam mala : immo saepius diserte contrarium docet. Apostolus igitur ait, Deum operari omnia quae operatur; non temere atque invitum, sed liberrime et prudentissime, ut Deum decet operari.

CLXV. *Objicitur VII.* Influxus Dei. Juxta communissimam Doctorum Catholicorum sententiam, Deus immediate influit in omnes actiones creaturarum, etiam malas. Ergo Deus est causa moralis peccatorum, sicut est causa moralis ac per se actus boni. P. A. Deus cooperatur homini peccanti. Ergo per se est causa peccati. R. C. A. N. C. Quamvis Deus in actiones creaturarum etiam peccaminosas influat, author tamen pec-

cati dici non potest, I. Quia peccatum nec praecipit, nec suadet. II. Quia licet illud impedire possit, non tamen tenetur: cum ex illo plurima bona eruere possit, nimirum manifestationem divinarum perfectionum suarum. III. Quia non immediate libere, neque ex propria determinatione, aut cum inclinatione et jure electionis influit. Hinc licet Deus sub ratione causae physicae non magis sit causa actus boni quam mali; sub ratione tamen causae moralis, cui talis actus imputari potest, est causa actus boni, non vero mali: quia in actus bonos influit cum inclinatione positiva, illos suadet, atque etiam praecipit, quod non facit respectu actus mali. Ad *probat.* N. A. Cooperari peccanti dicitur ille, qui immediate libere ponit aliquid ad peccatum conducens, quod ipse tamen, quantum potest, tenetur impedire.

CLXVI. *Dices.* Si Deus non immediate libere influit in actiones peccaminosas creaturarum, actio creaturae deberet esse natura prior ad influxum. Hoc dici nequit. Ergo. P. M. Si actio creaturae non est natura prior ad influxum, nulla dari potest ratio, cur creatura dicatur determinans, Deus vero determinatus. Ergo. R. N. M. Deus causaliter quidem est determinatus ad concurrendum ex ipsa natura sua, ac per ipsam applicationem omnipotentiae; formaliter vero determinatus denominatur per ipsam actionem: quae actio, in quantum est determinatio activa creaturae, non est determinatione passiva Dei natura, sed logice tantum prior; illam enim ut antecedentem concipimus, eoquod creatura non ideo agat, quia Deus illam absolute et efficaciter vult agere; sed potius ideo cum creatura agit et concurrit Deus, quia creatura vult agere. Ad *probat.*

N. A. Ex duabus causis in eumdem effectum influentibus illa jure dicitur determinans, in cujus potestate est, posito toto actu primo proximo, agere vel non agere: illa vero, in cujus potestate id tunc amplius non est, dicitur influere ut determinata. Cum ergo, posito toto actu primo proximo, in solius creaturae potestate sit ponere vel non ponere actum, (Deus enim respectu actus non amplius est immediate liber) habetur ratio aliqua, cur creatura dici queat determinans, Deus vero, juxta nostrum concipiendi modum, determinatus.

CLXVII. Ad solvendas alias objectiones, quas afferre quis posset, ut evincat, Deum ob immediatum in actiones peccaminosas influxum authorem esse peccati, ex Philosophia, in qua olim fusius haec quaestio pertractari solebat, noto I. Deus est causa per se illius tantum actionis, quam ipse immediate libere ponit ex sua electione ac determinatione, non vero illarum, quas mediate libere tantum ponit contra inclinationem suam, atque ex aliena determinatione; quales sunt actiones peccaminosae. II. Ratione peccati non debet dari causa prima, ac per se: cum peccatum non tam sit actio, quam defectio; sed sola sufficit causa creata, quia haec sola deficere potest. III. Deus ponit physice determinationem tantum formalem peccati, id est, ipsam actionem non vero immediate libere, et cum inclinatione. IV. Quamvis Deus immediate libere conferat actum primum proximum, sine quo actio peccaminosa dari non posset, non tamen propterea etiam immediate libere ponit actionem peccaminosam; quia illa non necessario, sed ex libera determinatione creaturae sequitur ex concursu indifferente. V. Deus concurrit ad peccatum volens negative, id est, permittens; non autem positive, id est,

eligens atque intendens peccatum. Neque hic concursus consequenter ad actum primum proximum, qui includit negationem omnis impedimenti inauferibilis a creatura, ac decreti miraculosi, quo Deus nollet concurrere, amplius liber est Deo. VI. Deus ponit influxum physicum positive, contra suam tamen inclinationem, et ex determinatione creaturae: peccatum vero positive non vult, neque ad illud determinat; immo neque positive vult concursum suum in actu secundo, qui ipsi displicet, quamvis eum, ex aliena determinatione, contra inclinationem suam ponat. VII. Quamvis Deus conferendo actum primum proximum ad peccatum praevideat peccatum esse secuturum, id tamen Deo imputari non potest. 1. Quia Deus habet jus conferendi actum primum proximum. 2. quia non tenetur peccatum impedire. 3. Quia non concurrit peccatum intendendo. 4. Quia peccatum neque physice, neque metaphysice connexum est cum actu primo proximo, et concursu Dei indifferente. VIII. Concursus Dei ad peccatum in se neque bonus, neque intendibilis est: honeste vero ponitur ac permittitur a Deo; quia illum non ponit immediate libere, sed tantum ut causa universalis, et ad fines optimos suae providentiae. IX. Omnipotentia Dei potest cum creatura positive ponere peccatum; quia omnipotentia Dei formaliter sumpta non est potentia immediate libera: atque hinc denominari non potest moraliter mala, cum illud non eligat libere. Contra voluntas Dei est potentia immediate libera et electiva. Si ergo vellet positive peccatum, dici posset ac deberet moraliter mala.

CONTROVERSIA III.

AN PECCATA VENIALIA ET MORTALIA DIFFERANT INTER SE INTRINSECE, ET EX NATURA SUA?

Contra Jovinianum, Pelagium, Wickleffum, Lutherum, Calvinum, Bajum.

CLXVIII.

Jovinianus Monachus Mediolanensis, novae haeresis author, ad finem Saeculi IV. docuit, omnia peccata esse paria, ut clare indicat S. Hieronymus Lib. II. adversus Jovinianum prope finem: *Non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime levas, quantum irascentur, quos propter leve quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusisti.* Pelagius quolibet peccato justitiam amitti asseruit: cumque negare haud posset, multos in hoc saeculo nequam justos dari, affirmabat posse hominem in hac vita nullum omnino habere peccatum, atque ex his Ecclesiam Christi tamquam membris constitui, ut sit omnino sine macula et ruga. Joannes Wickleffus contendebat omnia peccata, etiam illa quae a nobis venialia dicuntur, inducere posse mortem aeternam; ideoque esse de se mortalia, quamvis eam de facto praedestinatis non inducant, sed solis reprobis. Hanc ipsam insaniam renovavit Calvinus, docens peccata fidelium praedestinatorum, quantumvis gravia et enormia, esse venialia, non tam quia electi sunt, quam quia fidem et charitatem semel acceptam numquam amittunt; reproborum verum peccata, quantumvis levia videantur,

esse mortalia, eoquod fide et gratia destituti in omnibus suis actibus gravissime peccent. Contra Lutherus omnia quidem peccata de se mortalia esse ajebat, eaque infidelibus ad mortem aeternam imputari; fidelibus autem, sive praedestinati sive reprobi sint, ex sola Dei misericordia fieri venialia. Michäel Bajus Belga, Theologus Lovaniensis, hanc propositionem statuit inter damnatas a S. Pio V. et Gregorio XIII. ordine XX. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

CLXIX. Ex Catholicis Doctoribus propius ad Sectariorum errorem accessere *Joan. Gersonius* Cancellarius Academiae Parisiensis, in Tract. de Vita Spirit. Lect. I. *Jacobus Almainus* Tract. III. Cap. XX, et *Joannes Fischerus* Episcopus Roffensis in refutatione Lutheri, Art. XXXII. docentes, omnia peccata ex natura sua esse mortalia, quaedam vero ex Dei misericordia esse tantum venialia. Verum praeterquam quod opinionem hanc suam pertinaciter non defenderint, discrepant etiam a Novatorum errore, I. Quia Deum ajunt indiscriminatim, fidelibus et infidelibus, reprobis et praedestinatis aliqua peccata non imputare ad poenam aeternam. II. Quia fatentur, aliqua peccata, secundum praesentem providentiam, non mereri poenam aeternam, licet absolute eadem poena a Deo statui potuisset in alia providentia.

CLXX. *Conclusio.* Peccata mortalia et venialia differunt inter se intrinsece, et ex natura sua, non autem ex sola relatione ad praedestinationem, vel statum renatorum. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quae dicunt etiam in eximiis justis esse quaedam peccata, ob quae tamen non desinunt esse justi. Proverb. Cap. XXIV. v. 16. *Septies in die cadet justus, et resurget.* Ecclesiastis Cap. VII. v. 21.

Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. I. Joan. Cap. I. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Jacobi Cap. III. v. 2. *in multis offendimus omnes.* Ergo peccata venialia et mortalia ex natura sua differunt, non vero ex sola relatione ad praedestinationem, vel ad statum renatorum: alias Adamus, David, ac B. Petrus, qui certe erant fideles et praedestinati, numquam graviter peccassent, quod certe repugnat Scripturis, atque unanimi Doctorum interpretationi ac sensui. Ipse Christus Dominus *Lucae* Cap. VI. quaedam peccata comparat rebus levissimis, festucae et culici: alia gravissimis, Camelo et trabi. Matthaei Cap. V. v. 22. ait: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis.* Ubi distinguit tria peccata iracundiae, quorum tertium aeterna poena dignum est, ac proinde mortale; reliqua duo non item.

CLXXI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ambrosius Lib. II. de Poenitentia, Cap. X. scribit: *Sicut Baptisma, ita una poenitentia, quae tamen publice agitur: nam quotidiani nos debet poenitere peccati; sed haec delictorum leviorum, illa graviorum.* S. Hieronymus Comment. in Cap. VII. Matthaei: *De iis loquitur* (Christus) *qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt; calicem liquantes, et camelum glutientes.* Et in Epist. ad Caelantiam: *Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam, et delicta omnia paria judicare, nec ullum inter scelus et erratum discrimen facere. Nos vero etsi multum inter peccata distare credimus, quia et legimus: tamen su-*

tis prodesse ad cautionem ducimus, etiam minima pro maximis cavere. S. Augustin. Lib. de Natura et Gratia, Cap. XXXVIII. *Quia saepe in levissimis, et aliquando incautis obrepit peccatum; et justi fuerunt, et sine peccato non fuerunt.* In Enchiridio Cap. LXXI. *De quotidianis, levibus, brevibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, Pater noster qui es in coelis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata.* S. Gregorius M. Lib. XXII Moral. Cap. IX. *Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet.* Ex his manifeste patet, Concilii Tridentini doctrinam Scripturae et Patribus consentaneam esse, quod Sess. VI. Cap. XI. ita loquitur: *Licet enim in hac mortali vita quantumvis Sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est humilis et verax, dimitte nobis debita nostra.* Atque eadem Sessione Can. XXV. de Justificatione fundamentum Protestantium evertit. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.*

CLXXII. Prob. III. Ratione Theologica. Si peccata omnia ex natura sua forent mortalia, non possent praedestinatis, fidelibus, aut etiam indiscriminatim omnibus in hac providentia imputari ut venialia. Ergo

peccata essent ex natura sua mortalia, haberent gravem malitiam fundamentalem. Ergo in omni providentia deberent a Deo omnibus omnino, sine respectu ad praesentem justitiam, fidem, aut praedestinationem, gravissime prohiberi; quia in iis quae pertinent ad jus naturale, Deus vi infinitae perfectionis suae prohibere debet intrinsece mala juxta capacitatem et exigentiam materiae. II. Si omnia peccata essent ex natura sua mortalia, natura humana non solum viribus suis naturalibus relicta, sed etiam gratia sanctificante aliisque donis supernaturalibus instructa, pessime esset constituta. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Haberet necessitatem moralem frequenter excidendi fine suo ultimo; quia homo etiam justus habet moralem necessitatem frequenter labendi in quaedam peccata venialia, juxta illud I. Joan. Cap. I. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ergo natura humana esset pessime constituta. Prob. etiam minor propositio. Hic defectus merito refunderetur in sapientiam et providentiam Dei, qui naturam humanam tam male constituisset. Ergo cum nullus defectus cadere possit in Deum, dicendum est, naturam humanam tam male a Deo constitutam non fuisse; adeoque peccata venialia intrinsece atque ex natura sua a mortalibus differre. III. Peccata venialia non excludunt charitatem; alioquin in hominibus justis esse non possent. Ergo ex natura sua non continent malitiam gravem. IV. Si quaevis offensio ex natura sua dissolveret amicitiam Dei, eadem ratione dissolveret quamvis aliam amicitiam. Quod enim ex natura rei convenit, semper et ubique convenit. Atqui certum est inter homines amicitiam prudenter non dissolvi ob le-

vissimam offensam. Ergo etiam amicitiam quae nobis cum Deo intercedit, non dissolvit ex natura sua quaelibet culpa.

CLXVIII. *Quaeres.* Undenam desumenda sit differentia peccati venialis a mortali? R. Cum peccatum in genere sit transgressio legis obligantis, recte haec differentia desumitur ad oppositione cum lege divina: ideoque mortale peccatum dicitur libera transgressio legis divinae graviter, sub amissione ultimi finis hominem obligantis; veniale autem transgressio legis divinae leviter hominem obligantis. Itaque per peccatum mortale homo simpliciter avertitur a Deo, tamquam a fine ultimo, ac consequenter finem suum ultimum implicite saltem constituit in creatura: per peccatum autem veniale non avertitur simpliciter a Deo neque finem suum ultimum homo in creatura constituit: paratus est quippe illa quae inordinate diligit, et in quibus venialiter peccat, potius dimittere, quam a Deo separari.

OBJECTIONES.

CLXXIV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Deuteron. Cap. XXVII. dicitur: *Maledictus omnis qui non permanet in sermonibus legis hujus.* Atqui etiam ille qui a nobis venialiter peccare dicitur, non permanet in omnibus, quae scripta sunt in libro legis hujus, cum Deuteron. Cap. VI. v. 5. scriptum sit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Ergo ille est maledictus, seu aeterna poena dignus. II. Ezechielis Cap. XVIII. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Et ad Rom. Cap. VI. *Stipendia peccati mors.* III.

Jacobi Cap. II. *Quicumque offendat in uno, factus est omnium reus.* IV. Matth. Cap. V. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno coelorum*, id est, non intrabit in regnum coelorum. Ergo omnia peccata excludunt a coelo; adeoque peccata omnia sunt ex natura sua mortalia. V. Joan. Cap. XIII. Christus ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Augustinus vero per hanc lotionem intelligit purgationem a peccatis venialibus. R. I. Ergo Deus peccata illa imputat etiam fidelibus et praedestinatis etiam in hac providentia, cum illi nullibi excipiantur? R. II. per sermones legis intelligi praecepta in illo capite tradita, quibus sub gravi omnes obligantur: vetatur autem ibi idololatria, homicidium, adulterium etc. Quare in forma R. C. M. D. m. Qui venialiter peccat, non permanet in omnibus, quae quemlibet graviter obligant, N. m. In omnibus quae sub levi tantum obligant, C. m. et N. C. Qui venialiter peccat, agit quidem contra perfectionem charitatis, substantiam tamen hujus praecepti servat: efficaciter enim paratus est omni potius bono creato carere, atque omne malum perpeti, quam Deum graviter offendere. Ad II. R. Ezechielem et Apostolum loqui de peccatis gravibus, quae gratiam et vitam spiritualem adimunt, ut patet ex contextu. Ad III. eadem est responsio. Idem autem omnium reus dicitur qui in uno offendit, tum quia omnia mandata ad mandatum dilectionis revocantur: tum quia ad evadendum aeternam mortem caeterorum mandatorum observantia non sufficit, si vel unicum praeceptum grave violetur, quin noxa illa seria poenitentia eluatur. Ad IV. C. A. N. C. Nam I. loco cit. non dicitur tantum, *qui solverit*; sed additur: *Et do-*

cuerit sic homines. Grave autem peccatum est, Verbum Dei scienter corrumpere etiam in minimis. II. Minima mandata hic vocantur, non absolute, sed comparate ad graviora, et sinistram Scribarum interpretationem ac mentem, apud quos nimirum grave erat adulterium, atque amicorum odium; leve autem concupiscentia uxoris alienae, et odium inimicorum, quamvis utique lethalia essent peccata. Ad V. R. lotionem illam pedum figuram fuisse lavacri Sanguinis Christi, quo mundandae erant animae: ideoque Christum sub gravi praecepisse Petro, ut pedes sibi lavari pateretur. Quod si vero citata verba cum SS. Augustino et Bernardo intelligantur de spirituali lotione a peccatis venialibus, praesertim quia subjungitur: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, ajo ejusmodi peccata neminem simpliciter excludere a regno coelorum, sed solum ad tempus, quod ad sui purgationem exigunt.

CLXXV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. *S. Basilius* in Quaestionibus brevioribus ad Monachos, Quaest. CCXCIII. scribit: *Primo quidem scire illud convenit, differentiam hanc majorum et minorum* (peccatorum) *nusquam in novo Testamento reperiri; siquidem una est et eadem sententia adversus quaelibet peccata, cum Dominus dixerit: Qui facit peccatum, servus est peccati.* II. S. Chrysostomus in Homilia, seu Sermone de levium peccatorum periculis ait, *peccata, licet levia, occidere, et inducere contemptum Dei.* III. S. Augustinus Tract. I. in Epist. S. Joannis scribit: *Ista levia quae dicimus, noli contemnere: Si contemnis, quando appendis; expavesce; quando numeras. Levia multa faciunt unum grande: multae guttae implent flumen: multa grana faciunt massam.* IV. Idem Lib. IX. Confessionum, Cap.

ult. *Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam.* V. Idem Lib. II. de peccat. meritis et remiss. Cap. III. *Quis enim cum aliqua spe adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur, — — — Superexaltat autem misericordia judicio?* VI. Alii Patres peccatum veniale saepissime vocant *gravissimum malum.* R. ad I. S. Basilius citatis verbis id unum negat, mortalis et venialis peccati differentiam in eo sitam esse, ut peccata mortalia dicantur vitanda, venialia vero non vitanda, sed negligenda; ut faciunt illi, qui majora peccata declinant, minora autem, perinde ac si nihil referret, committunt. Qua in re seipsos splendide decipiunt cum Sacrae Scripturae indiscriminatim deterreant nos a quolibet peccato, tamquam e malo prae caeteris temporalibus fugiendo. Ad II. R. S. Chrysostomus, qui differentiam peccatorum venialium et mortalium eadem Homilia in sensu Catholico admittit, vult solum verbis citatis, quod venialia hominem saltem remote disponant ad gravia peccata, et mortem animae. Ad III. eadem est responsio: multa siquidem venialia unum faciunt grave peccatum, non formaliter, sed dispositive, juxta illud *Ecclesiastici* Cap. XIX. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ad IV. R. S. Augustinum loqui ibi de acerbissimis poenis purgatorii. Ne quis enim miretur, quod pro Matre sua Monica oret, cujus sanctitatem antea adeo commendaverat, ait justorum vitam quamtumvis laudabilem vix ac ne vix quidem si divina misericordia removeatur, carere culpis venialibus, acerbissima purgatorii poena expiandis. Ad V. N. C. Sensus

citati textus est: Cum ad aeternam damnationem unicum sufficiat peccatum grave, nemoque certo sciat, se nullum tale admisisse, aut si admisit, illud a Deo sibi condonatum esse; neminem omnino cum spe beatitudinis assequendae mori posse, nisi sciret Deum esse infinite misericordem. Certe quae circa praesentem materiam mens fuerit Augustini, satis ostendunt textus a nobis in probatione adducti, tum etiam ille ex Lib. III. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. III. *Quidam ergo filii saeculi hujus sunt, et tamen filii diaboli non sunt. Quamvis enim diabolus sit author et princeps omnium peccatorum; non tamen filios diaboli faciunt quaecumque peccata. Peccant enim et filii Dei, quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt.* Ad VI. D. A. Peccatum veniale vocant gravissimum malum, si comparetur cum alio malo etiam gravissimo, quod peccatum non est, C. A. Si comparetur cum gravi peccato, N. A. et Conseq.

CLXXVI. *Objiciuntur III.* variae paritates. I. Nullum peccatum veniale a pura creatura deleri potest satisfactione condigna. Ergo etiam nullum peccatum veniale sufficienter puniri potest poena finita et temporali. II. Minima opera bona supernaturalia merentur juxta Catholicos vitam aeternam. Ergo etiam minima peccata merentur poenam aeternam. III. Posito, quod respectu civis honestae fortunae furtum unius floreni sit graviter peccaminosum, qui florenum illi subducit, reatum incurrit aeternae damnationis. Ergo etiam qui eidem furatur crucigeros LVII, quia modicissima est distantia. IV. Qui pestem aut mortem deliberate et advertenter sibi optat, peccat graviter contra charitatem. Ergo etiam qui veniale committit, hoc ipso graviter

peccat; quia gravissimum sibi damnum infert promerendo poenas purgatorii, et impediendo ad tempus visionem beatificam. R. ad I. paritatem, C. A. N. C. Per nullum obsequium a pura Creatura praestitum Deus tantum honorari potest, quantum inhonoratus fuit per levem etiam offensam; quia valor obsequii decrescit partim ex infinita dignitate Dei, cui illud exhibetur, partim ex vilitate personae satisfacientis. Contra vero satispassio non imminuitur ex infinita dignitate Dei punientis, aut vilitate creaturae patientis. Ergo poena temporalis aequare potest culpam venialem. Ad II. R. I. retorquendo. Opera illa ex natura sua, praescindendo a gratuita promissione Dei, non merentur vitam aeternam. Ergo neque levia peccata ex natura sua merentur poenam aeternam. R. II. C. A. N. C. Meritum boni operis fundatur praecipue in munificentia Dei, gratia sanctificante, ac meritis Christi per gratiam nobis applicatis. Contra vis demeritoria unice fundatur in malitia operis, quae non est infinita. Ad III. C. A. N. C. Rationem additam distinguo. Est modicissima distantia in consideratione physica, C. In consideratione morali, in qua non attenditur ad solum excessum secundum se, sed prout cum aliis partibus summam gravem constituit, N. Ad IV. C. A. N. C. Poenae purgatorii, et dilatio visionis beatificae respective ad Deum et vitam aeternam sunt leve aliquid; potestque qualecumque hoc damnum ab homine facile reparari per dolorem et congruam satisfactionem: pestis vero, aut mors respective ad vitam, cujus homo non est dominus, sed usufructuarius, sunt quid gravissimum, nullaque arte reparari amplius potest damnum a morte illatum. Praeterea qui mortem aut pestem sibi optat, agit contra

legem Dei graviter obligantem, praeceptum vero graviter obligans ad vitanda peccata venialia non datur. Haec enim obligatio gravis esset, noxia, et imprudens; quia ad evitandum minus malum imponeret necessitatem moralem incurrendi malum absque comparatione majus, scilicet peccatum mortale et poenas inferni: eoquod moraliter impossibile sit vitare omnia peccata venialia.

CLXXVII. *Objicitur IV.* Dominium Dei. Deus, ut absolutus Dominus, potest hominem innocentem sempiternis inferorum cruciatibus addiocere. Ergo multo magis reum peccati venialis. *Confirm.* Quod venial remittatur: est ex gratia Dei. Ergo posset non remitti: ergo posset semper puniri; solique Dei misericordiae adscribendum est, quod non semper puniatur poena aeterna. R. N. A. Deus, ut supremus Dominus, nihil potest agere quod aliis divinis perfectionibus, nimirum infinitae Bonitati praejudicat. Innocentem autem hominem aeterna poena mulctare, eumque in moralem necessitatem conjicere Deum odio habendi, ac blasphemandi, non alia de causa quam quia Deo ita libet, impexam sapit atque horridam crudelitatem, ut ipse *S. Augustinus* animadvertit Lib. III. contra Julianum, Cap. XVIII. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Ad *confirmat.* D. A. Est gratia Dei, debita tamen ex suppositione gratiae sanctificantis, quae exigit aliquando remissionem peccati; et quae per peccatum veniale non destruitur, C. A. Omnino indebita filiis adoptivis, Dei gratia sanctificante ornatis, N. A. et Conseq. Quod si forte peccatum veniale non remittatur

damnatis, atque etiam aeternum puniatur in inferno, quia conjunctum est cum mortali; id non oritur ex natura peccati venialis, sed per accidens ob statum damnati propter mortale.

CLXXVIII. *Objicitur V.* Natura peccati. Peccatum veniale est contemptus Dei. Ergo continet malitiam gravem. P. A. Ideo mortale peccatum est contemptus Dei, quia immediate est contra amicitiam Dei, et mediate contra Deum. Ergo etiam veniale peccatum est contemptus Dei. P. m. Veniale peccatum minuit amicitiam Dei. Ergo est contra amicitiam Dei. R. N. A. Cum peccato veniali stare potest amor et appretiatio Dei super omnia quae dissolvere possunt amicitiam Dei: neque homo per illud avertitur a fine suo ultimo: nam licet venialiter peccans Deum actualiter non respiciat ut finem ultimum, sed in bono creato quiescat; huic tamen bono ita adhaeret, ut non propterea velit amittere amicitiam Dei. Ergo peccatum veniale non est contemptus Dei vere ac proprie talis. Ad *probat.* C. M. N. m. Veniale peccatum non est contra amicitiam Dei simpliciter, sed contra familiaritatem Dei, quae est perfectissima amicitia. Ad hujus *probat.* D. A. Minuit amicitiam Dei praehabitam, minuendo gratiam per quam sumus amici Dei, N. A. Minuit amicitiam Dei habendam, impediendo nempe actus perfectiores, quibus augeretur gratia, aut etiam disponendo ad perdendam Dei amicitiam, C. A. N. C. Neque sequitur idcirco peccatum veniale continere gravem malitiam; quia non datur obligatio gravis ad illos actus perfectiores, vel ad augendam gratiam, aut ad cavendas omnes occasiones remotas perdendae Dei amicitiae.

CLXXIX. *Dices*. Peccatum veniale est majus malum quam poena aeterna. Ergo hanc poenam meretur. P. A. Potius deberemus eligere infernum, quam peccatum veniale. Ergo. *Confirmat*. Peccatum veniale infinitam Dei Majestatem offendit. Ergo est malitiae infinitae. R. I. D. A. est majus malum poena aeterna quoad suam entitatem spectata, quae est malum creaturae; peccatum vero malum Deo, adeoque ordinis superioris, C. A. Est majus malum respectu nostri, et prout poena aeterna inducit moralem necessitatem committendi gravissima peccata, hominemque avertit ab ultimo fine, N. A. Profecto si poena aeterna consideretur connexa cum hac morali necessitate Deum blasphemandi, et odio habendi, est majus peccato veniali. R. II. N. C. Non ideo culpae levissimae debetur maxima poena, eoqnod culpae sit majus malum poena aeterna: sed solum debetur poena proportionata, ita ut gravi culpae gravis poena, graviori gravior, levi autem levis respondeat poena: qualis, omnium judicio, non censetur poena aeterna, quantumvis remissior et minus acerba. Ad *probat*. R. Neutrum eligendum esse, cum iste casus possibilis non sit, quo aliquis ad vitandas poenas inferni indigeat peccato, aut ut, pro hac saltem providentia, ad vitandum peccatum indigeat poenis inferni: peccatum enim neque est medium ad vitandas poenas inferni, neque poenae inferni de facto ordinatae sunt a Deo tamquam medium ad vitandum peccatum. Quod si dicas, Sanctos optasse potius inferni poenas, quam peccato veniali Deum offendere. R. eos considerasse inferni poenas ut contradistinctas, et intentionaliter saltem separatas a peccato, ac morali illa necessitate Deum odio habendi, et blasphemandi: secus sibimet ipsi

contradixissent. Ad. *confirm.* D. A. Offendit infinitam Dei Majestatem graviter, N. A. Leviter, C. A. N. C. Peccatum mortale non est malitiae simpliciter infinitae; quia creatura numquam habet perfectissimam cognitionem Dei, et malitiae peccati. Ergo multo minus peccatum veniale malitiam continet simpliciter infinitam.

CONTROVERSIA IV.

AN PER QUODLIBET PECCATUM MORTALE AMITTANTUR FIDES, SPES, ET CHARITAS?

Contra Jovinianum, Beguardos, Lutherum, Calvinum, Jansenianos etc.

CLXXX.

Jovinianus, teste *S. Hieronymo* Lib. II. adversus eumdem, docuit justitiam, atque adeo gratiam et charitatem semel habitam amitti non posse; adeoque hominem semel justum, semper esse justum. Beguardi et Beguinae ut patet ex *Clementina* Cap. *Ad nostrum* de Haereticis, asserebant, hominem in hac vita eam consequi perfectionem posse, ut gratiam et charitatem amittere amplius nequeat. Insaniam hanc renovarunt Saeculo XVII. Quietistae, ut patet ex propositione LVII. damnata Michaëlis de Molinos: *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.* Lutherus et Cal-

vinus hac in re non omnino inter se conveniunt. Lutherus ait charitatem non amitti, nisi per solum infidelitatis peccatum; Calvinus vero contendit, fidem et charitatem semel vere acceptas, a praedestinatis nulla ratione posse amitti: reprobos vero fidem et charitatem numquam vere habuisse. Ambo tamen in hoc conveniunt, fidem ac spem a charitate separari non posse; ac veluti vanam irridenl distinctionem fidei formatae et informis, gemina ducti ratione. Prima est; quia existimant veram fidem praecipue sitam esse in persuasione qua certo quis confidit, propter merita Christi omnia peccata sibi remissa esse, donatamque gratiam et charitatem. Quare cum haec persuasio illorum judicio verissima sit, putant hanc fidem non posse a gratia et charitate sejungi. Altera ratio est, quia nemo persuadere sibi potest se esse in gratia, si conscientiam habeat peccati mortalis. Cum igitur eam persuasionem dicant esse fidem, hoc ipso negant fidem posse cum peccato mortali consistere, adeoque destitui posse charitate. Eadem quoque est Jansenianorum doctrina, quae Protestantium. Jansenius Lib. V. de Gratia Salvatoris, Cap. V. scribit, *nullam esse religionem veram, aut cultum Dei, sed simulationem tantum, et larvam ejus, nisi Deus sincere et caste, hoc est, gratis et propter seipsum ex vera charitate diligatur.* Et Lib. V. Cap. IX. *Spem Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt charitati, et quodam sinceritatis adulterio puritatem divinae et gratuitae charitatis in concupiscentiae amorem, aut in mercenariae cupiditatis foeditatem vertunt.* Quesnellus propositione LVII. per Bullam *Unigenitus* damnata ait: *totum deest peccatori, quando deest spes: et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

Et propositione LVIII. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est Charitas.*

CLXXXI. *Conclusio I.* Justus amittere potest charitatem et gratiam sanctificantem: immo per quodlibet peccatum mortale eam amittit, ita ut desinat esse justus. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ezechielis Cap. XVIII. *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Joan. Cap. XV. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet.* Matth. Cap. XXIV. *Qui autem perseveraverit, hic salvus erit.* I. ad Cor. Cap. X. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* I. ad Cor. Cap. IX. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Apocal. Cap. II. *Habeo adversum te, quod primam charitatem tuam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris.* Ergo si justus potest a justitia sua averti: si qui in Christo olim fuit per charitatem, potest foras mitti et arescere: si justi timere jubentur lapsum etc. justus potest amittere charitatem, ac desinere esse justus: immo eam amittit per quodlibet peccatum mortale; quia omne mortale dicit aversionem a summo Bono, et conversionem ad creaturas, quod sine contemptu Dei et charitatis jactura accidere nequit.

CLXXXII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Tract. de Lapsis ait: *An ingemiscit et plangit, cui vacat cultum praetiosae vestis induere, neque indumentum Christi, quod perdidit, cogitare?* S. Hieronymus Lib. II. contra Jovinianum: *Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum: si peccaverimus, et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, illico Christus recedit. Unde et*

David post peccatum, Redde mihi, ait, laetitiam salutaris tui, scilicet quam peccando amiserat. S. Augustinus Lib. de Praedestinatione Sanctorum, Cap. XIV. *Quare aliis concedatur, ut ex hujus vitae periculis dum justi sunt, auferantur; alii vero justi donec a justitia cadant, in iisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini?* Et Lib. de Correptione et Gratia, Cap. XIII. *Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quae per dilectionem operatur incipere vivere, et aliquamdiu fideliter ac juste vivere, et postea cadere, neque de hac vita prius, quam hoc eis contingat, auferri.*

CLXXXIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. *Viennense* Oecumenicum hunc ipsum Beguardorum et Beguinarum errorem damnavit. Tridentinum Sess. VI. de Justificatione, Canone XXIII. ait: *Siquis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum; anathema sit.*

CLXXXIV. Prob. IV. Exemplis eorum, qui, Spiritu Sancto referente, charitatem amiserunt. I. Adam et Eva gratia supernaturali ac sanctificante ornati, graviter peccarunt transgrediendo Dei praeceptum. II. Daemones antequam peccarent justos fuisse, ex verbis illis Ezechielis Cap. XXVIII. Patres colligunt: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. — — Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.* III. Saul Rex, de quo antequam Rex eligeretur I. Reg. Cap. IX. dicitur: *Saul electus et bonus:*

et non erat vir de filiis Israel melior illo, non solum peccavit, verum etiam, juxta communissimam Patrum et Interpretum, reprobus obiit. IV. David Rex, quem Deus secundum cor suum invenit, adulterio et homicidio se polluit. V. Salomon Rex, singulariter antea Deo dilectus, Diis Gentium sacrificavit. VI. S. Petrus Apostolorum Princeps, cui Christus paulo ante pedes laverat, ut perfecte esset mundus ab omni peccato, Magistrum suum addito perjurio turpiter negavit: quam noxam foras egressus amare deflevit. Certe eo insaniae non devenerint Protestantes, ut a gravi culpa hos omnes absolvant, aut antea justos fuisse negent, aut demum charitatem cum peccato mortali componi posse asserant.

CLXXXV. *Conclusio II.* Fides potest quidem simpliciter amitti, non tamen amittitur sicut charitas per quodlibet peccatum mortale. Prima pars Conclusionis probatur authoritate Scripturarum. Lucae Cap. VIII. v. 13. dicitur: *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* II. Timoth. Cap. II. *Ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt.* ad Titum Cap. III. *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est.* Quomodo autem subverti, excidere, recedere a fide potest, qui fidem numquam habuit? Praeterea ipsi Protestantes admittunt, infantes in baptismo fidem accipere; qui tamen ubi ad adultam aetatem pervenerint, saepe a fide deficiunt, haeresi adhaerentes. Ergo fides amitti potest.

CLXXXVI. Prob. altera pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum. Joannis Cap. XII. v. 42. *Ex Principibus multi crediderunt in eum*, (Christum) *sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum ma-*

gis, qaam gloriam Dei. I. ad Cor. Cap. XIII. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero; nihil sum.* Jacobi Cap. II. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fidee salvare eum?* Ergo fides consistere potest sejuncta a charitate. Idem S. Jacobus Cap. II. v. 26. ait: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Ex quo sic argumentor. Quale est corpus sine spiritu, talis est fides sine operibus. Sed corpus sine spiritu est mortuum quidem, sed tamen verum corpus. Ergo similiter fides sine charitate est mortua quidem, id est, nihil conducens ad vitam aeternam, sed tamen vera fides.

CLXXXVII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus, et Theophylactus Comment. in Cap. VII. Matthaei, ac S. Basilius in Reg. Monachorum, Cap. XCIV. ajunt per illa verba Christi Matth. Cap. VII. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? - - - Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem*, excludi multos a beatitudine coelesti ob solum charitatis et operum defectum. Eosdem significari dicit S. Chrysostomus Hom. LIV. in Matth. per virgines illas fatuas, quae acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Et S. Gregorius M. Hom. XXVIII. in Evang. per illum qui intravit ad convivium Regis, non habens vestem nuptialem. S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer Cap. XXV. ait, *neque agnitionem sine dilectione quae est erga Deum, praestare aliquid, neque Mysteriorum comprehensionem, neque prophetiam; sed omnia vacua et frustrata*

esse sine dilectione. Idem affirmant S. Cyprianus in Sermone de Zelo et Livore, et S. Ambrosius Lib. II. Officiorum, Cap. II. S. Augustinus Lib. XV. de Trinitate, Cap. XVIII. scribit: *Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse.* Ergo fides vera Catholica et Theologica stare potest sine charitate, et reipsa est in peccatoribus fidelibus.

CLXXXVIII. Prob. III. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Can. XXVIII. ait: *Siquis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.* Et Sess. XIV. Cap. IV. docet attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae aut poenarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, esse donum Dei, et Spiritus Sancti impulsum, ac peccatorem disponere ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam. Ergo supponit peccatores illos, quamvis charitate destitutos, adhuc esse fideles: sine fide enim neque datur detestatio peccati, neque spes veniae obtinendae.

CLXXXIX. *Conclusio III.* Spes Theologica non amittitur per quodlibet peccatum mortale. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ecclesiastici Cap. XXI. dicitur: *Fili peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ergo spes non amittitur per quodlibet peccatum; alias peccator rogare non posset Deum, ut remittat sibi peccata, siquidem de obtinenda venia desperaret. II. Paralipom. Cap. XXXIII. de Manasse Rege in captivitatem abstracto dicitur: *Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: et egit*

poenitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. Quomodo autem Manasses, aut quicumque alius peccator deprecari potest Deum sine spe illum placandi? II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Serm. XXVII, alias XX. de verbis Apostoli scribit: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Ergo quemadmodum frequentissime visuntur domus, quarum fundamenta jacta sunt, parietes erecti, quin fabrica perfecta atque absoluta sit: ita etiam fides et spes absque charitate possunt consistere. Clemens Alexandrinus Lib. II. Stromatum ait: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, et spes, et poenitentia.* III. evertendo praecipuum fundamentum adversariorum. Fides, quae est fundamentum spei, non tollitur per quodlibet peccatum grave. Ergo neque spes, quae fide tamquam basi nititur.

CXC. *Quaeres.* Si non per quodlibet peccatum mortale, per quodnam igitur Fides et Spes amittuntur? R. Fidem amitti per solum peccatum infidelitatis. Sicut enim charitas amittitur per quodlibet peccatum grave, quia quaelibet noxa gravis illi opponitur: ita fides per solum infidelitatis peccatum amittitur, quia sola infidelitas directe fidei adversatur. Spes Theologica tollitur tum per peccatum ei oppositum, quod directe tollit objectum formale spei, ut desperatio, et efficax nolitio, vel contemptus beatitudinis: tum per peccatum infidelitatis. Sublata enim fide, quae spei theologicae est fundamentum, spem quoque corruere necesse est. Contra vero sicut paries potest esse sine tecto, et fun-

damentum sine parietibus : ita spes esse potest sine charitate in peccatoribus, et fides sine spe in iis qui desperant.

OBJECTIONES.

CXCI. *Objicitur* 1. contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. I. Joan. Cap. III. dicitur : *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* II. Cantic. Cap. VIII. *Aquae multae non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* ad Rom. Cap. VIII. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita - - - neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Joannis Cap. IV. ait Christus : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* III. I. ad Cor. Cap. XIII. *Charitas numquam excidit.* IV I. Joan. Cap. II. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* V. Joan. Cap. III. *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Confirmat.* Charitas est habitus. Sed habitus non amittitur per unum actum contrarium. Ergo neque charitas per quodlibet mortale peccatum. R. Ad I. Commendari ibi non immobilitatem, sed excellentiam charitatis, sensumque citati textus esse hunc : Qui natus est ex Deo, non peccat, nec peccare potest lethaliter, quamdiu perseverat filius Dei, quoniam semen illius, id est, charitas, quae omnibus peccatis lethalibus contraria est, in ipso manet. Atque hanc charitatem vult S. Joannes certissimam

esse notam, qua filii Dei distinguantur a filiis diaboli. Ad II. R. Nec aquas tribulationum, nec timorem mortis, neque sitim seu cupiditatem rerum creatarum praevalere posse adversus hominem gratia sanctificante et charitate munitum, quamdiu eam non abjecerit, aut neglexerit. Si vero haec arma voluntarie abjiciat, facile obrui posse aquis tribulationum, terreri mortis periculo, incendi siti rerum temporalium. Ad III. R. Charitas excidit superveniente gravi peccato: at numquam excidit superveniente gloria et visione beatifica, de qua sola l. c. loquitur Apostolus. Nimirum charitas, quae in hac vita inchoatur et crescit, perficietur in patria, et in aeternum permanebit. Contra vero fides et spes in coelo destruentur: neque enim sperare possumus, quod actu possidemus, aut credere quod clarissime et absque obscuritate videmus. Ad IV. N. C. S. Joannes ait haereticos illos non fuisse constantes, solidos, perfectos in fide: neque ex numero electorum secundum propositum praedestinationis aeternae. Si enim ex illorum numero fuissent, solidi ac perfecti mansissent utique in Ecclesia, nec finaliter defecissent. Ad V. R. ad salutem obtinendam nudam fidem non sufficere, sed fidem requiri charitate formatam. Ad *confirm.* D. M. Charitas est habitus acquisitus, N. M. Infusus, C. M. Et D. m. Habitus acquisitus non amittitur per unum actum contrarium, C. m. Infusus, N. m. et Conseq. Habitus infusus charitatis dependet ab actione Dei infundentis, qui cessat illum conservare, quando ponitur obstaculum, quale est quodlibet peccatum grave.

CXCII. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. I. Joannis Cap. II. *Qui dicit se nosse eum* (Deum) *et mandata ejus non custodit*,

mendax est. Ergo sine charitate non datur fides. II. Ad Rom. Cap. I. *Justus ex fide vivit*. At non datur spiritualis vita sine charitate. III. I. Joan. Cap. IV. *Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est.* Ergo si non novit, neque credit. IV. Ad. Ephesios Cap. II. *Eratis illo in tempore sine Christo – – – et sine Deo in hoc mundo*. Ergo nec Deus, nec religio est, ubi non est charitas. V. Joannis Cap. VI. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt; sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* VI. I. ad Timoth. Cap. V. *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Ergo multo magis fidem negarunt peccatores, qui graviter delinquendo curam animae non habent. R. ad I. S. Joannem non loqui ibi de fide aut notitia qualicumque, sed de notitia familiaritatis et amicitiae, de qua notitia intelligendus est Dominus Matth. Cap. VII. et XV, ubi ad improbos dicit, *Non novi vos*, aut *Nescio vos*. Ad II. R. Si cum Apostolo de justis sit sermo, totum id concedimus: neque enim quis justitiam sine fide et charitate consequi, aut obtentam retinere valet. Hoc tantum negamus, fidem in peccatoribus a charitate separari non posse. Ad III. N. C. Qui non diligit, Deum quidem novit speculative, non tamen practice, experimentaliter, salubriter, atque eo modo quo oportet Deum nosse. Sicut mellis saporem et dulcedinem nemo novit per experientiam et saporem, nisi qui illud gustat, aut gustavit: ita qui Deum amando non gustavit, eum practice non cognoscit. Ad IV. N. C. Apostolus ibi non de peccatoribus quibusvis agit, sed de Gentilibus et Idololatris. Hos sine notitia veri Dei, ac sine religione esse, ultro omnes agno-

scimus. Ad V. R. a nobis minime negari, quod peccatores aliqui fidei naufragium patiantur, quos inter fuit Judas Iscariotes; quia nimirum amissa charitate, ac spe abjecta emergendi e gurgite vitiorum, in peccatum infidelitatis quandoque prolabuntur; sed hoc unum asserimus, propter absentiam charitatis fidem non extingui. Ad VI. R. Qui domesticorum atque animae suae curam non gerit, fidem negare, non quidem verbo, sed re ipsa et facto suo crudeli, quia contra praescriptum fidei et Scripturae facit, monentis Isaiae Cap. LVIII. *Carnem tuam ne despexeris.* Et sic hac in parte est infideli deterior, quia infideles naturali instinctu et pietate curam suorum gerunt.

CXCIII. *Dices I.* Jacobi Cap. II. v. 26. dicitur: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Ergo non datur vera fides absque charitate. P. C. Homo mortuus non est verus homo. Ergo etiam fides mortua non est vera fides. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. C. Homo in suo conceptu dicit animal rationale, adeoque compositum ex anima et corpore inter se unitis. Jam vero si anima ponatur a corpore separata, dabitur quidem verum corpus, non tamen ideirco dabitur verus homo. Contra charitas, seu vita spiritualis non est de essentia fidei in se spectatae; ideoque dari potest vera fides absque charitate, sicut dari potest verum corpus absque anima.

CXCIV. *Dices II.* S. Jacobus in sua Epistola Cap. II. v. 19. Peccatorum fidem comparat fidei daemonum: *Tu credis, quoniam unus est Deus: Bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt.* Atqui daemones non habent veram fidem. Ergo neque peccatores. R. D. M. comparat fidei daemonum per omnia, N. M. In hoc

tantum, quod sicut fides daemonum caret merito et utilitate ad salutem assequendam, ita etiam fides sine charitate, C. M. In hoc utique convenit fides peccatorum cum fide daemonum. At vero in multis aliis discrepat; daemonum enim fides neque laudabilis in ipsis est, neque ex gratia, neque ad bonum ipsis utile a Deo conceditur; sed mere naturalis est, invita, et signis evidentibus extorta. Non ita fides hominum viatorum, etiam informis illa et expers amoris atque fiduciae : Viatores enim, quamtumvis impii, non credunt contremiscentes, id est, inviti, sed sponte ac libenter.

CXCV. *Objicitur III.* Infirmitas probationis nostrae ex Scripturis petitae. Principes illi, de quibus dicitur *Joan.* Cap. XII., quod crediderint in Christum, sed eum confessi non fuerint, non habuerunt veram fidem Christi, sed tantum notitiam aliquam imperfectam. II. S. Paulus verbis illis I. ad Cor. Cap. XIII. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*, ducit argumentum a conditione impossibili, ut ostenderet necessitatem dilectionis, sicut etiam initio capitis ejusdem dicit : *Si linguis hominum loquar et Angelorum.* Vel dici potest, quod tantum loquatur Apostolus de fide signorum, non vero de fide promissionum III. S. Jacobus in sua Epistola Cap. II. non dicit : *Si quis fidem habeat*, sed, *Siquis fidem habere se dicat.* Ergo ex illis locis nihil evincitur. R. ad I. N. A. quod gratis, et absque ullo fundamento dicitur ab adversariis. *Credere* enim *in eum*, usitata est Scripturarum phrasis, qua intelligitur vera fides in Christum. Ad. II. N. A. Quod Apostolus argumentum non ducat a conditione impossibili, patet ex familiari modo loquendi, quasi de

re agat quae solet contingere, atque ex scopo Apostoli. Nempe quorumdam ibi Corinthiorum insolentiam reprimit, qui de sola fide nimis gloriabantur. Verba illa, *Si linguis hominum loquar et Angelorum*, sunt hyperbole in Scripturis valde usitata, hunc que habent sensum: Si omnem haberem humanam et Angelicam eloquentiam, vel si disertissime, elegantissime, atque excellentissime loquerer etc. Ergo sicut eloquentia, scientia, eleemosyna sine charitate esse possunt, sed non prodesse: ita et fides sine charitate esse poterit, non tamen sine illa prodesse. Neque de fide tantum signorum loquitur Apostolus, sed de vera fide Christiana, Theologica; ait enim: *Si habuero omnem fidem*, et in fine capitis concludit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec.* Ubi de illa ipsa fide procul dubio loquitur, cujus antea in eodem capite meminerat: sicut etiam loquitur de eadem charitate, de qua prius agebat. Praeterea quamvis adversariis daretur, Apostolum loqui de fide signorum, nihil contra nos idcirco evincitur: siquidem fides signorum nihil aliud est, quam ipsa fides Christiana, eaque excellens: Apostolis enim petentibus fidem, Christianam utique, sibi adaugeri, respondit Christus Lucae Cap. XVII. v. 6. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis.* Quibus verbis ostendit Christus, signum auctae fidei esse, si per eam miracula efficiantur. Ad III. C. A. N. C. Idem omnino dixit S. Jacobus, ac si dixisset, *Siquis fidem habeat.* Arguit enim ibi jactantiam improborum, qui de sola fide gloriantur, ideoque ait: *Siquis fidem habere se dicat*, hoc est, siquis sola fide fretus eam jactet, seque ea contentum esse affir-

met, sciat hanc sibi neutiquam profuturam: Atque hanc mentem suam verbis immediate sequentibus declarat: *Numquid fides poterit salvare illum?*

CXCVI. *Objicitur IV.* Authoritas Patrum. *S. Hieronymus* in Cap. IV, Epist. ad Galatas ait: *Cum dilectio procul abfuerit, et fides pariter abscedit.* Et Proemio in Lamentat. Jeremiae scribit, *nudari etiam fide animam fidelem, cum a Deo recedit per peccatum.* II. S. Gregorius M. Hom. XXIX. in Evang. ait, *eos non veraciter credere, et non habere veram fidem, qui non bene operatur.* III. S. Augustinus Epist. CCXXII. nunc CXX. ad Consentium ait: *Pia fides sine spe, et sine charitate esse non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere quod nondum videt, ut visionem et speret et amet.* R. ad I. S. Hieronymus tantum vult, quod extincta charitate fides desinat esse viva et perfecta; aut quod peccata fidem aliquo modo debilitent, et ad illius amissionem disponant. Ad II. R. S. Gregorius ait, peccatores non habere veram fidem in ostensione operum, seu non ostendere veram fidem ex operibus; alioquin S. Doctor sibi contradiceret, cum Hom. XXXVIII. apertissime doceat, multos in Ecclesiam intrare, quia fidem habent: et tamen veste nuptiali carere, quia charitatem non habent. Ad III. N. C. Aliud est, quod pia fides nolit esse sine spe et charitate; datur enim a Deo per modum dispositionis ad justificationem: aliud est, quod fides sine charitate et spe non subsistat, quod nullibi dicit Augustinus, immo contrarium expresse docuit, ut patet ex textibus in probatione allatis. Magistro consentit etiam discipulus S. Fulgentius Lib. II. ad Monimum, Cap. IX. *His igitur demonstratur indiciis, ibi esse Spiritum Sanctum, ubi est finis praecepti,*

hoc est charitas. – – – Ubi autem cum fide charitas non est, quaecumque dona Spiritus Sancti esse posse; ipsum vero Spiritum Sanctum esse non posse.

CXCVII. *Objicitur V.* Ratio. Christus non potest cognosci sine sanctificatione Spiritus, quae charitatem includit. Ergo fides separari non potest a charitate. P. A. Ad Rom. Cap. X. dicitur: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo. II. Quodlibet peccatum grave meretur puniri amissione omnium bonorum supernaturalium. Ergo per quodlibet peccatum amittuntur fides et spes. III. Habitus fidei non manet in damnatis, quamvis semper in vita veram fidem habuerint. Ergo neque manet in peccatoribus. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Sensus citati textus est iste: Ad justitiam obtinendam necesse est, ut ad voluntatis nostrae imperium per Spiritum Sanctum adjutae intellectu firmiter credamus; ad eamdem vero fovendam, stabiliendam, augendam, adeoque ad salutem consequendam requiritur etiam professio fidei, non verbalis tantum, sed realis per bona opera. Ad II. C. A. N. C. Quodlibet peccatum mortale meretur etiam statim aeternis poenis mulctari: neque tamen ideireo Deus ordinarie denegat peccatoribus spatium poenitendi. Ad III. N. C. Fides, et Spes, aliaque auxilia supernaturalia non dantur a Deo, nisi ubi locus est gratiae, et homo per actus salutares potest tendere ad beatitudinem: damnati vero neque piam affectionem ad fidem, neque ullam aliam operationem supernaturalem possunt elicere, quam elicere possunt peccatores adhuc in via constituti, et Dei gratia adjuti.

CXCVIII. *Objicitur VI.* contra III. Conclusionem, Authoritas S. Augustini. S. Doctor in Enchiridio, Cap.

VIII. Scribit: *Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero sine amore esse non potest. --- Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes: nec utrumque sine fide.* Ergo juxta S. Augustinum ubi non datur charitas, non datur spes. II. Idem Enarratione in Psalm. XXXI. ait, *malam conscientiam totam esse in desperatione.* Ergo spes amittitur per quodlibet mortale, cum nemo in peccato mortali constitutus sperare possit aeternam beatitudinem. R. ad I. C. A. N. C. Augustinus l. c. per amorem non intelligit charitatem, sed amorem concupiscentiae sanctae, quo Deum amamus ut bonum nobis, ac beatitudinem appetimus ut nobis perquam accomodam. Atque sine hoc amore certum est spem subsistere non posse; nemo enim sperat quod non amat. Ad II. R. id non semper sed quandoque tantum accidere: subsequitur enim quandoque ex conscientia maximorum scelerum desperatio, quae omnem Christianam spem jugulat, utpote spei directe opposita, ut Caino et Judae contigit. At vero longe frequentius contigit, ut qui in gravia crimina prolapsi sunt, spem salutis non amittant. Sperare equidem peccator non potest beatitudinem in statu peccati se adepturum; sperare tamen potest se e statu peccati ad statum gratiae Dei auxilio transferendum, in quo dein salutem aeternam consequatur.

CONTROVERSIA V.

AN, ET QUIBUS POENIS APUD INFEROS DAMNATI TORQUEANTUR, QUI IN STATU PECCATI MORTALIS EX HAC VITA DECEDUNT?

Contra Origenistas, Albigenses, Almaricum, Arnaldum de Villa Nova, et Socinianos

CXCIX.

Saeculo VIII. Clemens quidam gente Scotus docuit, infernum quidem a rerum omnium authore Deo cum coelo et terra conditum fuisse, sed per mortem Christi eversum esse omnino atque exhaustum, adeo ut in lege amoris et gratiae nullum infernum credere necesse sit. Poenas quoque inferorum nullo suo commodo negarunt Almaricus Carnotensis, Albigenses, et Hermannus Riswick Batavus: docebant enim paradisum nihil aliud esse, quam gratiam, et veri Dei cognitionem, infernum vero esse conscientiam criminum. Locum materialem puniendis reprobis destinatum esse inficiati sunt Calvinus, Beza, Bucerus, rati inferni nomine in Scripturis sepulchrum intelligi. Poenas quod attinet apud inferos infligendas, censuit Origenes daemones atque impios homines igne vero et proprie dicto in inferno, non cruciari, teste S. Hieronymo qui Epist. LIX. ad Avitum de Origene scribit: *Ignem quoque gehennae et tormenta, quae Scriptura Sacra peccatoribus commi-*

natur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute et potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur. Eam lem sententiam *Theophylactus* amplectitur in Cap. IX. Marci, et *Ambrosius Catharinus* Lib. de praemio bonorum et supplicio malorum. Sed graviorem adhuc hac in materia errorem disseminavit idem *Origenes*, ut testantur *Theophilus Alexandrinus* in Epistola Paschali, *S. Athanasius* Lib. de communi Essentia, *S. Hieronymus* Epist. LV. ad Pammachium, Epist. LIX. ad Avitum, et in Apologia I. adversus Rufinum, *S. Epiphanius* in Epist. ad Joannem Jerosol., *S. Augustinus* Lib. de Haeresibus, Cap. XLIII. et V. Synodus Oecumenica, seu *CPolitana II.* sub Vigilio et Justiniano, quae Origenem proscripsit. Docuit nimirum poenas daemonum atque impiorum hominum sempiternas non fore; sed illos vitiis purgatos atque peccatis, coelestem gloriam aliquando adituros, et cum Sanctis regnaturos: Salvatorem pro daemonibus ac spiritualibus nequitiis apud Superos affigendum Cruci. Aliqui sectatores Origenis Magistri sui errorem mitigarunt; quidam enim, rejectis daemonibus et infidelibus, eos qui Christi baptismate abluti essent; alii eos qui in Ecclesia Catholica perseverassent, quamvis in ea male viventes ab inferni poenis aliquando liberandos aeternaque vita fruituros dicebant. Integrum Origenis errorem postremis hisce saeculis amplexi sunt Sociniani, impie arbitrantes, justum non fore Dei judicium, si creaturas etiam ob unum unicum grave peccatum, v. g. cogitatione admissum, sempiternis cruciatibus addiceret. Alia laboravit insania Arnaldus de Villanova, natione Catalanus, professione Medicus, qui initio Saeculi XIV. asseruit, Deum publice tantum,

non autem occulte peccantibus inferni poenas comminatum esse.

CC. *Conclusio I.* Etiam in lege gratiae et amoris datur Infernus. Prob. I. Authoritate Scripturarum. *Matth.* Cap. X. v. 28. Ipse Christus Evangelicae legis author ait: *Potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. XXV. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae; et congregabuntur ante eum omnes Gentes - - - Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt, Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* II. Petri Cap. II. v. 17. de haereticis et impiis tum veteris tum novi Testamenti dicitur: *Hi sunt fontes sine aqua, et nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur.* Prob. II. Ratione. Ex una parte in Scripturis nullibi legitur, damnatorum carcerem in morte Christi destructum atque eversum fuisse: ex altera parte in Lege Evangelica non minus quam in veteri Testamento, plurima committuntur enormia scelera, plurimique in impietate sua moriuntur, gratia sanctificante, immo saepe etiam vera fide destituti. Ergo cum nihil coinquinatum coelum ingredi possit, atque in termino constitutis nullum amplius poenitentiae spatium concedatur, etiam in Lege Evangelica impii inferni poenis torquentur.

CCI. *Conclusio II.* Infernus, seu damnatorum carcer, est locus materialis, determinatus, ac subterraneus. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Psal. XCIII. dicitur: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Ubi infernus clare distinguitur a sepulcro, in quo anima non jacet. Lu-

cae Cap. XVI. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*, qui locus per antonomasiam *locus tormentorum* ibidem dicitur, et a sinu Abrahae distinguitur. Ergo infernus est locus materialis ac determinatus. Matthaei Cap. XI. *Et tu Capharnaum numquid usque in coelum exaltaberis? usque in infernum descendes.* II. Petri Cap. II. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Apocal. Cap. V. *Et omnem creaturam* (audivi) *quae in coelo est, et super terram, et sub terra.* Ad Philippenses Cap. II. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum.* In Graeco textu dicitur *Subterraneorum.* Ergo carcer damnatorum est subterraneus. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus in Cap. XIV. Isaiae scribit: *Dicimus, quod infernus sub terra sit.* Et in Cap. II. Jonae: *Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terrae esse perhibetur.* S. Augustinus Lib. II. Retract. Cap. XXIV. *De inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit.* Idem sentiunt Tertullianus Lib. de Anima, Cap. XXXI. S. Chrysostomus Hom. XXIV. in Matth. S. Gregorius M. Lib. IV. Dialogorum, Cap. XLII. Ven. Beda Lib. III. in Job. Cap. VII. S. Damascenus Lib. III. de Fide, Cap. ultimo.

CCII. *Conclusio III.* Damnati igne vero et proprie dicto torquentur apud inferos. Haec Conclusio quamvis de fide non sit, est tamen certa illique opposita merito censetur temeraria. Probat. I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. V. v. 22. *Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis.* Matth. Cap. XXV. v. 41.

Discedite a me maledicti in ignem aeternum. Quis autem dixerit, Judicem contra reum decernentem metaphorice loqui? Marci Cap. IX. v. 42. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inestinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Apocal. Cap. XX. *Diabolus - - missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Verba Scripturae, praecipue quando constanter et uniformiter loquitur, intelligenda sunt in proprio ac naturali sensu, si ille nullam contradictionem aut absurditatem praeseferat. Ergo haec Scripturarum verba intelligenda sunt de vero ac proprie dicto igne.

CCIII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Lib. de laudibus Martyrii, Cap. XII. infernum sic describit: *Saeviens locus, cui gehenna nomen est - - - cruciantibus flammis per horrendam spissae caliginis noctem saeva semper incendia camini fumantis exspirat: globus ignium arctatus obstruitur, et in varios poenae exitus relaxatur. Tunc saeviendi plurima genera; tum in se ipso convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit.* Quae certe descriptio est ignis materialis et corporei. S. Hieronymus Epist. LIX. ad Avitum, arguit Origenem, quod ignem tartareum ad metaphoram transtulerit. S. Augustinus Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. X. *Adhaerebunt Spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* S. Gregorius M. Lib. IV. Dialog. Cap. XXIX. *Certe reprobis veritas in fine dictura est, Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus. Si igitur diabolus, ejusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cru-*

ciandi, quid mirum si animae, etiam antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta? Porro inferorum ignem, quo daemones et animae damnatae torquentur, materia constare, Theologi hodie omnes, immo et Christiani consentiunt.

CCIV. Neque Conclusioni nostrae obstat, quod *S. Ambrosius* in Cap. XIV. Lucae. *S. Gregorius M.* Lib. XV. Moralium, Cap. XVII. et *S. Augustinus* Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. X. ignem illum, quo damnati torquentur, *incorporeum* vocent: aut quod *S. Damascenus* Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XXVIII. non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus, vocitet, ut longe jam ante illum *Lactantius* scripserat Lib. VII. Divin. Institut. Cap. XXI. Ambrosius enim et Gregorius ignem illum vocant *incorporeum*, tum quia pabulo non indiget: tum quia non virtute corporea, sed forte spirituali torquet Spiritus: Augustinus vere verbis subsequentibus mentem suam dilucide explicat l. c. *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et daemonum.* Damascenus et Lactantius volunt tantum ignem inferni non fore impurum et crassum, qualis hic noster est. Auditur Lactantius Lib. VII. Divin. Institut. Cap. XXI. *Cujus* (ignis infernalis) *natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur. Qui nisi alicujus materiae fomite alatur, extinguitur: at ille divinus per se ipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum; sed est purus ac liquidus, et in aquae modum fluidus.* Jam vero si purus, si liquidus, si fluidus instar aquae est, materialis et corporeus sit necesse est.

CCV. *Quaeres I.* An ignis ille ejusdem sit naturae et speciei cum elementari nostro, an diversae? R. ejusdem omnino speciei esse, quamvis secundum accidentia differat, ut superius dictum est. Vocatur enim a Scripturis Sacris et Patribus constanter, et absque alia additione, *ignis*, quod nomen specificum est, sicut nomen aquae. Ergo cum vere ac proprie ignis sit, ejusdem est cum elementari nostro speciei. Differentiam accidentalem ignis illius a nostro elegantissime describit Minutius Felix Saeculi III. Scriptor, in Dialogo, qui *Octavius* inscribitur: *illic sapiens ignis membra urit, et reficit; carpit, et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt: sicut ignes Aethnae et Vesuvii montis, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.*

CCVI. *Quaeres II.* Qua ratione ignis corpereus agere possit in Spiritus? Missis quorumdam opinionibus, qui quod investigari non potest, inexhausta curiositate perquirunt, respondeo cum S. Augustino Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. X. *miris, tamen veris modis.* Et Epist. III. nunc CXXXVII. ad Volusianum: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Nullus sane ex eo capite negabit animas corporibus inclusas adustione, aut rei ingratae perceptione torqueri, quod hactenus Philosophorum nullus abditum id naturae mysterium exponere nobis valuerit. Neque dicas mentem esse cum corpore conjunctam in unam personam, ideoque corporis motibus necessarie percelli. Praeterquam enim quod difficultas hac responsione insoluta dimittatur, ajo quemadmodum Deus

mentes immateriales ita cum corporibus conjunxit, ut motibus eorum afficerentur : sic apud inferos, novis legibus naturae rerum impositis, efficere potest, ut Spiritus igne materiali et corporeo urantur.

CCVII. *Conclusio IV.* Non peccata publica tantum, sed etiam occulta, per poenitentiam nondum remissa, in altera vita inferorum cruciatibus puniuntur. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quae nullo facto discrimine inter peccata gravia publica et occulta, aeternam mortem impiis comminantur. Ezechielis Cap. XVIII. v. 4. *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Apocalypsis Cap. XXI. v. 27. *Non intrabit in eam* (Jerusalem coelestem) *aliquid coinquinatum aut abominationem faciens et mendacium.* II. ad Cor. Cap. V. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Psal. XVIII. dicitur : *Ab occultis meis munda me.* Quibus verbis Propheta regius satis innuit, peccata, etiam occulta ac secreta, et soli Deo nota, veram habere culpam, ac digna esse supplicio. Matth. Cap. XV. ait Christus : *De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Haec sunt, quae coinquinant hominem.* Prob. II. Ratione Theologica. In die ultimi judicii Deus manifestabit consilia cordium, et illuminabit abscondita tenebrarum ea etiam de causa, ut peccata occulta puniantur. II. Si peccata occulta a Deo post mortem hominis non punirentur, plurima enormia et gravissima scelera manerent impunita ; quod justitiae divinae repugnat. III. Peccata occulta sunt transgressio libera divinae legis. Er-

go ex natura sua spoliant hominem gratia sanctificante, reddunt inimicum Deo, et reum constituunt aeternae damnationis.

CCVIII. *Conclusio V.* Animae, in statu peccati mortalis ex hac vita decedentes, statim ad inferos amandantur. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Lucae Cap. XVI. v. 22. dicitur: *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.* Quo nomine non sepulcrum, sed ipsos inferos seu carcerem damnatorum intelligendum esse, tum ex Patribus, tum ex ipsa scriptura evincitur. Ait enim Epulo ad Abrahamum: *Quia crucior in hac flamma.* Ergo eadem est reliquorum etiam damnatorum conditio. II. Authoritate Patrum. S. Basilius in Exhortat. ad Baptismum: *Aderit tibi repentinum exitium, ac interitus similis procellae te evertet. Veniet malus Angelus, per vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam, teque demum magnopere cruciatum, praecluso lamentis vocis organo, ad nigra tartara deducet.* S. Hilarius in Psalm. II. *Excipit impios statim ultor infernus, et decedentes de corpore confestim de via justa peribunt. Testes nobis sunt Evangelii dives et pauper.* S. Gaudentius Brixiensis Tract. XIII. de Natali Domini: *Judas praedictorum facinorum conscientia strangulatus, mortem debitam laqueo sibimet intulit praeparato, confestim rapiendus ad inferni supplicia.* S. Augustinus Lib. XIII. de Civit. Dei, Cap. VIII. *In requie sunt animae piorum a corpore separatae; impiorum autem poenas luunt.* S. Gregorius M. Lib. IV. Dialog. Cap. XXVIII. *Si esse Sanctorum animas in coelo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno: quia ex retributione aeternae justitiae, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucien-*

tur. Nam sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. III. Authoritate Oecumenici Florentini, quod in Decreto fidei definivit Sess. ultima, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* IV. a pari. Sanctorum beatitudo non differtur usque ad ultimi judicii diem. Ergo nec poena reproborum.

CCIX. *Conclusio VI.* Poenae damnatorum apud inferos sunt aeternae, nullum umquam finem habiturae. Prob. Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Scripturarum. Matth. XXV. v. 41. dicitur: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Et v. 46. *Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* Marci Cap. IX. *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Apocal. Cap. XX. Bestia et Pseudopropheta, quibus universitas impiorum designatur, in stagno ignis et sulphuris *cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* II. ad Thessalon. Cap. I. *Qui poenas dabunt in interitu aeternas.*

CCX. Prob II. Authoritate Patrum. S. Justinus Apologia II. scribit: *Sed enim, quia liberi arbitrii et Angelorum et hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro delictis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt.* Tertullianus in Apologetico, Cap. XLV. *Enimvero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merita soli innocentiae occurrimus, et pro scientiae plenitudine, pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum timentes.* S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap.

XLVII. *Quibuscumque dixerit Dominus, Discedite a me maledicti in ignem aeternum, isti erunt semper damnati. Et quibuscumque dixerit, Venite benedicti Patris mei, percipite haereditatem regni, quod praeparatum est vobis in sempiternum, hi percipiunt regnum, et in eo proficiunt semper.* S. Hilarius Canone V. in Matth. *Igitur requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur. Sed corporalis et ipsis aeternitas destinabitur: ut ignis aeterni sit in ipsis aeterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna.* Lactantius Lib. II. Divin. Institut. Cap. V. *Qui maluerit bene vivere ad tempus, male vivet in aeternum. Damnabitur enim sententia Dei ad aeternam poenam, quia coelestibus bonis terrena praeposuit.* S. Ambrosius Lib. II. de Fide ad Gratianum, Cap. IV. *Tu te a diabolo creatum Manichaee arbitraris. Ad illius ergo festina sedem, ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium, nec umquam poena moritur.* Et Lib. de lapsu Virginis, Cap. VIII. *Ego tamen, qui scio graviora facinorosis servari tormenta, et sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed aeternos; aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique, non animam perditurus.* S. Basilius in regulis compendio traditis, interrogatione CCLXVII. ait: *Cum haec et ejusmodi saepe in Scriptura proponantur; hoc quoque est diaboli artis et astutiae, ut multi homines velut obliti talium tantarumque Domini sententiarum, finem sibi audeant poenarum in posterum adumbrare. Nam si aeterni supplicii quandoque finis est futurus, omnino habebit et vita aeterna finem. Sin in vita non sic Evangelici dicti sensum accipimus, quae ratio est statuendi finem supplicio aeterno? Ae-*

terni enim adjunctio pariter in utroque ponitur. Ibunt enim hi, inquit, in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam. His igitur ita concessis, intelligendum est illud, Vapulabit multis, et illud, Vapulabit paucis, non finem, sed diversitatem supplicii declarare. S. Gregorius Nazianzenus Carmine XIX. vermem, qui apud inferos rodit, describens ait: *At vermis illinc perpeti morsu premens.* Et Oratione XV. de plaga grandinis scribit: *Mitto dicere futurae vitae tribunalia, quibus hujusce vitae indulgentia et impunitas eos tradit: ita ut satius sit nunc castigari et purgari, quam ad cruciatum illum transmitti, cum jam poenae tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim qui Dei memor hic est, morte superior est, idque a Davide optime dictum est: ita his, qui vita excesserint, non est in inferno confessio, aut morum correctio. Hic enim Deus vitam et actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit.* S. Chrysost. Hom. IX. in I. ad Cor. *Non est haec parva, quae proponitur, quaestio, --- an finem habeat ignis gehennae? Nam quod non habeat, Christus pronuntiavit dicens: Ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non desinet.* S. Augustinus Lib. de Fide et operibus, Cap. XV. *Neque illud dici hic potest, in quo nonnulli seipsos seducunt dicentes, ignem aeternum dictum, non ipsam poenam aeternam. Per ignem quippe, qui aeternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; ut videlicet ipse ignis aeternus sit, combustio vero eorum, hoc est, operatio ignis non sit in eos aeterna: cum et hoc praevidens Dominus, sententiam suam concluserit, ita dicens: Sic ibunt illi in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam. Erit*

ergo aeterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit. S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XLIII. *Ex ejus* (Dei) *ore justi aeternique judicii sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam; iniqui semper arsuri cum diabolo, justi autem sine fine regnaturi cum Christo.*

CCXI. Prob. III. Authoritate Conciliorum. V. Synodus, seu *Cpolitana II.* Oecumenica damnavit Origenem, quod docuerit omnium impiorum hominum, atque etiam daemonum tormenta finem aliquando habitura, ut testantur *Evagrius* Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. XXXVII. *Nicephorus Callistus* Lib. XVII. Hist. Eccl. Cap. XXVIII. *Photius* Lib. de VII. Synodis, *Theophanes Zonaras*, *Cedrenus*, VI. Synodus seu *CPolitana* III. Actione XVIII. et *Nicaena* II. Act. I. Immo *S. Augustinus* annis facile CXXX. ante V. Synodum, in libro de Haeresibus, Cap. XLIII. commentum hoc Origenis vocat vanissimam impietatem, propter quam Origenes merito ab Ecclesia proscriptus fuit. *Lateranense IV.* Cap. *Firmiter* docet, reprobos poenam perpetuam recepturos esse cum diabolo. *Tridentinum* Sess. VI. Can. XXV. et Sess. XIV. Can. V. poenas damnatorum vocat aeternas: quo nomine Concilia et Patres non intelligunt longam durationem, sed aeternitatem proprie ac stricte dictam, fine carituram.

OBJECTIONES.

CCXII *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Christus ad inferos descendens

post mortem suam, ut dicitur Psalmo CVI. *Contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.* II. Act. Cap. II. *Deus suscitavit* (Christum) *solutis doloribus inferni.* III. Christus triduo illo apud inferos moratus, ut dicitur I. Petri Cap. IV. Evangelium praedicavit: *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne; vivant autem secundum Deum in spiritu.* IV. Christus ad Ephes. Cap. IV. v. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Ergo infernus per mortem Christi eversus et destructus fuit. R. I. Cur ergo Christus in die extremi judicii reprobos aeternis flammis addicet, Matth. Cap. XXV. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum?* R. II. C. A. N. C. I. textus de Christo ad inferos descendente intelligendus est, non in hoc sensu, quod infernum destruxerit; sed quod divina virtute sua ad inferos penetrarit, carcerem Patriarcharum reserarit, praedamque, ringentibus inferis, animas nimirum piorum hominum, quae in sinu Abrahae quiescebant, extorserit. II. textus sensus est, quod Christus sua resurrectione destruxerit mortem, illamque omni dominatu in sanctissimam suam humanitatem exuerit; resurrexit enim immortalis et impassibilis; vel quod Christus dolores inferni solverit, impediendo ne illis amplius tenerentur animae Patriarcharum, quas liberare decreverat. III. textus dicit, Christum Patribus in limbo reclusis pro vita pie antea transacta laetissimum aeternae beatitudinis nuntium, ac praemium attulisse; ita ut quamvis illi a mundanis et stultis hominibus plane interiisse aestimarentur, tamen revera vivant spiritu in praesentia Divinae Majestatis, donati a Deo gloria aeterna. Ad IV. N. C. Christus enim secum in coelos

non traxit impios, aeternae mortis vinculis constrictos; sed piorum animas apud inferos in sinu Abrahae quiescentes.

CCXIII. *Objicitur II.* contra III. Conclusionem, Infirmitas probationis. In narratione illa divitis et mendici *Lucae* Cap. XVI. plura sunt metaphorice accipienda, v. g. quod dives oculos elevarit, et Abrahamum a longe viderit: quod guttam aquae rogaverit. Ergo etiam verba illa, *Crucior in hac flamma*, intelligenda sunt de flamma metaphorica, non vero proprie ac stricte tali. *Confirmat.* Eo modo damnati igne torquentur, quo a frigore et vermibus. Atqui vermes et frigus sunt tantum metaphorice in inferno. Ergo etiam ignis. R. I. Non desunt viri docti, qui non animam tantum, verum etiam corpus divitis ad inferos delatum fuisse suspicantur: quo casu omnia, absque metaphora, explicari possent. Juxta communem autem Interpretum sententiam, qui verba illa, *Sepultus est in inferno*, de sola anima intelligunt, Resp. II. C. A. N. C. Certum est atque omnibus exploratum, oculos, manus, linguam, stim, Spiritibus a corpore separatis non nisi metaphorice tribui posse: At vero Scriptura clare ac frequenter asserit dari in inferno ignem, quem naturalem esse, ac ejusdem quoad substantiam speciei cum elementari nostro Sancti Patres passim affirmant. Ad *Confirmat.* R. I. N. M. Frigoris apud inferos nullibi Scriptura meminit, nisi forsitan, Job Cap. XXIV. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius.* Qui tamen textus facile aliam interpretationem admittit juxta mentem *S. Gregorii M.* Lib. XVI. Moral. Cap. XXVII. Vermium quidem saepius meminit Scriptura, cum de poenis inferni agit; sed de illorum veritate ac proprietate non tam

concors est Sanctorum Patrum et Theologorum sententia. R. II. N. m. Ex alternante frigoris et caloris cruciatu damnatos acerbissime torquendos esse affiirmant *S. Hieronymus* in Cap. XXIV. Job, et Cap. X. in Matth. Ven. *Beda* in illud caput Job, *Hugo Victorinus* Lib. IV. de Anima, Cap. XIII. Vermes vero materiales voracissime damnatorum corpora depasturos esse, *S. Augustinus* Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. IX. *S. Maximus*, aliique Patres absque cunctatione asserunt, divinarum Scripturarum oraculis permoti

CCXIV. *Dices.* Ipsa Scriptura divina quamcumque gravem tribulationem ignem vocat metaphorice, ut Psal. LXV. *Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium.* Psal. XVI. *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Ecclesiastici Cap. LI. v. 6. *Et in medio ignis non sum aestuatus.* Ergo ex Scripturis evinci nequit, damnatos igne vere ac proprie tali torqueri. R. N. C. Quamvis haec vox *ignis* uno aut altero loco figurate sumatur in Scripturis, minime tamen sequitur etiam tunc figurate sumi, quando Scriptura tam frequenter, tamque diversis locis aeterno igne damnatos torqueri asserit: praecipue cum divinae Scripturae libri a diversis authoribus conscripti sint, Sanctique Patres textus illos in sensu proprio intelligendos esse docuerint.

CCXV. *Objicitur III.* contra V. Conclusionem, Infirmitas argumenti. Narratio illa Lucae Cap. XVI. Divitis, et mendici, non est historica, sed parabolica. Ergo ex ea probari non potest, impios statim post mortem ad inferos detrudi. R. I. N. A. Narrationem illam non parabolicam, sed historicam esse asserunt Origenes, Tertullianus, S. Irenaeus, Clemens Alexandrinus,

S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Augustinus, S. Petrus Chrysologus, S. Isidorus Pelusiota, S. Gregorius M. Unde enim, ut observat Tirinus, pauperi nomen Lazari, seu Eleazari? Unde diviti quinque fratres? Unde tam exacta damnationis et poenarum descriptio? Fateor quidem symbolica quaedam interseri, ut de lingua divitis, de gutta aquae etc. Sed non poterat aliter nobis status ejus innotescere; et solent ejusmodi corporalibus symbolis spiritualia adumbrari. R. II. N. C. Quamvis in parabolis non ea narrentur quae contingerunt, narrantur tamen eo modo, quo contigere possunt, atque etiam in aliis vel similibus circumstantiis, aut saltem ex parte contingere solent. Cum igitur narretur ibi, divitem mortuum, atque in inferno sepultum esse; quamvis narratio illa foret parabolica, legitime tamen infertur, reprobos quoscumque post mortem ad inferos detrudi, non expectato extremi judicii die.

CCXVI. *Objicitur IV.* Paritas. Daemones nondum missi sunt in ignem aeternum, sed primum mittentur in die extremi judicii. Ergo etiam damnati nondum apud inferos torquentur. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Matthaei Cap. VIII. daemones dicunt Christo: *Venisti ante tempus torquere nos.* Et I. ad Cor. Cap. VI. ait Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* II. Authoritate Patrum. S. Justinus Apologia I. et II. S. Irenaeus Lib. V. adv. Haer. S. Epiphanius in Haer. Sethianorum, Oecumenius in Cap. ult. I. Petri dicunt, daemones sempiterno igni tradendos, nondum tamen traditos esse. III. Authoritate Ecclesiae, quae in exorcismo Baptismati praemitti solito alloquens daemonem, ait: *Nec te lateat imminere tibi poenas, tormenta,*


image
not
available

tur, ut tradunt *Athenagoras* in Legatione pro Christianis, *Tertullianus* in Apologetico, Cap. XXII. *S. Augustinus* Lib. VIII. de Civit. Dei, Cap. XXII. *Eusebius* Lib. III. Demonstrat. Evang. *S. Chrysostomus* Hom. XI. in I. ad Thessalon. *Theodoretus* Orat. III. contra Graecos, *S. Fulgentius* Lib. de Trinitate, Cap. VIII. Ergo daemones nondum aeternis uruntur incendiis. R. Quamvis communis sit Patrum sententia, non omnes prorsus daemones statim post peccatum in inferorum claustris fuisse conclusos; sed eorum plerosque in tartarum fuisse deturbatos, reliquos vero in aëre vicinisque locis vagari, atque ultro citroque commeare; exinde tamen inferri nequit, eos qui in aëre versantur, non torqueri ab igne, et damnationis suae poenas non pati. Certe Scriptura hanc poenam adstruit; dicitur enim II. Petri Cap. II. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Et in Epistola Canonica B. Judae v. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Quae verba *tartarus, infernus, caligo,* perspicue damnatorum carcerem significant. Sicut igitur Angeli, etiam dum apud nos agunt, semper vident faciem Patris, atque in coelis esse a Christo dicuntur: ita daemones etiam, dum in hoc aëre versantur, poenas inferni sustinent. Qua autem ratione fieri possit, ut ignis gehennae agat in daemones per aëra volitantes, fatemur nos ignorare. Hoc tantum dicimus, fieri id miris et ineffabilibus, veris tamen modis: soli Divinae Omnipotentiae et Justitiae cognitis.

CCXVIII. *Objicitur V.* contra VI. Conclusionem,

Authoritas Scripturarum. I. Psal. LXXVI. dicitur: *Numquid in aeternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? Aut obliviscetur misereri Deus? Aut continebit in ira sua misericordias suas?* II. Psal. XV. *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* III. Psal. CXLIV. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* IV. Psal. CII. *Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.* V. Isaiae Cap. XXIV. v. 22. *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere; et post multos dies visitabuntur.* VI. ad Rom. Cap. XI. v. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur.* VII. I. ad Cor. Cap. III. v. 15. *Si cujus opus arseit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* VIII. Apocal. Cap. XX. v. 6. *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem.* IX. Marci Cap. XII. v. 40. dicitur de Pharisaeis: *Hi accipient prolixius judicium.* Ergo poenae damnatorum sunt inaequales in duratione. X. Tobiae Cap. IV. v. 11. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Ergo damnati, qui in vita fuere misericordes, non punientur aeternum. R. ad I. verba illa referri non posse ad damnatos, sed esse agitationem mentis, in qua nocte diuque Propheta regius exercebatur, cernens quod vix tunc inveniretur qui faceret bonum. Itaque interrogationibus hisce vaticinatur S. David, quod Deus tempore suo visitaturus sit populum suum, adventu-

rumque sit aliquando tempus Redemptionis generis humani, in quo per misericordiam Dei et merita Christi plurimi salventur. Ad II. R. verba illa intelligenda esse de Christo, cujus anima non est relicta in inferno, sive in sinu Abrahae, et corpus in sepulcro ab omni corruptione fuit immune. Ita locum illum interpretatus est B. Petrus Act. Cap. II. v. 25. *David enim dicit in eum: Propter hoc laetatum est cor meum etc.* Ad III. Deus misericordiam exercet praecipue in hac vita peccatores excitando ad poenitentiam, petentibus veniam dando, gravesque poenas in hac vita condonando, justos a lapsu praeservando etc. Justitiam vero praecipue in altera vita, electos remunerando, et impios puniendo, quamvis infra condignum. Ad IV. locus hic pertinet ad praesentem vitam, in qua baptizatis remittitur originale, poenitentibus vero personalia peccata. Ad V. R. locum illum favere, non obesse sententiae Catholicae; *Visitare* enim saepius in Scripturis sumitur in malam partem, pro punire et percutere, ut v. g. Isaiae Cap. XXVI. *Visitasti, et contrivisti eos.* Ad VI. R. recitati textus hunc esse sensum: Deus permisit successive tum Judaeos, tum alias nationes in infidelitatem delabi; ut sic omnium totius mundi nationum misereatur, ut misericordiam suam omnibus patefaciat, et hac ratione tam Judaeos quam Gentes humiliet: ut eas inter se concordes faciat, et divina beneficia magis illustret, omnes homines, quamvis indignos tanto favore, verae fidei lumine collustrando. Ad VII. R. Apostolum ibi loqui de iis, qui in statu gratiae ex hac vita decedunt: per ignem intelligi aut tribulationes hujus vitae, aut Purgatorium. Ad VIII. R. uti alias saepe, ita etiam hic per secunda m

mortem intelligi aeterna damnatorum supplicia; minime vero destructionem, seu annihilationem reproborum. Ad IX. Christus ait prolixius fore Pharisaeorum judicium, non quoad durationem, sed quoad intensionem poenarum. Ad X. N. C. Eleemosyna, atque alia misericordiae opera disponunt quidem hominem ad poenitentiam, praeservant a peccatis futuris, Deum movent ad largiendam uberiorem gratiam: At si homo gratiae non cooperetur, atque ex hac vita migret charitate destitutus, frustra sunt omnia. Nam ut ait Apostolus I. ad Cor. Cap. XIII. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

CCXIX. *Objicitur VI.* Authoritas S. Hieronymi, qui in Lib. I. Dialogorum adversus Pelagianos scribit: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos, qui diabolum et satellites ejus, omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas?* Ergo juxta S. Hieronymum, saltem Christiani in peccato mortui liberabuntur a gehenna. II. Idem l. c. ait: *Illud vero, quod in sequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis et peccatoribus non parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest, et interdicere te misericordiam Dei, et ante diem judicii de sententia judicis judicare: ut si voluerit iniquis et peccatoribus parcere, te praescribente non possit?* III. Idem in Cap. ult. Isaiae scribit: *Sicut diaboli et omnium peccatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus aeterna*

tormenta: Sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur, et mixtam clementia sententiam Judicis.

CCXX. Resp. I. S. Hieronymum de aeternitate poenarum Catholice sensisse, ex ipso S. Hieronymo facile ostendi potest. Commentario in Caput III. Jonae scribit S. Doctor: *Sed hoc quia Scriptura sacra non dicit, et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labantur ad vitia; putantes etiam diabolum, qui author malorum est, et omnium peccatorum fons, acta poenitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, et sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem aeternum, qui praeparatus sit diabolo et angelis ejus, et de his dici: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Et paulo inferius: *Si longo post circuitu, atque infinitis saeculis, omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium: quae distantia erit inter Virginem et prostibulum? Quae differentia erit inter Matrem Domini et (quod dictum quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et Diabolus? Iidem Apostoli et Daemones? Iidem Prophetae et Pseudoprophetae? Iidem Martyres et Persecutores? Finge quodlibet: annos et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus: Si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est: quia non quaerimus quid aliquando fuerimus. sed quid semper futuri simus.* Idem in Comment. ad Cap. LXV. Isaiae, v. 20. ait: *In illo igitur tempore, quando aetas fuerit una cunctorum, et Sanctus et peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore; sed alius ad praemia, alius*

ad supplicia pertrahetur; et in eo peccator maledictus erit, quod incorrupto corpore poenas patiatur aeternas.

CCXXI. R. II. ac directe ad I. textum. S. Hieronymus non loquitur ibi de omnibus Christianis promiscue, etiam graviorum criminum reis; sed de illis, qui levibus culpis inquinati ex hac vita decedunt: contradistinguit enim illos a praevaricatoribus, seu graviorum criminum reis, quos perpetuo perituros esse dicit. Ad II. R. S. Doctor verbis illis impugnat Pelagianos, quos toto hoc Opere exagitat. Haereticis illis levia etiam peccata gravissima habebantur; hinc divitem non posse ingredi in regnum Dei, nisi omnia sua vendiderit, contendebant, docebantque, omnia omnino peccata inducere reatum aeternae mortis: et justos, qui in vitam aeternam ituri sunt, eos tantum esse qui expertes essent omnis omnino peccati, etiam levis. Quod si verum foret, nullus omnino salvaretur, cum nullus fuerit aut futurus sit, praeter Deiparam, qui omni peccato personali caruerit aut peccaturus aliquando non sit. In his ergo levioribus culpis deprehensos Christianos salvandos esse post poenas rectissime S. Hieronymus asseruit, post poenas scilicet in Purgatorio subeundas. Ad III. R. S. Hieronymus vel loquitur ibi de Christianis, quos supponit poenitentiam ante mortem egisse, ideoque purgatorio igne detineri, nomine peccatorum et iniquorum etiam illos intelligens, qui alicujus peccati sive levis rei sunt, sive gravioris, sed poenitentia jam expiati, et propterea poena temporali sunt digni: vel solum vult Christianos impios mitius in inferno torquendos, quod in fide Christiana usque ad mortem perseveraverint. Qu ae opinio quamvis probabilius sit falsa, nihil tamen cognationis habet cum errore Origenis. Vi-

de *Natalem Alexandrinum* Dissert. XXVII. in Hist. Eccles. Saeculi III. *Simonnet* Tract. V. de Peccatis, Disput. IV. Artic. III.

CCXXII. *Objicitur VII.* Authoritas aliorum Patrum. *S. Gregorius Nyssenus* Lib. de Anima et resurrectione, atque in Oratione Catechetica, Cap. XXVI. aperte Origenis sententiam propugnat. II. *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXIX. in Sancta Lumina, Novatianis nisi resipiscant, et Christi viam incedant, supplicia post mortem comminatur, sed purgatoria, minimeque perpetua. *In altero aevo* ait, *igne fortasse baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassum materiam instar foeni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit.* Orat. XL. dubium esse significat, an poenae inferni aeternae sint, et liberum cuique esse ea de re quod voluerit opinari. *Est alter ignis*, inquit, *non purgans, sed scelerum vindex. -- Nisi hoc quoque loco quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet.* III. S. Ambrosius in Psalm. CXVIII. scribit: *Differtur diaboli judicium, ut sit semper in poenis reus; semper improbitatis suae innexus catenae, conscientiae suae, ut in perpetuum subeat ipse judicium. Ideo Dives ille in Evangelio, licet peccator, poenalibus urgetur aerumnis, ut citius possit evadere.* Ergo censuit daemonum quidem, at non hominum aeterna fore supplicia. R. ad I. Nysseni Opera probabilius ab Origenistis fuisse corrupta, ut contendit jam Saeculo VIII. *S. Germanus CPolitanus* Patriarcha in libro, qui inscribitur, *Retribuens et legitimus*, id est, de vera et legitima retributione, quae rependitur hominibus prout vixerint. Quem librum laudat *Photius* in Bibliotheca, Codice

C CXXXIII. Stylus quidem et dicendi character idem videtur esse, qui S. Gregorii Nysseni; sed norunt etiam haeretici alterius stilum imitari, ne fraus deprehendatur tam facile. Ad II. R. S. Gregorium Nazianzenum in priori loco im proprie et obscure locutum esse, et per baptismum ignis postremum et diuturniorem, intellexisse ignis sempiterni supplicia, qui terrenam et crassam materiam tamquam foenum comedit, hoc est, crassis et obscoenis corporis voluptatibus servientes exurit, atque homines peccato leves et aridos ita excruciat, ut tamen non absumat. In Oratione autem XL. poenarum tartarearum aeternitatem diserte adstruit his verbis : *Omnibus his formidabilior ignis, cum insomni illo verme conjunctus est, nec umquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum poenam perennis est, et sempiternus.* Quod autem addit, *Nisi quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet*, non refertur ad aeternitatem supplicii, quasi arbitrarium sit asserere, poenas damnatorum finiendas esse, nec adeo acerbas esse, ut in perpetuum durent; sed ad poenae magnitudinem et intensionem referendum est, quam si quis nostrorum atrocitati scelerum non adaequari contendat, sed mitiorem intelligi velit, quam criminum immanis magnitudo mereatur; quia Deus vindex justam poenam misericordia et lenitate temperare solet, S. Gregorium Nazianzenum repugnantem non habebit. Ad III. R. S. Ambrosius ibi non opponit poenas, quas homines impii patiuntur in inferno, daemonum suppliciis quoad durationem; quasi daemonum quidem poenas aeternas fore existimet, hominum vero impiorum aliquando finiendos cruciatus: sed opponit poenas daemonum, et hominum peccatorum in genere spectatas, in

eo quod homines peccatores quandoque in hac mortali vita, vel etiam in futura temporaliter a Deo puniantur, poenis nimirum purgatoriis, idque consequantur temporariis hujusmodi suppliciis, ut aeterna effugiant. Unde nomine Divitis Evangelici, quem poenalibus aerumnis ait urgeri, ut citius possit evadere, non intelligit Divitem illum epulonem, qui sepultus est in inferno, sed Divitem avarum, de quo Lucae Cap. XII. dicitur, a Deo ultore de morte sibi imminente commonitum fuisse verbis illis, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quae autem parasti, cujus erunt?* Quem proinde sic a Deo increpitum S. Ambrosius existimavit ex eorum esse numero, qui temporariis poenis plectuntur, ut aeternas evadant. Quam ob rem in eo S. Ambrosii loco XII. Lucae Caput ad marginem adnotatur.

CCXXIII. *Objicitur VII.* Liberatio *Trajani* ab inferno. *S. Gregorius Magnus* Trajanum Imperatorem precibus suis ab inferorum poenis liberavit, CD. facile annis post illius mortem. Ergo poenae damnatorum non sunt aeternae. P. A. I. *S. Joannes Damascenus*, qui CXXX. annis post tempora B. Gregorii floruit, hujus rei mentionem facit in Oratione de iis, qui in fide dormierunt, additque : quod hoc verum sit, atque ab omni criminatione alienum, totus Oriens Occidensque testatur. II. Idem referunt *Paulus Diaconus* Monachus Casinensis, et *Joannes Diaconus* in vita S. Gregorii, qui citat etiam Anglicanas Ecclesias, in quibus haec historia legebatur. III. Ecclesia Graeca in Euchologio, Cap. XCVI. sic orat : *Quemadmodum Trajanum per intensam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagro solvisti, exaudi etiam nos te orantes*,

non pro idolorum cultore, sed pro fideli servo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit. IV. In Revelationibus S. Birgittae Lib. IV. Cap. XIII. dicitur, quod Gregorius oratione sua infidelem Caesarem elevarit ad altiorem gradum. V. Narrationem hanc ut certam tenent Hugo Etherianus, Vincentius Bellovacensis, S. Thomas, S. Antoninus, S. Vincentius Ferrerius, Gersonius, Salmeron, Benzonius, et Alphonsus Ciacconius in Vindiciis hujus historiae, pluresque alii viri docti et pii.

CCXXIV. R. I. N. C. Si vera forent, quae de Trajano dicta modo fuerunt, inferri legitime non posset, poenas damnatorum non esse aeternas; sed dicendum foret, Trajanum nondum fuisse damnatum: suspensam a Deo fuisse sententiam, dilatamque causae cognitionem; interim vero secundum praesentem suam injustitiam punitum fuisse apud inferos. R. II. N. A. Praeter argumentum negativum, plures assignari possunt rationes positivae, ob quas narratiuncula haec ut inane commentum merito ab Eruditis exsufflatur. I. Trajanus, quamvis magna laude Imperio Romano praefuerit, immanissimus fuit Christianae Religionis hostis, superstitione, ebrietate, ac nefando sodomiae scelere infamis, Dionis Cassii, Xiphilini, aliorumque Scriptorum tam Graecorum quam Latinorum confessione. Ergo omnino incredibile est, Trajanum gravissimorum criminum reum ab inferis liberatum fuisse. II. Incredibile est S. Gregorium pro anima Trajani liberenda orasse, cum ipse *S. Gregorius* Lib. VII. Epist. XV. ad Gregorium Presbyterum, et Theodorum Diaconum CPolitanum scripserit: *Haec itaque pertractantes nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet:*

quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide et bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit, Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum, omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit qui se a Deo male vivendo separavit. Et Lib. XXXIV. Moralium, Cap. XVI. *Ad districti judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato: et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.* Haec Gregorius cum scripserit, quis adeo imprudens affirmaverit, tentasse ipsum precibus obtinere, quod nec a Christo ipso ad inferos discendente factum fuisse asseruit, et secus sentire haereticum esse praedicavit? III. Multa alia incredibilia et falsa in narratiuncula illa apud Damascenum, Paulum et Joannem Diaconos, ac Pseudo-Petrum continentur, v. g. quod S. Gregorius pro Trajano orans hanc vocem coelitus emissam audiverit: *Preces tuas exaudivi: Tu vero posthac cave, ne preces mihi pro impiis offeras*: quod Gregorio immissa fuerit aegritudo, quia pro anima damnati orare praesumpsit: quod Gregorius praeterea a Deo petierit, ut nullus Christianus sepeliendus ad S. Andreae in clivo Scauri, damnetur. Plures, easque operosiores nugas de Baptismo Trajani invexere sequiorum temporum Scriptores. IV. Nulla datur ratio abstruendi exceptionem a lege generali, per verbum Dei scriptum et traditum sufficienter promulgata; secus quilibet damnatus salutem sperare, aliique pro ipso orare possent.

CCXXV. Ad I. rationem dubitandi R. Orationem illam longe probabilius non esse legitimum S. Damasceni foetum, ut *Michael Le Quien* Dissert. V. ex Damascenicis, *Leo Allatius* in Diatriba de Scriptis S. Joannis Damasceni, aliique viri doctissimi contendunt; tum quia Oratio illa stylo, dictione, methodo atque ingenio discrepat ab aliis Damasceni lucubrationibus: tum quia manifestos contra fidem errores continet, et doctrinae S. Damasceni alibi traditae repugnat. Etenim Lib. II. de Fide Orthodoxa, Cap. IV. *Sciendum*, inquit, *illud hominibus mortem praestare, quod lapsus Angelis. Post lapsum enim nulla ipsis poenitentia est, uti nec hominibus post mortem.* Et in Dialogo contra Manichaeos; Paragr. LXV. *Sicut Daemones post lapsum non resipiscunt, neque etiam Angeli nunc peccant, sed utrique hoc habent, ut nulla in ipsos mutatio cadat; sic homines post obitum conversionem nullam admittunt.* Quod si etiam Oratio illa Damasceni esse probaretur, dicendum foret, Damascenum, quamvis alioquin vir Sanctus, doctus ac prudens fuerit, narrationi tamen huic facile nimis fidem habuisse, neque de veritate illius investiganda sollicitum fuisse. Ad II. R. Paulum et Joannem Diaconos, tribus ferme saeculis S. Gregorio posteriores, nullam hac in re fidem mereri. Paulus enim in Vita S. Gregorii, Cap. XXVII. neminem compellat, a quo narrationem hanc acceperit; Joannes vero Lib. II. Cap. XLIV. haec narrans haerere planè visus est in salebris, dum nihil habuit, quod ad rem testandam ex Archivo Romano, aut vicinarum Ecclesiarum scriniis adducere posset; sed migrandum ipsi fuit ad Britannos, seu Anglo-Saxones. Immo ipse Joannes Diaconus fatetur, Romae suo tempore, id est, Saeculo IX. de ea li-

beratione vehementer dubitari, eoquod S. Gregorius Lib. IV. Dialog. Cap. XLIV. doceat, damnatos ab aeternis poenis liberari amplius non posse. Accedit quod Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado Viennensis, ac praecipue Ven. Beda, S. Gregorii M. alias studiosissimus, nullam prorsus hujus rei mentionem faciant. Ad III. R. Graeci ex Pseudo - Damasceni Oratione acceptam fabulam in suum Euchologium transtulerunt: cui proinde non major adhibenda est fides, praesertim cum Graeca Ecclesia, ex quo a Latina se separavit, in alios errores momenti longe majoris impegerit. Ad IV. R. Revelationem illam S. Birgittae factam, valde obscuram esse, utpote in qua id unum asseritur, Trajanum elevatum esse ad altiorem gradum. Immo contraria est revelationi S. Mathildi factae, in qua dicitur, *nolle Deum, ut sciant homines, quid ipse statuerit de anima Trajani.* Caeterum liceat mihi cum Baronio sentire in Annalibus Eccles. ad Annum Christi DCIV. Num. XLVII. *Veneror quidem, ut par est, Sanctas ipsas, et colo: Sed de revelationibus ipsis factis, vel potius ipsis adscriptis, ea dumtaxat recipio, quae Ecclesia recipit: quam scimus non potuisse ista probare, quae sunt inter se pugnantia.* Ad V. R. Doctos illos viros, quamvis eorum aliqui fuerint sanctitate conspicui, rem hanc plerumque non examinasse, easque ab illis quandoque narratas esse historias, quae vulgo ferebantur, quaeque ad timorem Dei, spem, Religionem, vel pietatem conducere poterant, absque molesto et scrupuloso illarum examine. Caeterum discussa nostris temporibus caligine, qua historia prioribus saeculis premebatur, authores numero fere infiniti, doctrina et pietate illustrissimi, fabulam hanc communi consensu re-

jiciunt. Vide *Natalem Alexandrum* Dissertat. I. in Hist. Eccles. Saeculi II. *Antonium Sandini* Disputat. Hist. XVI. *Ignatium Schwarz* in Colleg. Hist. Parte V. Quaest. VII. Sect. II. *Gerardum Casteel* Controversia XXXIII.

CCXXVI. *Objicitur IX.* Ratio. Poena, quae peccatoribus post mortem infligitur, debet esse delicto proportionata. Atqui poena aeterna non est peccato gravi proportionata. Ergo non infligitur poena aeterna. P. m. Peccatum est temporaneum, immo saepe momentaneum. Ergo poena aeterna non est illi proportionata. *Confir.* Ex aeterna poena damnatorum Deus nullam utilitatem potest intendere. Ergo non infligit poenam aeternam. R. D. M. Debet esse delicto proportionata quoad durationem, id est, diuturnitas poenae non debet excedere diuturnitatem peccati, N. M. Debet esse proportionata quoad acerbitatem et gravitatem, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad *probat.* C. A. N. Conseq. quam manifestae falsitatis arguunt Sancti Patres. S. Augustinus Lib. XXI. de Civit. Dei, Cap. XI. scribit: *Sic autem quidam eorum, contra quos defendimus Civitatem Dei, injustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, poena quisque damnetur aeterna; quasi illius id umquam justitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Octo genera poenarum in legibus scribit esse Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus pro cujusque peccati celeritate coartetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum?* S. Gregorius M. Lib. XXXIV. Moralium, Cap. XVI. *At, inquiunt, sine fine non de-*

bet puniri culpa cum fine: justus nimirum est omnipotens Deus: et quod non aeterno peccato commissum est, aeterno non debet puniri tormento. Quibus respondemus, quod recte dicerent, si Judex justus veniens non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tum cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. — — Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato; et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Ad *confir.* N. A. Quamvis damnati aeternis poenis non corrigantur, ut pote a fine ultimo, atque amicitia divina aeternum rejecti; absterrentur tamen a sceleribus viventes, exerceturque justitia Dei vindicativa, ac Beati in coelo continuo urgentur ad extollendam divinam misericordiam, gratiasque Deo agendas, cujus ope aeterna evaserunt incendia.

ARTICULUS III.

DE MERITO, ET BONIS OPERIBUS.

CONTROVERSIA I.

AN HOMO JUSTUS DIVINA GRATIA ADJUTUS, EFFICERE POSSIT OPERA VERE BONA?

Contra Lutherum, Calvinum, Aliosque Protestantes.

CCXXVII.

Nulla dari opera bona, sed omnia etiam justorum opera peccatis ex natura sua mortalibus esse inquinata asserunt novi Evangelii buccinatores, ut patet ex Luthero in Assertione Articuli XXXI. XXXII. et XXXVI. Immo in Sermone de novo Testamento ausus est scribere: *Caveamus a peccatis, sed multo magis a legibus et operibus bonis: tantum attendamus Dei promissionem et fidem.* Et in Sermone, Sic Deus dilexit mundum etc. *Ego dico tibi, quia angusta est via; oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caeterum qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.--- Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare.* Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XII. Paragr. IV. *Qui serio tamquam*

sub Dei conspectu de vera justitiae regula quaerent, illi certa comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse et sordes: et quae justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem; quae integritas censetur, pollutionem: quae gloria dicitur, ignominiam. Et in Antidoto Concilii Tridentini Sess. VI. *Non sunt tantopere exagitandi, qui dixerunt, bona opera, si exacto rigore censeantur, aeterna potius damnatione, quam vitae praemio digna esse.* Philippus Melanchton in locis Theol. Tit. de Peccato, ait: *Consequitur itaque omnia hominum quantumvis laudabilia opera, plane vitiosa esse, et morte digna peccata.* Nicolaus Amsdorffius Lutheri discipulus contra Georgium Majorem Theologum Saxonicum librum conscripsit cum hac epigraphe: *Opera bona sunt perniciosa ad salutem.* Caeterum non desunt hodiedum Protestantes paulo honestiores, quos Majorum suorum impudentissimae insaniae merito pudet, humaniusque de Bonis Operibus sentiunt.

CCXXVIII. *Conclusio.* Homo justus gratia Dei adjutus, potest efficere opera vere ac perfecte bona. Dixi, *homo justus*; injusti enim, quod charitate destituti sint, possunt quidem cum gratia Dei elicere opera vere bona, non tamen perfecte bona. Prob. Conclusio I. Authoritate Scripturarum. Job. Cap. I. v. 22. dicitur: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Quin ipse Deus Cap. II. v. 3. Jobi innocentiam in tantis calamitatibus conservatam dilaudavit: *Vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam.* Psal. XVI. *Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est in-*

venta in me iniquitas. Psal. VII. *Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.* Ergo David credebat, hominem divina gratia adjutum facere posse opera vere ac perfecte bona, secundum quae petit judicari. Matth. Cap. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Ad Ephes. Cap. II. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ergo non omnia opera sunt secundum se peccata. Praeterea Scriptura ait opera bona Deo placere. Act. Cap. X. *Qui timet eum* (Deum nempe) *et operatur justitiam, acceptus est illi.* Hortatur homines ad non peccandum. Isaiae Cap. I. *Quiescite agere perverse: discite benefacere.* I. ad Cor. Cap. XV. *Evigilate justi, et nolite peccare.* I. Joan. Cap. II. *Haec scribo vobis ut non peccetis.* Atqui nihil Deo placere potest peccato infectum: neque peccata vitari possent, siquidem omnia opera essent peccatis inquinata, et mala. Ergo aliqua opera, viribus gratiae nimirum elicita, sunt vere ac perfecte bona.

CCXXIX. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ambrosius Lib. de Apologia David, Cap. VI. *Etenim* ait, *quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum.* Frustra vero S. Doctor distingueret opera virtutum a peccatis, si omnia opera, quamtumvis bona, essent vera peccata. S. Hieronymus Lib. III. adversus Pelagianos: *Qui cautus est et timidus, potest vitare peccata.* Et Comment in Matth. Cap. XXII. *Vestis nuptialis praecepta sunt Domini, et opera quae complentur ex lege et Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum.* At

vero quis dicet vestem nuptialem obtineri peccatis? S. Chrysostomus Serm. in B. Job et Abraham: *Dives erat Job ex benedictionibus, utebaturque pro necessitate divitiis, ita ut satiando pauperes, daemonem mirum in modum constritaret; bona enim opera humana plagae et vulnera sunt daemonibus.* Atqui si bona opera sunt peccata, certe non essent plagae et vulnera daemonum. Plures textus Patrum exhibebimus Controversia sequente, ubi ostendemus bona opera esse meritoria aeternae beatitudinis.

CCXXX. Prob. III. Authoritate Tridentini Sess. VI. Can. XXV. de Justificatione, definientis. *Siquis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.*

CCXXXI. Prob. IV. Ratione. Si omnia opera justorum essent peccato vitiata, id oriretur vel ex concupiscentia, vel ex defectu charitatis, vel ob admixtionem peccatorum. Atqui ex nullo capite oritur. Ergo. P. m. Concupiscentia, nisi ei consentiatur, non est peccatum, sed infirmitas, ut diximus Num. XLI. et seq. Charitas justorum, quamvis comparata ad charitatem Beatorum sit imperfecta, tamen in se absolute perfecta dici potest: peccata vero venialia neque impediunt veram justitiam, ut ostendimus Num. CLXX. neque semper operibus nostris immiscentur; cum non in omnibus, sed in multis, teste B. Jacobo, offendamus.

CCXXXII. Prob. V. Ex sequelis sane absurdissimis. Si enim omnia opera ex natura sua sunt pecca-

ta, sequeretur I. hominem, quando justificatur per fidem, hoc ipso justificari per peccatum, quia fides est opus justorum. II. Justos non debere credere quae a Deo sunt revelata; nam omnia opera peccaminosa lege aeterna Dei prohibentur. III. Homines tunc etiam peccare, quando Deum rogant dimitti sibi sua debita, sive peccata. IV. Deum intendere, praecipere et mandare ut fiant peccata: intendit enim, praecipit, et mandat, ut fiant opera quaedam bona. V. Opera bona fugienda esse, quia fugienda sunt peccata: ac viceversa aliqua peccata mortalia facienda esse, quia facienda sunt quaedam opera bona. VI. Sanctos omnes per sua bona opera, ac Martyres acerbissima quaeque pro Christo tolerando, de se aeterna inferorum supplicia promeritos fuisse; solique clementiae divinae imputandum esse, quod inferni poenae illis non fuerint irrogatae. At quaeso, quid hac doctrina amentius, quid impudentius excogitari potest?

OBJECTIONES.

CCXXVIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Psal. CXLII. dicitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* II. Ecclesiastis Cap. VII. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* III. Isaiae Cap. LXIV. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.* Ergo omnia opera nostra sunt peccata. R. ad I. triplicem hujus loci expositionem apud Patres inveniri, Protestantium doctrinae minime faventem. Prima est *S. Augustini* Enarratione in Psal. CXLII.

dicentis, hominem ex se vere nihil habere, quo justificetur; sed solum ex gratia Dei, ex qua etiam habet, quod bene possit operari. Secunda est *S. Hieronymi* in Epist. ad Ctesiphontem. *S. Augustini* Lib. de Perfectione justitiae, et *S. Gregorii M.* in Psalm. cit. qui putant Davidem loqui de venialibus, sine quibus in hac vita esse non possumus. Non autem sequitur, omnia nostra opera peccatis inquinari, etiamsi longiori tempore absque omni peccato vivere nequeamus. Miscentur enim aliquando operibus bonis opera quaedam mala, quae tametsi levia et quotidiana sint, tamen in judicio Dei non injuste puniuntur. Tertia est *S. Hilarii*, *S. Hieronymi*, *Arnobii*, *Euthymii* in Psal. cit., qui dicunt non posse hominem justificari, si justitia illius conferatur cum justitia Dei; cujus tanta est sublimitas ac perfectio, ut omnis hominum et Angelorum justitia cum ea comparata, injustitia esse videatur. Ad II. R. sensum esse, quod nullus tam constanter bene operetur, quin subinde veniale committat peccatum. Ad III. R. Isaiam non loqui de bonis operibus justorum, sed de fictis justitiis Judaeorum, de eorum sacrificiis et neomeniis, aliisque operibus ad cultum divinum institutis, in quibus illi praecipue justitiam constituebant, de agenda poenitentia nihil solliciti, sed scelera sceleribus cumulantes. Hinc eorum opera panno menstruatae a Propheta merito comparantur: atque idcirco Civitas Jerosolymitana eversa est a Nabuchodonosore Chaldaeorum Rege, et populus Judaicus Babylonem in captivitatem abstractus fuit. Vide *Bellarminum* Lib. IV. de justificatione, Cap. XX.

CCXXXIV. *Dices* cum Luthero. *Matth.* Cap. VI. omnibus praescribitur orandi forma, quam quotidie usurpamus: *Sanctificetur nomen tuum – fiat voluntas tua. – – Et dimitte nobis debita nostra.* Ergo in omni opere nostro peccamus. P. C. Petimus quod non habemus. Ergo si petimus sanctificari nomen Dei, et dimitti nobis peccata, semper inhonoramus nomen Dei, repugnamus in omni opere voluntati Dei, et peccamus. R. I. Christus non jubet nos in oratione petere quae numquam sumus impetraturi. Ergo per orationem possumus a Deo obtinere, ut sanctificemus nomen ejus, divinamque ipsius voluntatem impleamus. R. II. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Peccatores petunt quod non habent, justi vero petunt conservationem et incrementum ejus, quod habent.

CCXXXV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. S. Hieronymus Dial. I. adversus Pelagianos, scribit: *Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.* S. Augustinus Lib. de perfectione justitiae, Cap. VI. in Responsione XV. ait: *Peccatum est, cum vel non est charitas quae esse debet, vel minor est quam debet.* Atqui in nobis semper minor est charitas quam debet. Ergo in nobis semper est peccatum. Et Lib. III. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. VII. *Ex hoc factum est, virtutem, quae nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis et in veritate cognitio, et in humilitate confessio.* III. S. Gregorius M. Lib. IX. Moralium, Cap. XIV. *Omnis humana justitia, injustitia esse convincitur, districte judicetur. Prece ergo post justitiam indiget, si ut*

quae succumbere discussa poterat, ex sola Judicis pietate convalescat. Et Lib. XXXV. Moralium, Cap. ult. *Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra pura mala sunt, et bona quae nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.* IV. S. Bernardus Serm. V. de verbis Isaiae: *Nostra, si qua est, humilis justitia, recta forsan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter dicebant: Omnes justitiae nostrae tamquam pannus menstruatae mulieris. Quomodo enim pura justitia, ubi non potest adhuc culpa deesse?* R. ad I. Haec jure a S. Hieronymo dici. Cum enim tota vivendi ratio, qua homo denominatur justus, admixta habeat multa peccata venialia, justi indigent Dei misericordia, et ad poenitentiae remedia semper confugere debent: et quidquid boni faciunt, non sine gratia et auxilio Dei faciunt. Ad II. R. Imperfectionem charitatis Augustinus vocat peccatum, non stricte, sed largo modo. Libro enim de Spiritu et littera, Cap. XXXVI. scribit: *Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem.* Altero vero loco ex Lib. III. contra duas Epistolas Pelagianorum, vult S. Doctor, justitiam in hac vita imperfectam esse, si comparetur cum justitia vitae beatae: et hujus imperfectionis cognitionem et confessionem hoc tempore non parum esse necessariam, ne quis existimet se esse, quod vere non est, atque ita seipsum seducat. Ad III. R. Sensum prioris loci esse hunc: Omnis humana justitia est injustitia, si judicetur re-

motis beneficiis Dei, secundum ea quae homo habet ex se. Posteriori loco S. Gregorius non dicit, omnia bona opera nostra esse impura, sed non omnia posse esse pura; quia fieri non potest, ut non aliquando subrepat aliquid, quo bona aliqua opera vitientur. Ad IV. R. Quamvis S. Bernardus paulo aliter locum illum Isaiae de panno menstruatae explicet, ac alii Patres, in re tamen non dissentit a caeteris. Triplicem itaque l. c. justitiam distinguit. In Angelis beatis ponit justitiam rectam, puram et firmam: in primis nostris parentibus, antequam peccarent, dicit fuisse justitiam rectam et puram, sed non firmam: Denique in nobis dicit esse posse justitiam rectam, quia possumus peccato non consentire; sed neque puram, neque firmam. Non puram; quia nemo nostrum est, qui non peccaverit in Adamo, et qui non aliquando saltem venialiter peccet: non firmam; quoniam nemo est, qui eam non possit amittere. Adde, quod Sermones illi in Isaiam non sint genuinum S. Bernardi opus, sed B. Aelredi Angli, Ord. Cisterc. Abbatis Rievallensis.

CCXXXVI. *Objicitur III.* Ratio. Omnia opera nostra sunt imperfecta, vanitate, prava intentione, mentis evagatione, ac negligentia inquinata. Ergo placere Deo nequaquam possunt. Ergo quando in Scripturis dicitur opera nostra Deo placere, id non intelligendum est de operibus nostris secundum se, sed propter dignitatem Christi, qui has imperfectiones fidelium merito suo tegit. R. D. A. Omnia opera nostra sunt imperfecta negative, id est, possent absolute esse perfectiora, C. A. Sunt imperfecta positive, id est, sunt semper peccato vitiata, et contra legem Dei prohibentem, N. A. Saepe eliciuntur ab homine opera ab omni

peccato depurata, ut in Conclusione ostendimus authoritate Scripturarum et Patrum. Profecto fieri nequit, ut vel ratione sui, vel ratione Christi ea tegentis, peccata Deo placeant, quemadmodum opera bona Deo placere asserunt scripturae et Patres.

CONTROVERSIA I.

AN BONA OPERA JUSTORUM, VIRIBUS GRATIAE ELICITA, MEREANTUR BEATITUDINEM AETERNAM?

Contra Protestantes, et Quesnellum.

CCXXXVII.

Meritum supernaturale definitur esse obsequium Deo libere exhibitum, ex se potens movere ad retributionem praemii supernaturalis. Dividitur in meritum de condigno, et de congruo. Meritum de *condigno* est illud, quod spectatis omnibus, nempe praestantia operis, dignitate operantis, et munificentia praemiantis, habet cum praemio aequalitatem moralem, sive secundum rectam aestimationem, ita ut praemium ei debeatur, si non ex rigorosa justitia, saltem ex fidelitate in servandis promissis, ideoque ex justitia late dicta. Tale juxta communissimam ac veram Catholicorum sententiam est opus bonum hominis justi, quod propter praestantiam suam, quam trahit ex dignitate filii adoptivi Dei, a liberalissimo Domino meretur de condigno gratiae et gloriae augmentum. Meritum *de congruo* est opus, quod suo valore non adaequat quidem aestimationem

praemii, habet tamen congruentiam ad illud, ita nempe ut licet ob hujus meriti dignitatem et aestimabilitatem praemians possit moveri ad dandum praemium, hoc tamen potius detur ex liberalitate praemiantis, quam ex valore et dignitate operis. Tale censetur esse contritio perfecta in peccatore, respectu justificationis.

CCXXXVIII. Ad meritum de condigno vitae aeternae necessario requiruntur quaedam ex parte Dei praemiantis, quaedam ex parte hominis operantis, atque ex parte operis. Ex parte Dei praemiantis ad meritum de condigno requiritur promissio mercedis. Ratio est, quia actus meritorius de se non obligat Deum ad conferendum praemium; cum Deus omnia creaturarum obsequia titulo supremi dominii potiori jure possit exigere, quam Domini a suis mancipiis. Ergo nulli creaturae debitor fieri potest, nisi ipse voluerit, promittendo mercedem sub conditione talium operum mercedi aliquo modo aequalium. Hinc S. Augustinus Serm. CLVIII, alias XVI. de verbis Apostoli, ait: *Debitor factus est*, (nobis Deus) *non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Ex parte hominis, seu operantis requiritur I. status viatoris; Deus enim hujus mortalis vitae spatium nobis constituit ad operandam salutem nostram, illam bonis operibus promerendo, juxta illud Apostoli ad Galatas Cap. VI. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* II. requiritur status gratiae. Constitutus enim in peccato mortali, est palmes a vite succisus, reus aeternae mortis, filius diaboli. Ergo nequit ferre fructus justitiae, hoc est, opera vitae aeternae exercere. Ex parte operis requiritur I. ut sit supernaturale; *Cum ille ipse Christus Jesus*, ut ajunt Tridentini Patres Sess. VI. Cap. XVI. *tamquam*

caput in membra, et vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. Ratio est, quia debet dari proportio aliqua et aequalitas inter opus et mercedem, inter meritum et praemium. Atqui nulla est proportio inter opus naturale, moraliter solummodo bonum, et beatitudinem aeternam, quae omnem ordinem creatum excedit. Ut vero actus sit supernaturalis, duo requiruntur, objectum nimirum, seu finis supernaturaliter movens, quia omnis actus speciem et essentiam desumit ab objecto movente: et principium supernaturale, seu gratia, non habitualis modo et sanctificans, verum etiam actualis. II. Ut opus sit liberum libertate indifferentiae; quia ut S. Hieronymus ait Lib. II. contra Jovinianum, *Nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* III. Opus debet esse moraliter bonum, et honestum positive; quia ut opus aliquod sit apud Deum meritorium, debet habere erga illum rationem obsequii. Atqui hanc rationem erga Deum habere nequit, nisi ei gratum sit et acceptum: quale profecto esse non potest, nisi sit positive honestum.

CCXXXIX. Ad meritum *de congruo* quatuor requiruntur conditiones. I. est, ut opus sit supernaturale, ac viribus gratiae actualis elicitum. Si enim ex solis naturae viribus sit factum, nec est, nec esse potest de congruo meritorium praemii supernaturalis. II. Ut opus sit bonum, et positive honestum. III. Ut opus illud libere eliciatur. IV. et quidem ab homine viatore. Quod vero spectat reliquas duas conditiones ad meritum de con-

digno necessarias, nempe statum gratiae sanctificantis in operante, et promissionem in praemiante, absolute non requiruntur ad quodlibet meritum de congruo; quia illud fundatur praecise in motione Spiritus Sancti, et in bonitate operis proportionata beneficio accipiendo. Quamvis autem non requirantur, aliquando tamen alterutra illarum intervenit. Sic in homine justo bona opera per gratiam facta, sunt tantum meritoria de congruo perseverantiae finalis in gratia; licet enim cum illa moralem habeant aequalitatem, nulla tamen datur ex parte Dei finalis perseverantiae promissio. Et in homine peccatore contritio charitate perfecta, est tantum de congruo meritoria primae gratiae sanctificantis; quia quamvis ex parte Dei promissionem illius habeat, propter defectum tamen dignitatis in persona operante non habet moralem aequalitatem cum prima gratia sanctificante sed solum proportionem quamdam et congruitatem, vi cujus Deum decet hominem perfecte contritum justificare.

CCXL. Juxta communissimam ac veram Catholicorum Theologorum doctrinam, sub meritum *de condigno* cadunt I. aeterna beatitudo. II. Augmentum gratiae sanctificantis. III. Juxta plurimos, etiam primus gradus gloriae, qui obtineri potest duplici titulo, nempe haereditatis debitae filiis adoptionis, et mercedis propter bona opera. Sub meritum *de congruo* cadit prima gratia sanctificans, et quidem infallibiliter, respectu adultorum qui perfecte conteruntur; quia attenta misericordia et promissione Dei, perfecta contritio habet congruitatem quamdam cum gratia sanctificante, ut Deus peccata illi remittat, qui peccata summe detestatur propter Deum super omnia propter se amatum: et

contritioni perfectae a Deo promissa est gratia sanctificans.

CCXLI. Contra sub meritum *de condigno* cadere non potest prima gratia sanctificans. Ad *Rom.* enim Cap. III. dicitur: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Si gratis autem justificamur, quomodo de condigno mereri possumus causam formalem nostrae justificationis? Et S. Augustinus Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum ait: *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cum justificati sunt: sed sicut dicit Apostolus, Justificati gratis per gratiam ipsius.* Accedit authoritas Tridentini Sess. VI. Cap. VIII. *Gratis autem justificati ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Et manifesta ratio suffragatur. Moralis enim illa aequalitas operum supernaturalium cum prima gratia sanctificante petitur maxime ex eo, quod fiant ab homine Dei amico, et filio adoptivo: amicus autem et filius adoptivus Dei constituitur homo consequenter ad infusionem primae gratiae sanctificantis.

CCXLII. II. Homo, etsi justus, nec sibi nec alteri de condigno mereri potest donum finalis perseverantiae, aut ullam gratiam efficacem actualem. Deus enim noluit finalem perseverantiam, aut efficacem gratiam actualem supponere meritis, proponendo illas ut mercedem retribuendam bonis operibus, etiam in statu justitiae factis ex auxilio gratiae supernaturalis; sed voluit eas a pura sua liberalitate ac misericordia dependere, ita ut quibus conceduntur, ex pura liberalitate ac misericordia concedantur, etiam justis et Sanctis. Assertio

haec fundatur in ipsis Scripturis. I. ad Cor. Cap. X. dicitur: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ad Philippenses Cap. II. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Quae verba significant, et finalem perseverantiam, et gratias efficaces a solo Dei beneplacito pendere. S. Augustinus Lib. de Dono perseverantiae, Cap. IX. ait: *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non autem donetur; inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Et Cap. XIII. *Unde satis dilucide ostenditur, et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem.* Dixi, neminem promereri posse finalem perseverantiam, ac gratiam actualem efficacem *de condigno*: non enim negamus, quod justus possit illa promereri *de congruo* non habente infallibiliter effectum, juxta illud S. Augustini lib. De Dono Persev. Cap. VI. *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest.* Porro meritum de congruo non habens infallibiliter effectum dicitur illud, cui retributio a Deo non est promissa, ita ut Deus neque titulo justitiae, neque titulo fidelitatis teneatur mercedem illam retribuere.

CCXLIII. III. Justus reparationem post lapsum neque de condigno, neque de congruo infallibiliter meretur per bona opera supernaturalia, facta in statu justitiae. Ratio est, quia justus neque de condigno, neque de congruo infallibiliter meretur auxilia gratiae efficacia ad non peccandum. Ergo multo minus mere-

ri potest reparationem gratiae sanctificantis post lapsum; plus enim est illam restitui, quam conservari.

CCXLIV. IV. Adulti, qui justificantur, non merentur de condigno primam gratiam actualem; immo nequidem merentur eam de congruo. Prob. assertio I. Authoritate Scripturae Ad Rom. Cap. III. ait Apostolus: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et Cap. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* II. Authoritate *S. Augustini*, aliorumque Patrum adversus Pelagianos et Semipelagianos. III. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Cap. XVIII. ait: *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.* Similia habet *Tridentinum* Sess. VI. Cap. V. IV. Ratione Theologica. Principium meriti non cadit sub meritum. Sed prima gratia actualis est principium meriti. Ergo. Praeterea homo solis naturae viribus nihil potest, quod conducat ad aeternam salutem. Ergo nullo actu naturali mereri potest sive de condigno sive de congruo primam gratiam actualem.

CCXLV. Ut ad quaestionem hac Controversia propositam propius accedamus, Lutherus negavit dari opera vere bona, ac meritoria aeternae beatitudinis, eoquod illa mera sint peccata, apta potius de se ad provocandam Dei iracundiam. Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XV. veteres Patres pessime ait consuluisse fidei sinceritati, dum usi sunt vocabulis meriti et mercedis: sicque haud tacite fatetur, doctrinam suam Patrum traditioni esse contrariam. Sectatores Lutheri Philippus Melanchton in Confessione Augustana, et in Apologia Art. XX. Brentius in Confess. Würtembergensi, Cap. de Bonis operibus, Kemnitius in Exam. Conc. Tridentini ad

finem Sess. VI. aliique passim admittunt, opera bona justorum mer itoria esse, non quidem ipsius vitae ac salutis aeternae, ad quam juxta ipsos per solam fidem perveniri potest; sed alicujus praemii temporalis, aut et iam spiritualis: idque non ex dignitate operum, quae secundum ipsos sunt vera peccata; sed ex indulgentia Dei, tegentis eorum foeditatem. Protestantium errorem renovavit Paschasius Quesnellus propositione LXIX. inter damnatas a Clemente XI. in Bulla Unigenitus. *Fides, usus, augmentum, et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.*

CCXLVI. *Conclusio.* Opera bona Justorum, viribus gratiae supernaturalis elicita, merentur beatitudinem aeternam. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Gen. Cap. XV. ait Deus ad Abraham: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Proverb. Cap. XI. dicitur: *Seminanti justitiam merces fidelis.* Sap. Cap. V. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Matth. Cap. V. *Merces vestra copiosa est in coelis.* I. ad Cor. Cap. III. *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* II. ad Cor. Cap. IV. *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Ad Rom. Cap. II. *Qui* (Deus) *reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.* II. ad Timoth. Cap. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.*

CCXLVII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ignatius Martyr in Epist. ad Rom. scribit: *Sinite me ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* S. Justinus Apologia II. *Homines, qui dignos se Dei voluntate et consilio operibus praestiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos.* S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. X. *Justitia opus est, ut quis promereri possit Deum: praeceptis ejus et monitis est obtemperandum, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Hilarius Can. V. in Matth. *Regnum Dei vitae nostrae stipendiis quaeramus. Et haec recte perfecteque viventium merces est.* Et Canone VI. *De nostro est beata illa aeternitas promerenda, praestandumque est aliquid ex proprio.* S. Basilius Orat. in initium Proverbiorum. *Omnes qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionem coelestium comparantes.* S. Gregorius Nazianz. Orat. XL. in S. Baptisma: *Crede resurrectionem, judicium, mercedem ad justam Dei lancem exigendam.* S. Gregorius Nyssenus Orat. I. de amandis pauperibus. *Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, summa et perpetua requies tribuitur in regno coelorum; inhumanis tamen et improbis supplicium ignis, idque sempiternum.* S. Ambrosius Lib. I. de Offic. Cap. XV. *Nonne evidens est, meritorum aut praemia aut supplicia post mortem manere?* S. Hieronymus Lib. II. adv. Jovinianum: *Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis proemia praeparare.* S. Paulinus Epist. XXIX. ad Victricium: *Tuarum tibi praemia se debere virtutum, Judex justus agnoscet.* S. Augustinus Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum: *Sicut*

merito peccati, tamquam stipendium redditur mors: ita merito justitiae tamquam stipendium vita aeterna. Et Lib. de Moribus Ecclesiae, Cap. XXV. *Vita aeterna est totum praemium, cujus promissione gaudemus: nec praemium potest praecedere merita, priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere praemium antequam mereamur accipere.* S. Gregorius M. Lib. IV. Moral. Cap. XLII. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum; ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* S. Bernardus Serm. LXVIII. in Cant. *Merita habere cures: habita data noveris. Perniciosa paupertas, penuria meritorum.* Ex his colliges, quam impudenter Martinus Bucerus in Actis colloquii Ratisbonensis mentitus fuerit, negans Scripturam, vel Patres nomine meriti usos fuisse; vel si hoc nomine usi sunt, duram esse in ea voce catachresim, seu abusum vocabulorum.

CCXLVIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Cap. XVIII. ait: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant.* Atqui merces bonis operibus debita, non est donum purae liberalitatis Dei. Lateranense IV. Cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate et fide Catholica: *Non solum Virgines et continentes, verum etiam conjugatae per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.* Florentinum in Decreto fidei Sess. ultima definivit, animas Sanctorum plene purgatas in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, *pro meritorum tamen di-*

versitate, alium alio perfectius. Tridentinum Sess. VI. Can. XXXII. *Siquis dixerit, hominis justificati bona opera ita est dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut, ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.*

CCXLIX. *Quaeres I.* An justi bonis operibus aeternam beatitudinem de condigno mereantur, an tantum de congruo? R. merentur de condigno. Ita communissima Theologorum contra Durandum et Ariminensem. Prob. assertio. Ex una parte Deus tenetur ex justitia saltem late tali operibus bonis justorum vitam aeternam retribuere: ex altera parte opera bona justorum habent cum aeterna beatitudine aequalitatem moralem. Ergo justi merentur illam de condigno Prob. I. pars. Anteced. II. ad Timoth. Cap. IV. dicitur: *Reposita mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ad Hebr. Cap. VI. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* S. Augustinus Lib. de Nat. et Gratia, Cap. II. *Non enim injustus Deus qui justos fraudet mercede justitiae.* Et Lib. IV. contra Julianum, Cap. III. *Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittatur justus.* Dixi, ex *justitia saltem late tali*, id est, ex fidelitate, quia praemium aeternum promisit sub conditione bonorum operum, ut omnes Catholici tenent. Prob. etiam altera pars Anteced. Opera bona hominis justi viribus gratiae elicita, sunt opera filii Dei

adoptivi, et dignificantur a gratia, quae est semen gloriae. Ergo opera bona justorum habent moralem aequalitatem cum praemio.

CCL. *Quaeres II.* An fiducia, quam justi in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascatur? R. contra Protestantes affirmative. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Tobiae Cap. IV. dicitur: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* I. ad Timoth. Cap. III. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multum fiduciam.* I. Joannis Cap. III. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Ad Rom. Cap. V. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Serm. de Eleemosyna: *Praeclara, et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium: securitatis nostrae salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.* S. Chrysost. Hom. II. in Epist. II. ad Cor. *Optamus, ut ex benefactis habeamus fiduciam.* S. Augustinus Enarratione II. in Psal. XXXI. *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem vero pungit mala conscientia, retrahit se a spe, et non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat, et operetur.* Prob. III. Ratione. Ex bonis operibus nascitur bona conscientia, sicut ex malis mala. Atqui ex bona conscientia nascitur fiducia. Ergo.

CCLI. *Quaeres III.* Utrum liceat fiduciam aliquam ponere in propriis meritis? R. absolute fiducia potest in operibus vere bonis poni; tutius tamen tota fiducia in so-

la Dei misericordia et benignitate reponitur. Prob. I. pars assertionis, I. Authoritate Scripturarum Psal. XVII. dicitur: *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, — — — quia custodivi vias Domini.* Isaiae Cap. XXXVIII. ait Ezechias Rex: *Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* II. ad Timoth. Cap. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae.* II. Exemplis Sanctorum, S. Hilarionis apud Hieronymum in Vita illius: *Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times?* Ac S. Martini Turonici apud Sulpitium Severum in Vita, qui in agone constitutus, daemonem his verbis alloquebatur: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies. Abrahae me sinus excipiet.* III. Ratione. Licet confidere in omni vera causa salutis. Atqui bona merita sunt vera causa salutis, ut suo loco a nobis ostendetur. Ergo licet in illis confidere, atque aliquam fiduciam reponere; sine ambitione tamen et superbia.

CCLII. Prob. etiam altera pars assertionis. Ex una parte nemo absque revelatione scire potest certo se habere vera merita, atque in eis usque ad finem se perseveraturum: ex altera parte facile est, nos idcirco superbia inflari, aliosque contemnere. Ergo tutissimum est plurima quidem pro Deo operari, attamen in sola Dei misericordia totam fiduciam reponere. Vel enim homo habet merita, vel non habet: si non habet; seipsum seducit, confidendo in falsis meritis: si habet; in solo Deo confidendo nullam facit meritorum jactu-

ram, quae Deus in numerato habet, suo tempore largissime remuneraturus. Patres etiam aperte suffragantur assertioni nostrae. S. Chrysostomus Hom. III. in illud: *Nihil perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde et Christus sciens, quod post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis: Cum feceritis omnia, dicite quia servi inutiles sumus. Quando nihil nos arbitramur operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quam propter opera ipsa quae fecimus. Minimum itaque de se sensisse tam magnum est, quam magnas res fecisse.* S. Bernardus Serm. IX. in Psal. *Qui habitat*, scribit: *Praetendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et aestus; mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

OBJECTIONES.

CCLIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Psalmo CII. dicitur: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Et ad Rom. Cap. VI. *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita aeterna.* II. Isaiae Cap. LV. *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.* III. Danielis Cap. IX. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* IV. Lucae Cap. XVII. *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* V. Ad Titum Cap. III. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ad Ephes. Cap. II. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis*

glorietur. VI. Ad Rom. Cap. VIII. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Ergo opera nostra non sunt meritoria vita aeternae. R. ad I. Aeterna beatitudo, quamvis illam vere mereamur, rectè tamen misericordiae ac gratiae Dei adscribitur triplici ex capite. I. Quia Deus ex mera gratia et misericordia illam benefacientibus promisit. II. Quia gratiam sanctificantem nobis largitur sine merito nostro de condigno. III. Quia gratis omnino gratias efficaces concedit, quae sunt semen gloriae. Ad II. R. per vinum et lac non intelligitur hic vita aeterna, sed gratia praesentis vitae. Fatemur autem primam gratiam gratis dari sine meritis, quamvis non sine opere et labore nostro. Nam sicut illae voces, *Absque argento, et ulla commutatione*, excludunt nostra merita: ita istae, *Venite et emite* requirunt nostrum laborem. Ad III. R. Daniel ibi non loquitur de vita aeterna; sed petit liberationem a captivitate Babylonica, in quam populus Judaicus ob enormia scelera abstractus erat: Bona autem temporalia, aliasque vitae hujus commoditates de condigno mereri non possumus, nisi quatenus hominem adjuvant ad consequendam aeternam beatitudinem; eoquod illa bonis operibus justorum Deus non promiserit, sicut vitam aeternam pollicitus est. Ad IV. R. Christus non dixit servos inutiles nos esse, cum omnia fecerimus; sed jussit ut id nos dicamus ad cavendam superbiam. Quamquam etiam in sensu aliquo servi inutiles sumus, licet omnia fecerimus. I. Quia nihil utilitatis per opera nostra bona Deo conferimus. II. Quia viribus nostris relicti, sine gratia Dei nihil possumus facere ad vitam aeternam conducens. III. Quia cum natura servi simus, nullamque mercedem Deus, ut supremus Domi-

nus, retribuere teneatur, aeternam beatitudinem numquam promereri potuissemus, nisi Deus eam gratuito promisisset benefacientibus. Ad V. R. Apostolus manifeste ibi loquitur, non de salute perfecta, quae reposita est nobis in coelis, sed de initio justificationis et fidei, quod juxta omnes Catholicos sub meritum non cadit: et de operibus, quae fidem et gratiam Dei praecedunt, solisque naturae viribus eliciuntur. Ad VI. R. Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, si veluti materialiter secundum suam entitatem, levitatem, et exiguam temporis durationem spectentur: at vero condignae sunt passiones ex gratia propter Deum a filiis adoptivis toleratae, et Christi meritis innixae. Nam ipse Apostolus II. ad Cor. Cap. IV. testatur: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, procul dubio non physice, sed moraliter et meritorie. Itaque si spectetur gratia, a qua procedunt opera meritoria, datur proportio inter illa et gloriam coelestem, sicuti proportio datur inter semen et arborem. Neque temporis discrimen hanc proportionem tollit: siquidem etiam peccata momentanea damnatorum in hac vita patrata, aeternam merentur poenam, et passio transitoria Christi vitam aeternam nobis promeruit.

CCLIV. *Objicitur II.* Authoritas S. Augustini, qui Serm. II. in Psal. LXX. ait: *Cum praemium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* II. Serm. CLXIX. alias XV. de verbis Apostoli: *Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, et multum invenis unde damnes.* III. Lib. de Gratia et Libero arbitrio, Cap. IX. *Insuper accipiemus et gratiam*

pro gratia, quando nobis vita aeterna reddetur. IV. Eodem libro, et capite pergit S. Doctor: *Maluit dicere* (Apostolus) *Gratia autem Dei vita aeterna; ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* R. ad I. S. Augustinus agit ibi contra Pelagianos, excluditque opera solis naturae, non vero gratiae viribus elicita, uti manifeste patet legenti contextum. Ad II. R. Deus gratis salvat, quia gratis dat gratiam, per quam salutem meremur; non vero propter opera ex solis naturae viribus profecta, et quae gratiam praecedunt. Ad III. R. Vita aeterna dicitur ibi gratia, quia datur propter bona merita, quae sunt effectus gratiae et dona Dei, ut ipse S. Doctor explicat Libro citato, Cap. VIII. Ad IV. eadem est responsio. Vita aeterna dicitur ibi gratia Dei; quia bona illa opera, quibus vita aeterna tamquam merces retribuitur, Deus in nobis per gratiam efficacem pure gratuitam operatur: ait enim S. Doctor l. c. *Cum posset dicere, Stipendium autem justitiae vita aeterna; maluit dicere, Gratia autem Dei vita aeterna.* Si itaque Apostolus dicere potuit, vitam aeternam esse stipendium, sive mercedem bonorum operum, manifeste sequitur, opera nostra bona mereri vitam aeternam.

CCLV. *Objicitur III.* Authoritas aliorum Patrum. S. Hilarius in Psal. LI. scribit: *Non enim illa ipsa justitiae opera sufficerent ad perfectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanarum demutationum et motuum non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei in saeculum saeculi.* II. S. Basilius in Psalm. CXIV. *Requies aeterna non secundum operum debitum ac meritum retribuitur, sed juxta magnificentiam Dei, his qui in ipsum speraverunt,*

exhibetur. III. S. Gregorius M. Lib. IX. Moral. Cap. XIV. *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco*. IV. S. Bernardus Serm. I. de Annuntiat. *neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure; aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Confirmat.* Deus opera bona supra condignum remuneratur, ut patet ex communissima Theologorum doctrina, et ex *Baii* propositione, inter damnatas a S. Pio V. et Gregorio XIII, ordine XIV. manifeste deducitur: *Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem; quam justo Dei judicio mereantur accipere*. Ergo. R. ad I. S. Hilarius solum docet, operibus bonis levia et venialia peccata saepe admisceri, quae remissione et misericordia Dei indigent. Ad II. S. Basilius ait, requiem aeternam dari certantibus, non ob merita propria, id est, propriis viribus acquisita; sed ob gratiam Dei, a qua merita vera nascuntur. Ad III. R. Non convalescimus ex meritis, quae propriis viribus acquisivimus; sed ex venia, per quam justificati a Deo, justitiam et bona opera salubriter habere incipimus. Ad IV. juxta S. Bernardum. vita aeterna non debetur meritis nostris absolute et de se, antecedenter ad promissionem Dei gratuitam; praesupposita autem gratia et promissione, ex jure debetur, testante Apostolo. II. ad Timoth. Cap. IV. *Reposita est mihi corona justitiae*. Ad *Confirmat*. C. A. N. C. Deus supra condignum opera nostra remuneratur, quia in retribuendo illis praemio non attendit ad solam excellentiam operis, atque ipsius operantis, verum etiam ad suam, et Christi excellentiam, sub qua sola consideratione vita aeterna perfectam habet cum meritis aequa-

litatem. Propositio illa Baji merito fuit proscripta, quia is docebat ad meritum de condigno non requiri statum gratiae, seu adoptionem; bonaque opera tantummodo secundum propriam excellentiam, ac dignitatem personae operantis praemiari.

CCLVI. *Objicitur* IV. Meritum Christi. Christus sanguine suo nos redimens, meruit nobis aeternam beatitudinem. Ergo eam non meremur nostris operibus. P. C. Ex una parte merita Christi sufficiunt ad consequendam vitam aeternam: ex altera parte si requirerentur merita nostra, divideretur gloria inter Deum et hominem. Ergo merita nostra sunt prorsus inutilia, et Christo injuriosa. R. D. A. Meruit nobis beatitudinem aeternam in radice, id est, auxilia sufficientia et apta ad illam consequendam, C. A. Meruit nobis beatitudinem aeternam formaliter, et absque cooperatione nostra consequendam, N. A. et Conseq. vel D. C. Ergo illam non meremur nostris operibus primo et principaliter, eo nimirum modo, quo Christus eam nobis promeruit, C. C. Non meremur eliciendo opera bona ex gratia, quam Deus ob merita Christi nobis communicavit, N. C. Ad *probat.* D. I. membrum Anteced. Merita Christi sufficiunt, si nobis plene et complete applicentur, C. Secus; N. A. Merita Christi, ex voluntate Dei, atque ipsius etiam Christi per Scripturas et traditionem nobis sufficienter manifestata, ad aeternam beatitudinem consequendam plene et complete nobis non applicantur, nisi per bona opera meritoria, ex ejus gratia facta, ejusque meritis innixa. Alterum membrum Antecedentis omnino negatur. Cum enim merita nostra proficiscantur ex gratia Christi, quidquid illa laudis et dignitatis habent, totum redundat in laudem et dignitatem meritorum Chri-

sti : sicuti quo palmites magis frugiferi sunt, eo vitis magis laudanda est : quia quidquid succi et humoris habent palmites, hoc totum habent a vite.

CCLVII. *Objicitur V.* Status elevationis. Fideles per baptismum constituuntur filii adoptivi Dei. Ergo mereri non possunt aeternam beatitudinem. P. C. Vita aeterna in Scripturis vocatur haereditas. Atqui haereditas debetur filiis solo jure filiationis, seu adoptionis, non ex merito, aut labore. Ergo. *Confirm.* Parvulis baptizatis vita aeterna donatur solo jure haereditatis. Ergo etiam adultis, dicente Christo Marci Cap. X *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* R. C. A. N. C. Ad *probat.* R. Vita aeterna in Scripturis non tantum haereditas, verum etiam merces, denarius, bravium, corona justitiae et vitae saepe vocatur. Parvulis itaque post baptismum decedentibus donatur vita aeterna solo jure haereditatis : adultis vero duplici titulo, haereditatis nimirum et mercedis, juxta illud ad Coloss. Cap. III. *scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* Deus nimirum hac conditione nos adoptavit in filios, ut observando ejus mandata obtineremus haereditatem, adeoque titulo meriti. Ad *confirm.* C. A. N. C. Parvuli nondum capaces meriti, non alio quam haereditatis titulo vitam aeternam possidere queunt : At vero adultos qui usum rationis habent, voluit Deus propris laboribus et meritis illam acquirere. Quoniam enim magis honorificum est habere aliquid ex merito, quam ex sola donatione, ideo Deus ut filios suos magis honoraret, id etiam eis praestitit, ut vitam aeternam per merita sibi pararent. Sensus verborum Christi apud Marcum Cap. V. est, nos aeterna felicitate minime donandos, nisi per voluntatem reddamur hu-

mur : totaliter tamen, totalitate influxus, neque Dei sunt. neque nostra sunt.

CONTROVERSIA III.

AN LICEAT BONUM AGERE INTUITU MERCEDIS AETERNAE?

Contra Calvinum, Lutherum, Bajum, Quesnellum.

CCLIX.

Lutherus contritionem, quae elicitur ex motivo amissae aeternae beatitudinis, docuit hominem facere hypocritam, ac magis peccatorem. Calvinus Lib. VI. Institut. Cap. XVI. et in Antidoto Conc. Tridentini ad Sess. VI. Canonem XXXI. negat licitum esse operari aeternae mercedis intuitu. Id ipsum asserere visus est Michael Bajus Doctor Lovaniensis, docens omnem amorem, qui non est Dei propter se ipsum dilecti, esse vitiosam cupiditatem, et peccatum, ut manifeste colligitur ex ejus propositione ordine XXXVIII. inter damnatas a S. Pio V. et Gregorio XIII. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Consentit Paschasius Quesnellus propositione XLVII. inter proscriptas a Clemente XI. in Bulla Unigenitus. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; et hic fons est charitas: Quando Dei amor est principium illius interius, et Dei gloria ejus finis,*

tunc purum est, quod apparet exterius; *alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Eadem fuit Jansenii anorum quorumdam in Belgio et Galliis doctrina, quam propositione X. contentam damnavit Alexander VIII. *Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

CCLX. *Conclusio.* Licitum est bona agere intuitu mercedis aeternae. Prob. I. Authoritate Scripturarum; quae excitant nos ad bene oprandum proposita mercede aeterna. Apocalyp. Cap. II. dicitur: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Ad Coloss. Cap. III. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus: scientes, quod a Domino accipietis retributioncm haereditatis.* Ad. Galatas Cap. VI. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.* Psal. CXVIII. S. David de se ipso fatetur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem.* Ad Hebr. Cap. XI. Apostolus laudat Moysem, quod aspexerit *in remunerationem, magis eligens cffligi cum populo, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Christus ipse Matth. Cap. VI. nobis praecipit; *Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus.* Et Lucae Cap. VI. nobis praecipit: *Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus.* Et Lucae Cap. XVI. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

CCLXI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus Lib. II. adversus Jovinianum ait: *Ideo Paulus hoc facit, ut plus laborans, plus etiam mercedis accipiat.* S. Augustinus Enarrat. in Psal. XCIII. *Si forte*

tentant fluctus concupiscentiae, intueris quid promissit Deus; et dulcedo promissorum faciet te contemptorem dulcedinum saeculi. Idem Lib. de Cathechizandis rudibus, Cap. XVII. *Qui propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quae post hanc vitam Sanctis tutura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed in regnum aeternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est.* Et Enarrat. in Psal. CXLI. *Timoris et cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum coelorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem saeculi diabolus intrat, per desiderium vitae aeternae Christus intrat.* S. Gregorius M. Hom. XIII. in Evang. *Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed si utrumque agitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat.*

CCLXII. Prob. III. Authoritate Tridentini Sess. VI. Can. XXXI. *Siquis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur; anathema sit.* Et Cap. XI. ejusdem Sess. *Constat, eos Orthodoxa Religionis doctrinae adversari, — — — qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam.*

CCXIII. Prob. IV. Ratione. Vita aeterna est finis secundarius fidei et bonorum operum, subordinatus fini primario, seu gloriae Dei, ad quam nostra beatitudo refertur. Ergo licitum est ad illam, tanquam finem secundarium, obtinendam, media, id est bona opera

dirigere. P. A. Ad Rom. Cap. VI. dicitur. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Et I. Petri Cap. I. *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.* II. In operibus temporalibus omnium suffragatione licitum est finem spectare temporalem, v. g. colere agros spe fructus percipiendi, currere ac certare spe obtinendae victoriae ac bravii, pharmacum sumere spe recuperandae valetudinis. Ergo etiam in opere spirituali licitum erit finem spectare spiritualem ac supernaturalem, praemium a Deo propositum, beatitudinem nimirum aeternam.

OBJECTIONES.

CCLXIV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Joannis Cap. X. reprehenditur a Christo mercenarius: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Atqui qui operantur intuitu mercedis aeternae, sunt mercenarii. Ergo. II. Apostolus I. ad Cor. Cap. X. v. 31. scribit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Ergo qui intuitu aeternae mercedis operantur, agunt contra doctrinam et praeceptum Apostoli. R. C. M. N. m. Mercenarii proprie dicuntur illi, qui vel unice, vel praecipue mercedem intendunt, ita ut servire nollent, si nulla deretur merces: quales sunt illi qui viso lupo fugiunt, et dimittunt oves; quia salutem ovium pensi non habent, sed proprium tantummodo commodum quaerunt. At vero, qui intuitu salutis aeternae ope-

rantur, eam tamquam finem secundarium, gloriam Dei autem ut finem primarium respiciunt: neque ita constituti sunt, ut Deo servire nollent, si merces abesset. Sicut qui metu gehennae de peccatis dolet, ac mandatorum observantiam proponit, non idcirco peccare vult, si non daretur gehenna. Ad II. C. A. N. C. Vel enim hoc merum est Apostoli consilium perfectiora suadentis, ut plurimi, iique praestantes Theologi autumant; vel si praeceptum est, impletur etiam ab illis, qui intuitu mercedis aeternae operantur. Ut enim observat S. Thomas in Quaestionibus disputatis, Quaest. VII. de Malo, Artic. I. *Praeceptum hoc, omnia in gloriam Dei facite, non obligat ad hoc, quod semper observetur in actu. Observatur autem semper in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum ultimum finem.* Quamdiu scilicet homo est in statu gratiae, Deum semper amat habitualiter; atque ita radix bonorum operum ipsius est charitas, si nempe ex fine honesto, absque prava circumstantia exerceantur. Rursus S. Thomas in I. ad Cor. Cap. X. Lectione VII. *Dicendum est,* inquit, *quod non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei, facit contra hoc praeceptum,* non qui non dirigit in omnibus actibus intentionem ad Dei Gloriam.

CCLXV. *Objicitur II.* Authoritas S. Augustini. S. Doctor Enarrat. in Psal. LV. scribit: *Nos ergo Deum amemus, Fratres, pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. — — Illum ergo sic diligamus, ut aliud praeter ipsum non diligatur.* II. Enarrat in Psal. LXXII. *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud praemium. Qui aliud praemium petit a Deo, et propterea vult ser-*

vire Deo; carius facit quod vult accipere., quam ipsum a quo vult accipere – – – – – Ama Deum gratis, nulli invideas Deum. R. C. A. N. C. In I. textu S. Augustinus loquitur de mercede, non aeterna, sed temporali, quae posita est in ubertate et copia rerum fluxarum et caducarum, adeoque haec non debent esse summa votorum apud Christianos homines: etiam paulo ante citata verba ait S. Doctor: *Omnia quippe illa, fratres, quae commemorarunt filii alieni, Deus dat; sed et malis dat, sed et blasphemis dat, qui Solem suum oriri facit super bonos et malos.* In II. textu amor concupiscentiae, quo Deus amatur ut bonus amanti, non reprobatur; sed tantum praefertur illi amor amicitiae, quo Deus amatur ut bonus sibi, ac propter se. Quod si fingas, hominem ita esse animo constitutum, ut sublato praemio Deum amare recuset, hic utique peccat; praefert enim munus Deo largitori muneris. At hanc animi dispositionem non habet, qui in sententia nostra Deum laudabiliter et honeste amat propter praemium.

CCLXVI. *Objicitur III.* Authoritas aliorum Patrum. *S. Chrysosthomus* Hom. V. in Epist. ad Romanos scribit: *Amore Christi omnia facite, et non spe mercedis.* II. S. Bernardus Lib. de diligendo Deo ait: *Non sine praemio diligitur Deus, et si absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.* III. S. Thomas II. II. Quaest. XIX. Art. VI. ad III. ait, amorem mercenarium contrariari charitati. Ergo. R. ad I. Cujus mercedis spem abesse velit S. Chrysostomus, l. c. manifeste indicat S. Doctor, nempe spem mercedis temporalis; illico enim subjungit: *Haec est vera mer-*

ces, haec vera gloria, ut Christum possideamus. Hoc nostrum regnum est, nostrae deliciae. Ad II. R. S. Bernardus vult tantum, mercedem aeternam respiciendam a nobis esse ut finem secundarium, gloriam Dei vero ut finem primarium; quod a justis intuitu mercedis aeternae operantibus, semper fieri superius docuimus. Ad III. R. S. Thomam loqui de inordinato amore bonorum temporalium: ait enim l. c. *Ad tertium dicendum, quod amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia: quod secundum se charitati contrariatur: et ideo amor mercenarius semper est malus.* Nimirum operari propter mercedem ipso opere viliorem, v. g. ex fine principali ob bona temporalia Ecclesiastica ministeria obire, ac bona opera elicere, sordidum ac servile est. At spectare mercedem eminentissimam, quae in ipsius Dei visione consistit, honestissima est, et praestans actio.

CCLXVII. *Objicitur IV.* Ratio. Qui ob coeleste regnum operatur, quaerit gloriam suam. Ergo non quaerit gloriam Dei. Ergo peccat. *Confirm.* Si talis ita operando quaereret gloriam Dei, Deum non prosequeretur amore concupiscentiae, sed benevolentiae, ac perfectae charitatis. Atqui si intuitu aeternae mercedis operatur, juxta omnes Deum prosequitur amore concupiscentiae. Ergo. R. D. A. Quaerit gloriam suam, ita tamen ut gloriam suam saltem implicite et virtualiter referat ad ipsum Deum tamquam finem ultimum excellentiae, velitque aeternum beatus esse, ut in ipso Deus glorificetur, C. A. Ut hoc non fiat, N. A. et Conseq. Ad *Confirm.* D. M. Si quaereret gloriam Dei formaliter et expliciter, C. M. Si implicite et virtualiter. N. M. Justi, (de his enim hic solum agimus, cum injusti,

ut pote charitate destituti, prudenter et efficaciter operari non possint intuitu mercedis aeternae,) quando intuitu aeternae mercedis operantur, gloriam suam atque utilitatem respiciunt tamquam finem, non positive sed negative tantum ultimum, qui ulterius referri potest, quamquam hic et nunc per solum amorem concupiscentiae ulterius ab operante non referatur formaliter et explicite. Quia vero gratia sanctificante ornati sunt, necessario Deum complectuntur etiam amore benevolentiae atque amicitiae, qui beatitudinem hominis formaliter et explicite, si sit actualis; implicite vero et virtualiter, si sit habitualis tantum, refert ad ipsum Deum propter se dilectum. Ex quo apparet, justos, quando intuitu aeternae mercedis operantur, Deum diligere amore concupiscentiae, atque amicitiae per eumdem, aut diversos actus, saltem habitualiter.

CCLXVIII. *Dices.* Amor benevolentiae non potest simul stare cum amore concupiscentiae. Ergo dicta non subsistunt. P. A. Amor benevolentiae est charitas perfecta, amor concupiscentiae est imperfectus, habentque motiva sibi opposita. Ergo non possunt simul stare. *Confirm.* Amor viri, qui uxorem suam amat propter pecunias, vel praepinguem dotem, non potest simul stare cum amore, quo eam prosequitur propter se ipsam: Ergo a pari. R. N. A. Ad *probat.* D. I. membrum Anteced. Amor concupiscentiae est imperfectus, si spectetur se solo absque eo quod Deus etiam ametur propter se, C. A. Si spectetur una cum amore benevolentiae, quocum in casu nostro conjunctus est, N. A. et D. etiam alterum membrum Anteced. Habent motiva sibi opposita formaliter et praecisive, T. A. Realiter et exclusive, N. A. Amor concupiscentiae quamvis praescindat ab amore

benevolentiae, non tamen illum excludit; potest enim aliquis per eumdem, vel etiam diversos actus simul desiderare beatitudinem tamquam mercedem, et sibi bonam atque utilem, ita tamen ut simul illam ordinet ad gloriam Dei. Ad *confirmat.* T. A. N. C. Amor uxoris propter pecunias respicit bonum distinctum a fruitione personae amatae: amor vero mercedis aeternae respicit bonum identificatum cum Deo, qui est merces magna nimis nostrorum meritorum.

CONTROVERSIA IV.

AN BONA OPERA SINT NECESSARIA AD SALUTEM CONSEQUENDAM?

Contra Simonem Magum, Eunomium, Aetium, Protestantes.

CCLXIX.

S. *Irenaeus* Lib. I. adv. Haereses, Cap. XX. refert, praeter alia, Simonem Magum graviter in eo etiam errasse, quod homines asseruit per gratiam salvari, non per bona opera. Theodoretus Lib. I. Haereticarum Fabularum, Cap. II. de eodem Simone scribit: *Jubebat Simon suos Legis minas non pertimescere; sed tamquam liberos facere quae vellent. Non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos esse salutem consecuturos.* Saeculo IV. Eunomius homo pessimus, atque inter Arianos facile impudentissimus, errorem hunc renovavit, teste S. Augustino Lib. de Haeresibus, Cap. LIV. *Fertur*, inquit, *usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut assevera-*

ret: quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus quae ab illo docebatur fidei particeps esset. Insaniam hanc ab Aetio itidem Ariano, quo ille Magistro utebatur, hausisse dicunt Philastrius et Augustinus. Quid de bonis operibus *Lutherus* senserit, arduum non est in ejus scriptis deprehendere. Quamvis enim quandoque, praecipue in libro de Visitatione Saxonica, doceat bona opera esse facienda, eaque ad salutem aliquo modo necessaria esse solita sua levitate affirmet, contrarium tamen variis in locis saepissime asseruit. Libro de Libertate Christiana scribit: *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala. -- Ut infideli nullum bonum opus prodest ad salutem, et justitiam: sic e diverso nullum malum opus facit malum et damnatum, sed sola incredulitas.* Lib. de Captivit. Babylonica, Cap. de Baptismo: *Vides, quam dives sit homo Christianus, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.* Tomo IV. Jenensi Latino fol. 98. et Tomo I. Vittembergensi Germ. fol. 215. *Quare si prudens es, longissime ableges Mosen balbum et blaesum cum sua lege, neque ullo modo te moveant terrores et minae ipsius. Hic simpliciter sit tibi suspectus, ut haereticus, excommunicatus, damnatus, deterior Papa et diabolo, ideo prorsus non audiendus.* Et Serm. de piscatura Petri: *Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus; debemus enim cum solo Isaac venire, id est, in fide: Servos et asinos, hoc est; opera deorsum dimittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit.* Neque profecto aliter sentire potuit Lutherus prin-

cipiis suis insistendo. Si enim mandata Dei ab homine etiam justo servari nequeunt: si omnia justorum opera peccata sunt ex natura sua mortalia: si in lege gratiae justus liberatur a debito implendi legem, quis, nisi cui sinciput graviter laesum est, necessitatem adstruet bonorum operum ad salutem aeternam consequendam?

CCLXX. Sectatorum Lutheri circa necessitatem bonorum operum in diversas, sibique oppositas ivere sententias. Lutherani rigidi, quos inter Illyricus, Amsdorffius, et Vinarienses Theologi in Colloquio Altenburgensi dicebant, *Opera bona, et novam obedientiam, non ad Regnum Christi, sed ad mundum pertinere: ad Satanam spectare Christianos cum operibus bonis.* Item: *Adeo non esse necessaria opera bona, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa.* Denique, *precari oportere, ut in fide, sine omnibus operibus bonis, usque in finem perseveremus.* Vide Petrum Canisium Lib. I. de Corrupt. Verbi Dei, Cap. X. Wigandus cum sociis ea quidem ad salutem non necessaria, at neque noxia, sed arbitraria esse censebat. Contra Lipsienses in eodem Colloquio Altenburgensi ea ad salutem omnino requiri contendebant, quibuscum consentit Confessio Vittembergensis Tit. de bonis Operibus definiens, *Necessario deberi practicari bona opera, eaque per bonitatem Dei gratuitam mereri remunerationes suas corporales ac spirituales.* Confessio Augustana Art. XX. dicit, falso a Catholicis accusari suos, quod bona opera negligant, vel prohibeant. Melanchton in Locis Theologicis, Brentius in Catechismo, Kemnitius in Exam. Conc. Tridentini Sess. VI. Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XVI. docent, opera bo-

na esse facienda, veramque fidem non esse, quae opera bona non parit, et quae charitatem comitem non habet.

CCLXXI. Cum his communiter sentiunt nostrorum temporum Protestantes, docentque, opera bona ad salutem et justitiam obtinendam necessaria esse, non ratione efficientiae, sed sola necessitate praesentiae: id est, opera bona necessaria esse, non quod illa sunt causae, conditiones ac merita salutis et justitiae: sed quia fides, quae sola hominem justificat et salvat, nec viva, nec vera esse potest sine operibus, quamvis opera nullam relationem habeant ad salutem: et quia Deus neminem justificare et salvare decrevit absque bonis operibus, quamquam illa sint merum signum verae fidei, nihilque efficiant ad salutem obtinendam. Ita illi, ut imperitae plebi fucum faciant, et capitalem errorem tueantur, quod sola fides justificet. Verum si opera bona ex natura sua sunt peccata mortalia, et omnes justitiae nostrae sunt sicut pannus menstruatae: si praecepta Dei ab hominibus perfecte eo modo, quo obligant, servari nequeunt; fierine potest, ut opera nostra sint boni fructus, indices salvificae fidei? Ut Deus factu impossibilia tamquam necessaria praecipiat, neminemque justificare ac salvare decreverit, nisi qui prioribus peccatis novum aliquod adjecerit, Deumque ad iracundiam, quantum est in se, iterato provocaverit? Fierine potest, ut peccatum aliquod, de se et ex natura sua mortale, Deum moveat ad impertiendam nobis suam misericordiam, viamque ad coelum sternat? Quare aut fateantur Protestantes necesse est; opera bona justorum viribus gratia elicita, vere bona esse, meritoria vitae aeternae, atque ad salutem consequendam necessaria: aut hoc negent, eadem nullo prorsus modo, neque necessitate praesentiae, ad salutem requiri.

CCLXXII. *Conclusio I.* Opera bona sunt necessaria ad obtinendam salutem. Conclusio intelligenda est de adultis, qui postquam Christo reconciliati sunt, non statim ex hac vita decedunt. Infantes enim, atque etiam adulti recens baptizati, si continuo ex hac vita decedant, salutem aeternam consequuntur, non titulo mercedis, sed haereditatis. Probatur jam Conclusio. Aeterna salus promissa nobis a Deo fuit sub conditione bonorum operum. Ergo ut salutem aeternam obtineamus, necessario implenda ac purificanda est conditio. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. XIX. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. Cap. XXV. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.* Ad Hebr. Cap. X. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* I. ad Timoth. Cap. II. *Mulier seducta in praevaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.* Ad Rom. Cap. VIII. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Jacobi Cap. I. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.* Et Cap. II. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? — — Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum Isaac super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est? — — Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?*

CCLXXIII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Justinus Martyr. Apolog. I. pro Christianis scribit, quod Christiani orent, *Ut postquam veritatem agnovimus, per opera, et praeceptorum observationem, ad salutem aeternam pervenire valeamus.* Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum: *Gratia salvamur, sed non absque bonis operibus. - - - Quando audierimus, Fides tua te salvum fecit, non accipimus absolute eos salvos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta.* S. Hilarius Can. VII. in Matth. *Salus gentium omnis in fide est, et in praeceptis Domini vita est universorum.* S. Gregorius Nazianz. Orat. in Sanctum Lavacrum: *Operare bonum super hoc doctrinarum fundamento, quoniam fides sine operibus mortua est, quemadmodum et opera sine fide.* S. Chrysostomus Hom. XXX. in Joannem: *Si in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum recte credideris, non autem recte vivis, nulla tibi ad salutem utilitas. Cum ergo dicit, Ipsa est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum: nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est et vitae et morum puritate pollere.* S. Hieronymus Comment. in Isaiam, Cap. XXVI. interpretans illud, *Murus, et antemurale ponetur in ea*, scribit: *Murus bonorum operum, et antemurali fidei. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* S. Augustinus Lib. de Gratia et Lib. arbitrio, Cap. VII. *Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis: putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, et bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret Vas electionis.* S. Fulgen-

tius Lib. II. de Remiss. peccat. Cap. I. *Vita bona non veraciter dicitur, quae perversae crudelitatis vitio depravatur. Neque sufficit ad salutem vita recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turpatur obscoenis.*

CCLXXIV. *Conclusio II.* Opera bona ad salutem consequendam necessaria sunt, non tantum ratione praesentiae, sed etiam efficientiae. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Apostolus II. ad Cor. Cap. IV. scribit: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Ergo juxta Apostolum bona opera salutem efficiunt, et operantur. II. ad Cor. Cap. VII. *Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Poenitentia utique opus est, eaque per tristitiam effecta, operatur salutem. II. Petri Cap. I. *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ad Rom. Cap. VIII. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ergo bona opera juxta Scripturam non tantum sunt signa verae ac vivae fidei; sed etiam sunt causae, conditiones, ac merita salutis, quam operantur et efficiunt. Ergo sunt necessaria ratione efficientiae. Prob. II. a pari. Ut quis damnetur, praerequiruntur peccata gravia, non tantum ratione praesentiae, ac tamquam indices inobedientiae erga Deum, et impietatis; verum etiam ratione efficientiae, quia illa vere operantur damnationem. Ergo a pari, ut quis aeternum beatus fiat, requiruntur bona opera: non tantum ratione praesentiae, sed etiam efficientiae. Prob. III. evertendo fundamentum Protestantium. Opera a justis viribus gratiae elicita, sunt vere

bona, et meritoria vitae aeternae ut ostendimus Controversia I. et II. Ergo vere operantur et efficiunt salutem aeternam. Ergo requiruntur etiam ratione efficientiae. Prob. IV. Ratione. Purificatio conditionis involventis actiones liberas in obsequium promissoris praestandas, habet efficientiam moralem ac meritoriam illius rei, quae sub conditione promittitur. Atque opera bona viribus gratiae elicita, sunt purificatio conditionis, sub qua nobis a Deo promittitur aeterna salus. Ergo moraliter ac meritorie efficiunt, atque operantur aeternam salutem.

OBJECTIONES.

CCLXXV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Scriptura salutem tribuit soli fidei, operibus praetermissis. Lucae Cap. VII. *Fides tua te salvam fecit.* Lucae Cap. VIII *Crede tantum, et salva erit.* Joan. Cap. I. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Joan. Cap. III. *Qui credit in Filium, vitam habet aeternam.* II. Ad Ephes. Cap. II. dicitur: *Gratia estis salvati per fidem, – – non ex operibus.* III. Ad Rom. Cap. I. *Non erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Joannis Cap. III. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam habeat aeternam.* Ergo juxta Scripturas opera bona sunt necessaria ad salutem. R. I. opponendo adversariis clarissimos Scripturarum textus a nobis in probatione adductos, qui necessitatem bonorum operum comprobant. R. II. Quamvis sola fides nominetur, neutiquam tamen sequitur, solam fidem esse causam salutis. Scriptura enim, cum ad unum effectum multae

causae concurrunt, modo uni modo alteri causae effectum tribuit, quin propterea significare intelligatur, unam causam sine aliis sufficere. Sic v. g. Lucae Cap. VII. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tobiae Cap. XII. *Eleemosina a morte liberat.* Ad Rom. Cap. VIII. *Spe salvi facti sumus.* Ad Titum Cap. III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Neque idcirco denotare vult Scriptura, dilectionem, spem, eleemosinam, Baptismum, sine fide salutem parere. Caeterum quod Scriptura salutem tribuat fidei magis quam bonis operibus, causa est, quia fides initium est gratuitae justificationis, sine qua bona opera nihil prodesse possunt ad vitam aeternam, ut observat S. Augustinus Lib. de Praedestinatione Sanctorum, Cap. VII. *Ex fide autem ideo dicit* (Apostolus) *justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.* Lucae Cap. XIII. illis verbis, *Crede tantum, et salva erit*, non est sermo de salute aeterna, aut remissione peccatorum; sed de miraculo faciendo, ac revocanda ad vitam defuncta: ad patranda autem miracula in confirmationem verae fidei sola fides sufficere potest. Ad II. R. textum illum Apostoli non esse ad rem; loquitur enim ibi B. Paulus de prima justificatione, quae certe omnino gratuita est, ac de operibus quae fidem praecedunt, atque ex solis viribus liberi arbitrii fiunt. Ad III. R. fidem justificare et salvare, quantum in se est, si non desint caetera, nimirum bona opera viribus gratiae elicita; eo nimirum modo, quo Scriptura loquitur de spe, dilectione, humilitate, oratione, ut v. g. Lucae Cap. XVIII. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Lucae Cap.

XI. *Omnis qui petit, accipit.* Ad Rom. Cap. X. *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nimirum si caetera non desint: neque enim quis dicet ad salutem sufficere solam orationem, humilitatem, aut Domini invocationem. Verum plura de his dicemus Tract. V. Artic. II. ubi sermo erit de Justificatione.

CCLXXVI. *Objicitur II.* Discrimen Legis veteris, et Evangelii. Quamvis opera bona necessaria fuerint in veteri Lege, non sequitur ea etiam necessaria esse in Lege Evangelii. Ergo. P. A. In Evangelio nullae continentur leges proprie dictae, nullae comminationes, nullae promissiones conditionatae vitae aeternae, sed absolutae. Ergo. P. A. Apostolica praedicatio dicitur *Evangelium*, id est, bonus ac laetus nuntius. Ac non esset bonus ac laetae nuntius, si contineret leges proprie dictas, comminationes, terrores, ac promissiones conditionatas tantum. Ergo. *Confirmat.* Promissiones Evangelicae sunt gratuitae. Ergo non sunt conditionatae. R. N. A. Opera bona etiam in Lege Evangelica necessaria esse ad obtinendam salutem, probatum fuit a nobis ex Scripturis novi instrumenti. Ad *probat.* N. A. cujus falsitatem manifeste ostendimus. Christus *Matth.* Cap. V. confirmat, explicat, et perficit legem Moysis de homicidio, adulterio, perjurio, eamque a se ita explicatam servari voluit; ait enim l. c. *Ego autem dico vobis — Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Ac statim subjungit: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.* Ergo in Evangelio dantur leges proprie dictae. Similiter in Evangelio continentur comminationes et terrores.

Christus Matth. Cap. V. ait: *Qui dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis.* Et Cap. VII. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* B. Judas in Epist. Catholica v. 15. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt.* Denique Christus Matth. Cap. V. ait: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* Et Cap. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Lucae Cap. X. Legisperito, qui Christum interrogaverat, *Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?* postquam is mandata Legis recitasset, respondit Christus: *Recte respondisti: hoc fac, et vives.* Ergo promissiones Evangelicae de salute obtinenda non sunt absolutae, sed conditionatae, ut ipsi etiam Protestantes fateri coguntur, cum utique conditionem fidei admittant juxta illud Marci Cap. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Neque dicas cum Brentio Hom. I. in Dominicam XIII. post Trinit. Christum verbis illis, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, indicasse potius adolescenti viam ad aeternam damnationem: aut cum Calvino Lib. III. Institut. Cap. XVIII. et Luthero in Cap. III. Epist. ad Galatas, Christum ironice dixisse Jurisperito, *Hoc fac, et vives.* Haec enim quam impie, flagitiose ac stulte dicantur, nemo non videt. Ad *probat.* C. M. N. m. Praedicatio Apostolica dicitur *Evangelium*, seu bonus ac laetus nuntius, quia annuntiat Salvatoris adventum, reconciliationem humani generis cum Deo, aditum patefactum ad regnum coelorum, quamvis simul etiam an-

nuntiet iram et indignationem his, qui non recipiunt Salvatorem, neque poenitentiam agunt. Neque desiuit esse bonus nuntius, quod gravissima supplicia comminetur impiis; terret enim, ut ad poenitentiam perductos postea consoletur, eo fere modo, quo medicus vulnerat, ut sanet. Ad *confirmat.* R. I. Ergo promissio Evangelica conditionem fidei non requirit? R. II. N. C. Gratuitum et conditionatum sibi non opponuntur. Ipsa conditio fidei, poenitentiae, ac bonorum operum est gratuita, hoc est gratis, et ex mera liberalitate a Deo posita: atque ideo, quamvis promissiones Evangelii sint conditionatae, recte tamen vocantur etiam gratuitae.

CLXXVII. *Dices.* Si etiam in Lege evangelica requiruntur opera bona ad salutem, nullum dabitur discrimen inter Evangelium, et Legem veterem. Atqui hoc dici nequit. Ergo. R. N. M. Nam I. Doctrina veteris Legis erat inchoata et imperfecta; Evangelii vero perfecta, sive spectentur Mysteria fidei et promissiones, sive leges et mandata. In veteri Lege Trinitas Personarum et Incarnatio obscure significabantur: expresse bona temporalia, figurate vero regnum coelorum promittebatur. Caeremoniales leges erant propemodum infinitae etc. At vero in Lege Evangelica Trinitas Personarum, Incarnatio, aliaquae dogmata perspicue traduntur, regnum coelorum et vita aeterna disertis verbis promittitur: paucae caeremoniales leges, prioribus abolitis, subrogatae sunt, atque ut S. Augustinus ait Enarrat. in Psal. LXXIII. *Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Judiciales leges Christus non tulit, sed ferendas reliquit iis, qui variis in locis Rempublicam gerentes, pro rerum, personarum, ac temporum diversitate instituendas esse ju-

dicaverint; eoquod populus Christianus tam late per totum orbem diffusus, iisdem legibus judicialibus regi non potuerit, et gubernari, ut olim Judaei; cum tam diversa sint ingenia, mores, et consuetudines hominum. Morales leges et expressius leguntur in Evangelio, quae obscurius habebantur in Lege veteri: et majori perfectione sunt observandae a Christianis, ut patet ex Sermone Domini in monte *Matth.* Cap. V. II. Lex per Moysen data est, qui legislator tantum fuit: Evangelium vero per Christum, qui non legislator tantum fuit, sed etiam Redemptor. Hinc per Evangelium non solum doctrinam, sed etiam gratiam accepimus; ut non modo virtutes et vitia discerneremus, sed etiam ut justitiam diligeremus. Ex quo patet, bonorum operum necessitatem ad Evangelium maxime pertinere. Quorsum enim cum Evangelio gratiam bene operandi, et legis ipsius implendae Christus conjunxit, nisi ut, quod per litteram Legis Evangelicae discimus esse faciendum, id per Spiritum et gratiam impleamus? III. Lex Mosaica uni tantum genti data fuit; Lex Christi omnibus gentibus. IV. Lex vetus umbram et figuras rerum futurarum magna ex parte complectebatur; Evangelium vero ipsum corpus et veritatem exhibet. V. Lex Moysis, adveniente Christi Lege, mutanda erat; Christianae autem Legi nulla alia succedet. VI. Lex Moysis non habebat vim justificandi, neque data erat ut justificaret, sed ut morbum ostenderet, et ad quaerendum Medicum excitaret: Lex autem Christi, seu Evangelium, habet vim justificandi; non quasi littera sola Evangelii salutem afferre possit: sed quia Christus cum lege dedit etiam gratiam implendi legem. VII. Lex Moysis fuit lex timoris et servitutis; Evangelium lex amoris et libertatis, nimi-

rum a peccato morte aeterna, et jugo legis caeremonialis; quia Christus cum lege dedit etiam Spiritum, per quem in corde diffusa est charitas. VIII. Lex Moysis gravissima erat; at vero Evangelium Christi est jugum suave, et onus leve. Vide *Bellarminum* Lib. IV. de Justific. Cap. II. etc.

CCLXXVIII. *Objicitur III.* Authoritas Patrum. S. Chrysost. Hom. de Fide et Lege naturae scribit: *Eum qui operatur opera justitiae sine fide, non possum probare vivum esse: fidelem absque operibus possum monstrare et vixisse, et regnum coelorum assecutum esse. Nullus sine fide vitam habuit; latro autem credidit tantum et justificatus est.* S. Augustinus Lib. I. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. XXI. ait: *Quantaelibet fuisse virtutis antiquos praedices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris.* Et Lib. LXXXIII. Quaestionum, Quaest. LXXVI. *Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec praecedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit. nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* R. I. Quaenam circa bonorum operum necessitatem mens fuerit Chrysostomi et Augustini, luce meridiana clarius colligitur ex eorum textibus superius a nobis in probatione Conclusionis adductis Num. CCLXXIII. R. II. Chrysostomum nobis contrarium non esse; vult enim interdum fidem sine opere externo sufficere; numquam vero opus externum sine fide, quia fides parit opera salutaria, opera non pariunt fidem: idque exemplo boni Latronis comprobat, qui ob scelera sua cruci jam affixus in Christum credidit, sicque illa adhuc die cum Christo conjungi meruit ob excellentem fidem, quamquam non omnibus bonis operibus vacuus;

siquidem irrogatum sibi supplicium patienter toleravit, ac Christi Divinitatem publice professus est. S. Augustinus priori textu contendit, Justos illos antiquos, neque per naturae, neque per Moysis legem, sed per ipsam fidem in Christum esse salvatos: sicque fidem in Christum non opponit bonis operibus viribus gratiae elicitis; sed tantum legi naturali ac Mosaicae. Neque magis posterior illius locus Conclusioni nostrae adversatur. Fatemur enim baptizatos, si mox ex hac vita decedant, salutem aeternam consequi, non titulo mercedis, sed haereditatis; opera enim bona quamvis non habeant in actu, habent tamen in voto, et in habitu, eoquod charitate perfecta sint instructi.

CONTROVERSIA V.

DE ORATIONE.

Contra Messalianos, Pelagianos, Wickleffitas, Waldenses, Quietistas.

CCLXXIX.

Circa necessitatem orationis duo fuere oppositi Haereticorum errores: Saeculo IV. Adelphius, Hermias, et Messaliani, dicti etiam Euchitae, docebant, teste *Theodoreto* Lib. IV. Haereticarum Fabularum, jugem ac non interruptam orationem sufficere cuicumque homini ad consequendam vitam aeternam, seclusa quacumque alia virtute, etiam remotis Sacramentis, et spretis Dei et Ecclesiae mandatis: ita ut qui constanter orat, damnari non possit, etiamsi sit Judaeus, vel infidelis; solaque oratio vim habeat delendi omnia peccata. Contra Pelagiani, ut refert *S. Augustinus* Lib. de Haere-

sibus, Cap. LXXXVIII. orationem prorsus inutilem esse, nulliusque virtutis ac meriti apud Deum asserebant, precesque improbabant, quae fiunt ab Ecclesia praecipue in majori hebdomada pro perfidis Judaeis, et Infidelibus, ut Deus dignetur tollere velamen de cordibus eorum: item pro peccatoribus, ut convertantur, et pro justis, ut perseverent in sanctitate. Ratio illorum erat, quia juxta eorum principia ad salutem consequendam, aut ad peccatum vitandum, solum sufficit liberum hominis arbitrium, absque gratia Dei. Eadem fuit doctrina Albigensium Abailardi, Wickleffi et Hussi, qui diverso nitebantur fundamento. Albigenses quidem ideo, quia divinam providentiam res humanas curantem sustulerant: reliqui vero ideireo, quia omnia, sive bona, sive mala, necessitate absoluta ita evenire ajebant, ut non possint non evenire: ex quo consequebatur, Deum frustra orari. *Lutherus* quamvis ex instituto non negaverit necessitatem orationis, alicubi tamen adeo extulit solam fidem, et cognitionem propriae infirmitatis, ut non obscure indicaverit, habenti fidem non esse necessariam ullam orationem. In Concione de Dom. IV. Adventus, a Bucero anno 1525. Latine reddita scribit: *Cor quodlibet quanto hanc sui cognitionem habuerit perfectiorem, tanto ad illud Domino via paratior et instructior est: etiamsi interim homo nihil nisi vinum Creticum biberet, et ambularet super rosas, neque verbo quidem oraret.* Joannes Monhemius Theologus Lutheranus in suo Catechismo, Tract. de Orat. scribit, Deum id petentibus dare, quod etiam alias daturus esset, si non rogaretur. Ex quo sequitur, orationem non modo necessariam non esse, sed omnino supervacaneam.

CCLXXX. Novatiani, dicti etiam Cathari, seu mundi, quod superbe atque arroganter jactarent peculiarem quamdam animae munditiem, dicebant, illicitum esse orare pro se, aut aliquo alio in particulari, ac determinate, rati orationem debere esse communem, et pro omnibus. Atque hac de causa Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, nullam orationem, praeter Dominicam, admittebant, eoquod illa pro omnibus ad Deum fundatur. Notus est pariter Wickleffi Articulus, ordine XIX. inter proscriptos a Constantiensi Concilio. *Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, caeteris paribus.*

CCLXXXI. Eustathius Saeculo IV. asserebat, Templa nullius esse utilitatis: neque aliqua ratione prodesse in Ecclesia Deum orare; quapropter ea evertenda omnino, aut conspurcanda esse, omniaque sacra vasa pretiosa confringenda ac destruenda. Eustathii dementiam adoptarunt Faustus Afer, secta Manichaeus, et Waldenses, qui templum Dei mundum universum esse ajebant; adeo ut impium sit aedificare aliquam domum, in qua Dei Majestas coarctetur: ac denique Beguardorum progenies, Segarelli et Dulcini discipuli, qui Ecclesiam Deo consecratam aptiorem esse ad orandum negabant, quam stabulum porcorum.

CCLXXXII. Fanatici nostrorum temporum Quietistae Michaëlis de Molinos Hispani Presbyteri sectatores docent, orantibus, si perfectionis Christianae studiosi sint, nequidem beatitudinem, et virtutes quibus acquiritur, desiderandas aut petendas esse; sed omnia voluntati divinae sic permittenda, ut homo veluti passive se habeat, hoc est, paratus sit vel accipere, si De-

us ita velit, ut patet ex propositionibus Molinosii ab Innocentio XI. damnatis, praecipue ex XIV. *Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae. Et illud Evangelii, Petite et accipietis non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem. Immo ejusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

CCLXXXIII. *Conclusio I.* Sola oratio ad salutem non sufficit, neque continua requiritur. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quae plura nobis praescribunt ad obtinendam salutem. Joan. Cap. III. ait Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Matth. Cap. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* II. Petri Cap. I. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Prob. II. Authoritate Patrum, qui non solum orationem, sed alia etiam opera bona ad salutem exigunt, ut ostendimus Num. CCLXXIII. Prob. III. Ratione. Si Deus salutem nostram alligasset continuae ac jugi orationi, constituisset consecutionem salutis nostrae in mediis impossibilibus. Quis enim sine cibo, somno, ac potu vivit, aut dormiens etc. orat? Quis domus suae curam geret, si continua ac numquam interrupta oratione mens in Deo fixa est habenda? Actum plane et conclamatum foret de salute omnium hominum, atque evacuata esset passio Christi. Verum hic error rideri magis quam refutari meretur.

CCLXXXIV. *Dices Lucae* Cap. XVIII. Christus ait : *Oportet semper orare, et non deficere.* Et Apostolus I. ad Thessalon. Cap. V. *sine intermissione orate.* Ergo continua ac numquam interrupta oratio est necessaria ad salutem. R. C. A. N. C. Duplex est objecti textus expositio. Prima est S. Augustini Lib. de Haeresibus, Cap. LVII. Particula *semper* non denotat hic continuationem temporis, sed perseverantiam et constantiam in orando, donec exaudiamur, ita ut nulla dies absque oratione fluat. Qui enim singulis diebus, aut dum tempus est orandi, orat, dicitur semper orare. Et sane particulam *semper* in Scripturis hoc sensu quandoque usurpari, ostenditur ex lib. II. Regum, Cap. IX, in quo legitur David dixisse Miphiboseth Jonathae filio : *Comedes panem in mensa mea semper.* Quae verba profecto non denotant, Miphibosethum diu noctuque, absque physica interruptione, ibi comedisse, sed solum statis temporibus. Altera expositio est Sancti Thomae II. II. Quaest. LXXXIII. Art. XIV, qui jugem ac continuam ait praescribi orationem, non actu et secundum se ipsam; quod impossibile foret, cum aliis etiam operibus sit vacandum; sed secundum causam, et virtualiter, sive secundum desiderium charitatis; cujus desiderii virtus manet in omnibus, quae facimus ex charitate. Hinc S. Augustinus Epistola CXXX. alias CXXI. ad Probam ait: *In ipsa fide, spe, et charitate continuato desiderio semper oramus.* Eadem responsio datur ad textum Paulinum, et ad illud Psalmi XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.* Si enim verba haec intelligenda essent de oratione formali, eaque continua, S. David non dixisset Psalmo CXVIII. v. 62. *Media nocte*

surgebam ad confitendum tibi. Et eodem Psal. v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.*

CCLXXXV. *Conclusio II.* Oratio ad salutem est necessaria. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Lucae Cap. XVIII. ait Christus: *Oportet semper orare, et non deficere.* Matth. Cap. VII. *Petite, et dabitur vobis: quaerite et invenietis: pulsate, et aperietur vobis.* Matth. Cap. XXVI. *Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem.* Ad Ephes. Cap. VI. *Galeam salutis assumite; et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.* Ad Coloss. Cap. IV. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* I. ad Thessalon. Cap. V. *Sine intermissione orate.* Jacobi Cap. V. *Orate pro invicem ut salvemini.* Ergo oratio divino praecepto est necessaria.

CCLXXXVI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Chrysostomus Lib. I. de orando Deum, scribit: *Quemadmodum corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est, ac foetidum: sic anima nisi se ipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, et graviter olens.* S. Augustinus Enarr. in Psalm. CXVIII. Sermone XVII. *Cum quo ergo Deus facit suavitatem, id est, cui propitius inspirat boni delectationem; atque ut apertius id explicem, cui donatur a Deo charitas Dei, et propter Deum charitas proximi; profecto instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, ut non solum pro illo contemnat delectationes caeteras, sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones.* S. Gregorius M. Lib. XVIII. Moralium; Cap. III. *Corda cum manibus levant, qui orationem suam operibus roborant. Nam quisquis orat, sed operari desinit,*

cor tantum levat. Quisquis vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat. S. Cyprianus in Expositione Orat. Dominicae: *Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea, qua scilicet et caetera dare et conferre dignatus est: ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur.* Author librorum de Vocatione Gentium, Lib. II. Cap. ult. *Quamvis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur: cum implendae voluntatis Dei ita sit praeordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: et qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.*

CCLXXXVII. Prob. III. Ratione Theologica. Ex una parte fieri non potest, ut absque auxilio Dei vitam ducamus Christiano homine dignam, et Deo placentem; Christus enim Joan. Cap. XV. ait: *Sine me nihil potestis facere*; Et Apostolus II. ad Cor Cap. III. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex* Deo *est*: ex altera parte Deus auxilium suum non nisi petentibus, et orantibus promisit. Matth. Cap. VII. *Petite, et dabitur vobis.* Et Joannis Cap. XVI. *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Lucae Cap. XI. *Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se.* Ergo cum omnes teneantur salutem aeternam procurare, oratio est omnibus necessaria.

CCLXXXVIII. *Dices*: Oratio est inutilis ad consequendam salutem. Ergo non est necessaria. P. A. Ea-

tenus oratio utilis esse potest, in quantum manifestat alteri orantis indigentiam, ac desiderium, vel mutare potest ejus voluntatem. Atqui oratio, quae ad Deum dirigitur, neutrum praestare potest, cum Deus sit omniscius, et immutabilis. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* N. M, quae solum admittenda est, quando agitur de oratione, quae ad creaturas dirigitur; has enim oratione nostra docere, disponere, excitare, mutare contendimus, ut nobis bene velint, et faciant. At vero oratio ad Deum aliis de causis est nobis utilis. Nam I. oratione ad Deum edocetur homo, quanta sit ipsius infirmitas et indigentia: sicque verissimam sui cognitionem acquirendo, sibimet ipsi vilescit. II. Per orationem immutatur, disponiturque ad accipienda beneficia, quae Deus ab aeterno solis orantibus decrevit concedere.

CCLXXXIX. *Conclusio III.* Deus orantibus multa largitur, quae absque oratione non concederet. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Psal. CV. *Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.* Ergo Israelitae precibus Moysis ita ab ultimo exitio liberati sunt, ut, si Moyses non orasset, omnes interiissent. Matth. Cap. XVII. ait Christus discipulis interrogantibus, cur daemonium illud a corpore obsessi ejicere non potuerint: *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Ergo sine oratione et jejunio non liberantur obsessi a quibusdam daemoniis. Jacobi Cap. IV. *Non habetis, propter quod non postulatis; petitis, et non accipitis: eoquod male petatis.* Ergo bene petentes accipimus, quod male petentibus denegatur. Prob. II. Authoritate S. Augustini, qui Lib. de Dono perseverantiae, Cap. XVI. scribit: *Constat, Deum alia danda etiam non*

orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam. Prob. III. Ratione Theologica. Si Deus petentibus daret id, quod etiam non petentibus concederet, supervacaneae forent orationes nostrae, frustraque juberet nos orare, ne intremus in tentationem,

CCXC. *Dices*. Si Deus quaedam beneficia orantibus concedit, quae alioquin non esset concessurus, mutaretur divina providentia. Atqui id dici nequit. P. M. Deus ab aeterno statuit praedestinatos salvare. Ergo si nunc non orantes salvare nollet, mutaretur divina providentia. R. N. M. Ad *probat*. C. A. N. C. Sicut Deus statuit ab aeterno praedestinatos salvare: ita etiam statuit, ut praedestinati per bona opera et orationem salutem suam operentur. Quod si quis orationem penitus negligeret in tempore, numquam ille ab aeterno fuisset praedestinatus. Ut paritate utamur, res haec in temporalibus etiam beneficiis Sole meridiano clarior est. Etiamsi Deus ab aeterno decreverit, quos fructus, et quantos accedente hominis industria cultura agrorum et vinearum nobis dare velit; nemo tamen sanae mentis inficias ibit, laborem nostrum necessarium esse, aut divinam providentiam idcirco mutari asseret, quod homo agros et vineas colat.

CCXCI. *Conclusio IV*. Licitum et honestum est orare non pro omnibus in genere tantum, sed etiam in specie pro aliquo determinato. Probatur Conclusio apertis Scripturarum testimoniis. Job. Cap. XLII. Deus *dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos. — — Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus susci-*

piam, ut non vobis imputetur stultitia. Baruch. Cap. I. *Et orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, et pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies coeli super terram.* Apostolus fidelium preces saepius pro se imploravit. Ad Rom. Cap. XV. *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Ad Coloss. Cap. IV. *Oratione instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis.* I. ad Timoth. Cap. II. jubet orari pro Regibus, et Magistratibus in particulari. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Act. Cap. XII. dicitur: *Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Ipse Christus Dominus Lucae Cap. XXII. peculiariter pro Petro oravit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et pro Apostolis Joann. Cap. XVII. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt.* Denique pro crucifixoribus suis Lucae Cap. XXIII. *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Latronem etiam pro se rogantem Lucae Cap. XXIII. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, pro infinita bonitate sua exaudivit, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Mirum itaque non est, Ecclesiam Sanctosque viros exemplis his institisse semper, atque etiamnum insistere, precesque Deo offerre

non pro omnibus in genere tantum, sed etiam pro aliquibus speciatim.

CCXCII. *Dices.* Oratio efficax debet proficisci ex perfecta charitate. Atqui oratio quae fit pro aliquo speciatim ac determinate, non proficiscitur ex perfecta charitate. Ergo non est efficax. P. m. Charitas perfecta neminem excludit, sed omnes complectitur. Ergo. *Confirmat.* I. Oratio Dominica tota est generalis; neque enim dicitur: *Pater mi, qui es in coelis – panem meum da mihi – et ne me inducas in tentationem*, sed *Pater noster – panem nostrum da nobis hodie – et ne nos inducas etc.* Atque ideo S. Cyprianus, S. Ambrosius, et S. Chrysostomus meliorem esse orationem generalem dicunt; quam specialem. Ergo non licet pro aliquo in specie orare: quia sic orando peteremus aliquid, quod in Oratione Dominica non continetur. *Confirmat.* II. Communitas praeferenda est singularitati. Ergo Oratio generalis praeferenda est speciali. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Omnes complectitur, ita tamen, ut unum alteri praeferat pro ratione indigentiae, vel ex motivo gratitudinis, C. A. Ut hoc non fiat, N. A. et Conseq. Quando pro aliquo in specie oramus, neminem positive excludimus; neque petimus, ut oratio nostra nemini prosit, praeterquam illi pro quo ea peragitur; sed speciale auxilium ac juvamen illi impetrare conamur, futuri minime inviti, si omnibus prosit oratio nostra. Ad *confirmat.* I. C. A. N. C. et rationem additam. Speciatim pro aliquo orantes, neque aliud, neque proprie alio modo petimus, quam Christus in Oratione Dominica nos jusserit petere; sed generalem illam orationem applicamus dumtaxat particularibus personis: quod fieri posse tum Christus ipse, tum Apostoli exemplo suo

nos docuerunt, ut patet consideranti Scripturarum loca a nobis in probatione allata. Patres citati volunt orationem generalem utiliorem esse aliis, atque ipsi etiam oranti, prae oratione speciali; quia dum singuli orant pro omnibus, sequitur ab omnibus orari pro singulis, nisi ordinata charitas; nimirum gravior alterius indigentia, aut debitum gratitudinis specialem exigant orationem. Ad II. *confirmat.* D. A. Si eodem tempore necessitas aequalis occurrat, C. A. Si inaequalis occurrat necessitas, ac particularis persona in majore discrimine versetur, N. A. et Conseq.

CCXCIII. *Conclusio V.* Oratio etiam privata, recte peragitur in Templis, utpote loco aptissimo ad orandum, et decentissimo. Prob. I. Authoritate Scripturarum. II. Paralipom. Cap. VI. ait Salomon in dedicatione Templi Jerosolymitani ad Deum: *Sed ad hoc tantum facta est* (Domus ista) *ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus: et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te: ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel.* Ipse Deus II. Paralipom. Cap. VII. ait: *Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.* Ecclesiastici Cap. ult. *Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea. Ante Templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam.*

Matth. Cap. XXI. ipse Christus ait: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* De Anna filia Phanuelis dicitur Lucae Cap. II. *Non discedebat de Templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.*

CCXCIV. Prob. II. Authoritate Patrum. *Tertullianus* in Apologetico, Cap. XXXIX. dicit, in Ecclesiam conveniri ad orationem, lectionem, et exhortationem. *S. Basilius* in Quaestionibus fuse explicatis, Quaest. XL. scribit, ad Ecclesias non oportere accedere propter negotia saecularia, sed orationis gratia. *S. Ambrosius* in Orat. de tradendis Basilicis ait, se quotidie solitum ire ad Basilicas Martyrum orationis gratia. S. Chrysostomus Hom. XXX. contra Anomaeos: *Orare, inquit, vel domi possumus: te homo decipis, et magno in errore versaris: nam etsi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia.* S. Hieronymus in Epitaphio Marcellae scribit: *Apostolorum et Martyrum reliquias secretis celebrat orationibus.* Patres Concilii Gangrensis Saeculo IV. Can. V. inquiunt: *Siquis docet, domum Dei contemptibilem esse, et conventus qui in ea celebrantur, anathema sit.* Et Can. VI. *Si quis extra Ecclesiam seorsum conventus celebrat, et despiciens Ecclesiam, ea quae sunt Ecclesiae, voluerit usurpare, -- anathema sit.*

CCXCV. Prob. III. Ratione, eaque multiplici. I. Deus speciali modo habitat in Templis, tamquam in domo sua. II. In Templis citius exaudit orationes nostras, ut patet ex promissione Dei facta Salomoni II. *Paralipom.* Cap. VII. III. Templum cum sit Deo consecratum, est locus nobilissimus. IV. In Templo omnia accommodata sunt ad excitandam devotionem.

CCXCVI. *Dices.* Christus Matth. Cap. VI. ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum.* II. Joannis Cap. IV. ait ad Samaritanam: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. - - - Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare.* III. Apostolus I. ad Timoth. Cap. II. ait: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Ergo Templum nullam habet specialem aptitudinem ad orandum prae alio loco. R. C. A. N. C. I. locus non intelligendus est de cubiculo materiali, sed spirituali, seu fuga inanis gloriae; carpit enim ibi Christus Pharisaeos, qui in angulis platearum orabant, ut viderentur ab hominibus: docetque per orationes nostras non quaerendam esse humanam laudem, sed ut soli Deo placeamus. Si vero de materiali cubiculo verba illa intelligenda esse quis contendat, Respondeo, Christum non absolute, sed comparative loqui: praestare nimirum orationem humilem factam in secreto et decenti loco, remotis arbitris, quam factam in loco publico, atque in ipso etiam Templo ad quaerendam humanam laudem, et ambitionis gratia. Ad II. R. Christum non loqui ibi de adoratione, ratione loci, cum Petrus et Joannes etiam post adventum Spiritus Sancti in Templum Jerosolymitanum ascenderint ibidem oraturi; sed ratione modi et ritus, quo utebantur Judaei et Samaritani. Sensus igitur verborum Christi est, temporibus novae Legis Deum non adorandum amplius esse ritibus tantum externis, et umbraticis caeremoniis, sed in interna et spirituali cognitione, et dilectione Dei, in corde contrito et humiliato. Ad III. R. locum illum nobis potius favere. Loquitur enim ibi Apostolus de oratione publica, ad quam convenire vult fideles in omni

loco, non in una tantum urbe, et Judaei Jerosolymis, sed in omni loco precibus publicis dicato, id est in Ecclesiis, levantes ad Deum manus puras a sorde peccati. Quod si etiam adversariis concederetur, Apostolum loqui de oratione privata, plus ex eo textu exsulpere non possent, quam non solum in Ecclesia, quae praecipua est domus orationis, sed etiam in omnibus aliis locis licitum esse orare Deum.

CCXCVII. *Conclusio VI.* Quaedam determinate a Deo peti debent, ut vita aeterna, eaque quae ad illam obtinendam conducunt. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Psal. XXVI. dicitur: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* Psal. LXXIX. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Psal. CXVIII. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Isaiae Cap. XLV. *Rorate Coeli desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Joan. Cap. XIV. *Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Christus ipse Matth. Cap. VI. docuit Apostolos omnesque homines, salutem aeternam, eaque quae ad illam conducunt, determinate a Deo petere. *Sic vos orabitis: Pater noster -- Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra etc.* Ergo, cum juxta S. Cyprianum in Expositione Orat. Dominicae, non ignorantia solùm, sed etiam culpa sit aliter orare quam Christus docuit, certum est petendam esse a Deo tum aeternam salutem, tum ea quae ad illam conducunt. II. Authoritate Ecclesiae, quae a Spiritu Sancto instructa, et Christo desponsata, multa determinate a Deo petit. Hac autem oculatiorem se, aut

perfectiorem nemo sanae mentis dicet: III. Empraxi fidelium, et Sanctorum. IV. Ratione. Deus, quantum est in se, serio vult omnes homines salvos fieri, jubetque ut mandata servemus. Ergo vult nos velle salutem nostram, et mandatorum custodiam. Ut enim S. Augustinus scribit Lib. de Natura et Gratia, Cap. XLIII. *Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis.*

CCXCVIII. *Dices I.* Qui petit a Deo aeternam beatitudinem, non est indifferens circa salutem, vel damnationem suam. Atqui qui ita indifferens non est, charitatem non habet perfectam. Ergo. P. m. Charitas perfecta est charitas pura. Ergo excludit proprium interesse. P. C. Charitas perfecta et pura, qua Moyses et Paulus prosequebantur populum Judaicum, proprium ipsorum excludebat interesse: Moyses enim Exodi Cap. XXXII. ad Deum ait: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Apostolus ad Rom. Cap. IX. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus.* Ergo multo magis charitas erga Deum excludit proprium interesse, sive propriam utilitatem. R. C. M. N. m. Praeceptum spei obligat omnes viatores quantumvis perfectos ad actus spei eliciendos. Ergo indifferentia, quam somniant fanatici hi novi Mistici, est prorsus commentitia. Et profecto nullus negabit, hominem perfectum, absque ullo perfectionis suae detrimento, posse velle ac desiderare proximo beatitudinem aeternam, quatenus summum ejus bonum est, quia eam diligit propter Deum. Ergo etiam homo perfectus, absque ulla perfectionis suae detrimento, potest sibi velle beatitudinem aeternam, quatenus suum summum bonum est, quia

se ipsum ordinate diligit propter Deum. Ad *probat.* C. A. N. C. Charitas pura non consistit in exclusione proprii interesse supernaturalis, ultimate ad Dei gloriam relati, sed in eo, quod Deum non colamus, nec amemus propter bona temporalia, nec praecipue ac principaliter propter mercedem aeternam; immo quod illam velimus propter Deum, ut per eam Deus, propter se super omnia dilectus, magis glorificetur. Ad hujus *probat.* N. A, quod non probant textus citati. Utraque enim illa locutio est figurata, et hyperbolica, quod de materia sit impossibili; fieri enim non potest, ut Deus quem semel praedestinavit, postea reprobet: et vehementissimum indicat affectum, quo uterque populum suum complectebatur.

CCXCIX. *Dices II.* Apostolus ad *Rom.* scribens Cap. VIII. ait: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Ergo nihil determinate a Deo petendum est, qualecumque illud sit. R. Nescire nos quandoque quid a Deo petendum sit; at non semper. Aeternam beatitudinem, remissionem peccatorum, observantiam mandatorum, majorem Dei gloriam, auxilium congruum et efficax absolute a Deo petere debemus; bona vero temporalia, et caetera praesentis vitae subsidia non nisi conditionate postulanda sunt, non propter se, et ut bona per se delectabilia; sed duntaxat ut media utcumque necessaria, et propter vitam aeternam appetibilia. Atque in his locum habet illud Apostoli: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Cum enim bona temporalia sint ex natura sua indifferentia, et prodesse nobis possunt, et nocere, si illis abutamur. Quare si illa absolute petamus, merito timendum est, ne Deus iratus concedat nobis obfutura, quae placatus denegaret.

CCC. *Dices III.* Bona temporalia neque absolute, neque conditionate a Deo petenda sunt. Ergo. P. A. Oratio est mentis ascensus in Deum; appetitus vero temporalium est descensus ad inferiora. Ergo bona temporalia non possunt esse materia orationis. *Confirm.* In quarta petitione Orationis Dominicae nomine *panis* intelligunt Patres solum panem spiritualem, ita *S. Hieronymus* in Cap. VI. Matth. et in Cap. II. Epist. ad Titum. *S. Ambrosius* Lib. V. de Sacramentis, Cap. IV. *S. Cyrillus Jerosol.* Cathechesi mystagogica V. *Cassianus* Collat. IX. Cap. XXI. et XXIV. *S. Petrus Chrysologus* in Serm. de Orat. Dom. In septima vero petitione per *malum* Graeci Patres intelligunt diabolum, quibus ex Latinis adhaerent *S. Ambrosius*, *S. Chrysologus*, *Cassianus*. *Tertullianus* vero Lib. de Oratione, Cap. VI. et *S. Augustinus* Epist. CXXX. alias CXXI. ad Probam intelligunt malum culpae, sive peccatum. Ergo ex Oratione Dominica inferri nequit, temporalia esse a Deo petenda. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Appetitus temporalium est mentis descensus, si temporalia propter se appetantur, C. A. Si propter vitam aeternam, N. A. et Conseq. Qui media quaerit ad vitam aeternam consequendam, aliud non intendit, quam ipsam vitam aeternam, sicque affectu deorsum non trahitur. Ad *confirm.* R. Sententia Patrum communissima est, Tertulliani, S. Cypriani, S. Gregorii Nysseni, S. Augustini in Enchiridio, Cap. CXV. Bedae, Theophylacti etc. nomine *panis* intelligi debere alimenta et subsidia necessaria ad vitam tam animae quam corporis sustentandam; quamquam solus panis spiritualis principaliter et primaria intentione petendus sit. Pariter S. Cyprianus, S. Augustinus, Ven. Beda, aliique Patres nomine *mali* in-

telligunt res omnes malas, ac potissimum praesentis vitae calamitates, in quas propter peccata incidimus: quibus suffragatur Ecclesiae authoritas, quae verbis illis, *Libera nos a malo*, subjungit in Canone Missae; *Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus, et futuris, - - - ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.*

CONTROVERSIA VI.

DE HORIS CANONICIS.

Contra Hilarum, Waldenses, Wickleffum, Thaboritas, Protestantes.

CCCI.

Officium Divinum est certa ratio publice laudandi precandique Deum mente simul et voce, authoritate Praesulum Ecclesiae instituta. Dicitur I. *Certa ratio*, quia non quaelibet Dei laudatio est Officium divinum, sed certa quaedam forma et ordo Psalmorum, hymnorum, et precum, quem omnes sequi debent, qui divinum Officium ex obligatione persolvunt. II. *Publice*, quia nomine totius Ecclesiae, pro bono communi, per publicos Ministros, nempe Clericos et Monachos persolvitur. III. *Laudandi precandique Deum*, laudandi nimirum pro beneficiis acceptis, pro accipiendis vero precandi Deum, cui soli proprie divinum Officium offertur. Atque in hoc Ecclesiae triumphantis officium differt ab officio Ecclesiae militantis, quod triumphans post alti-

mi judicii diem Deum sit tantum laudatura, Militans vero, praeter Dei laudem, pro accipiendis etiam beneficiis oret. IV. *Mente simul et voce.* Voce, quia recitatio Officii divini debet esse actus externus: mente; quia sola vox sine mente nec Deum laudat, nec gratias impetrat, quin immo Deum ad iracundiam magis provocat. V. *Authoritate Praesulum Ecclesiae instituta*; quia Ecclesiae Praesulum est certam orandi formulam praescribere. Hinc Milevitanum II, vel potius Carthaginense anno 418. Can. XII. statuit: *Placuit etiam illud, ut preces, vel orationes seu missae, quae probatae fuerint in Concilio, sive praefationes, sive commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur. Nec aliae omnino dicantur in Ecclesia, nisi quae a prudentioribus tractatae, vel comprobatae in Synodo fuerint. Ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.*

CCCII. Porro varia nomina Officio divino imposita fuerunt a fidelibus. *Horae canonicae* dicuntur, quia certis horis recitari debent juxta Canones et regulas Sanctorum Patrum. *Breviarium*, quia tamquam in nuce Ilias tum selectissima Scripturarum et Patrum loca, tum ea omnia continentur, quae nobis facienda sunt. Alii eum *S. Columbano* in Reg. Cap. VII. *S. Bonifacio* Moguntino Epist. XVII. *S. Gregorio Turonico* Lib. I. de Gloria Martyrum, Cap. XI. horarias preces *cursum divinum* dixerunt, vel a cursu Solis desumpto vocabulo, vel quia legendo et cantando percurruntur. A Graecis officium *Canon* vocatur: item *Synaxis*, seu congregatio; quia ad psallendum colliguntur in unum, quibus id muneris demandatum fuerit. In Concilio Agathensi Can. XXX. *Missa* nuncupatur, ab aliis *Psalmo-*

dia, *Agenda*, *Solemnitas*, atque a S. Benedicto in Reg. Cap. XLIII. et XLVII. *Opus Dei*, quasi per antonomasiam.

CCCIII. Novatores, quibus solemne est verbum Dei spernere, et Ecclesiae authoritatem convellere, temperare sibi non potuerunt, quin horas quoque Canonicas, modumque eas publice decantandi improbarent. De Paulo Samosateno Antiochiae Episcopo Patres Antiochenae Synodi apud Eusebium Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XXIV. in Epistola sua Synodica ad omnes totius orbis Episcopos scribunt: *Porro quid vobis in memoriam revocemus, quemadmodum Psalmos et cantus, qui ad Domini nostri Jesu Christi honorem decantari solent, tamquam recentiores, et a viris recentioris memoriae editos exploserit: et in media Ecclesia, solemni Paschatis die, mulieres, quae inanes cantilenas, quas si quisquam audiret, plane exhorresceret, in ipsius laudem funderent, pararit?* Vigilantius non totum quidem Officium Ecclesiasticum, sed nocturnas vigilias fidelium reprehendebat, ut patet ex Epistola S. Hieronymi ad Riparium: *Quod dicis eum execrāri vigilias, facit et hoc contrā vocabulum suum, ut velit dormitare Vigilantius, et non audiat Salvatorem dicentem sic: Non potuistis una hora vigilare mecum?* Waldenses ajebant, tempus frustra teri in dicendis horis Canonicis: improbabant illarum ordinem, atque obligationem illas recitandi tam in Choro, quam extra illum, rati nullum hominem adstringi debere ad orandum; eoquod oratio, ut Deo placeat, libera esse debeat ac voluntaria. Qua in re consentientes habuere Thaboritas in Bohemia, et Joannem Wickleffum in Anglia, qui usum horarum Canonicarum prudentem non esse, atque obligationem

illas recitandi contrariam esse Christianae libertati contendebat. Martinus Lutherus Lib. de forma missandi, horas Canonicas vocat *simulatum Dei cultum*; utque nihil commune cum Ecclesia Catholica se habere ostenderet, alias ipse instituit, sed brevissimas, et ordine perverso. Centuriatores Magdeburgici Centuria VI. de Pelagio I. loquentes, ajunt: *Notis Antichristi hic quoque insignis fuit; nam constituit ut Clerici quotidie Canonicas horas septies cantarent.* At vero quid hoc convicio insulsum magis aut puerile? Numquid Antichristus, qui juge sacrificium auferet, ut Daniel testatur, officium instituet statis horis laudandi Deum?

CCCIV. Cantum Ecclesiasticum, qui in publica Officii divini recitatione adhibetur, insectatus est Hilarus, de quo S. Augustinus Lib. II. Retractationum, Cap. XI. scribit: *Hilarus quidam vir tribunitius laicus Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem coeperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione ubicumque poterat lacerabat, asserens fieri non oportere.* Eumdem errorem postea secuti sunt Henriciani, Petrobrusiani, Waldenses, et Wickleffus, qui Clericos et Monachos in Templo canentes Sacerdotibus Baal comparandos esse impie asserebat; quia sic clamare videntur, ac si Deus dormiens eos non audiret, nisi inconditis eorum vocibus excitaretur. Centuriatores Magdeburgici, maledicendi libidine Wickleffo supparres, Cent. IX. Cap. VI. Sacerdotes Catholicos pari petulantia Baaliticos vocant. Sed mirum est cantum Ecclesiasticum ab illis reprobari, cum apud Protestantes non

Minister tantum, sed etiam populus magno clamore in Templis canant. Ex ipsis Protestantibus aliter hac de re sensit Illustris Vir *Christianus Wolffius*, qui in Institutionibus Juris naturalis Paragr. CLXXVI. hanc ponit conclusionem: *Ad hymnos componendos et canendos ipsa lege naturali obligamur.*

CCCV. *Conclusio I.* Horarum Canonicarum usus, ab Ecclesia ministris publicis praescriptus, saluberrimus est, antiquissimus, Deoque gratissimus. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Psalmo CXVIII. dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi. – – Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psal. V. *Mane exaudies vocem meam, mane adstabo tibi, et videbo.* Psal. LIV. *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.* Hora III. Apostoli acceperunt orantes Spiritum Sanctum. *Act.* Cap. II. Hora VI. Petrus ascendit in superiorem aedium partem, ut orationi vacaret. *Act.* Cap. X. Hora IX. Petrus et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam. *Act.* Cap. III. Apostolus ad Ephesios Cap. V. ait: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.*

CCCVI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus in Exposit. Orat. Dominicae scribit: *Sed nobis, Fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur. – – Recedente item sole, ac die cessante necessario rursus orandum est.*

Nam quia Christus sol verus est, et dies verus, sole ac die saeculi recedente quando oramus et petimus, ut super nos veniat denuo lux, Christi precamur adventum, lucis aeternae gratiam praebiturum. S. Basilius in Regulis fusius disputatis ad Interrogationem XXXVII. omnium VII. horarum facit mentionem. S. Hieronymus Epist. XXII. ad Eustochium: *Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat. -- Nocibus bis terque surgendum.* S. August., aut quicumque alius Serm. LV. de Tempore, nunc CXL. in Appendice *Rogo vos, ad Vigilias maturius surgite; ad tertiam, ad sextam, ad nonam ante omnia convenite.* S. Chrysostomus Hom. XIV. in I. ad Timotheum, describens Monachorum consuetudinem, *Ante lucem*, inquit, *cum gallus vocem dederit, omnes statim cum reverentia somnum deponentes exurgunt, excitante eos praelato, et consistunt sanctum constituentes chorum, et statim manus extendentes sacros hymnos decantant.* S. Benedictus in Regula, Cap. XVI. *His horis referamus laudes Creatori nostro, Matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespere, completorio, et nocte surgamus ad confitendum ei.*

CCCVII. Prob. III. Ex praxi Fidelium primorum saeculorum, cujus testes sunt, non modo Patres paulo ante laudati, verum etiam ipsi Scriptores Ethnici. *Plinius* junior Lib. X. Epist. XCVII. ad Trajanum Imp. de Christianis scribit, quod soliti essent stata die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum ipsis. *Lucianus* Samosatenus, cognomento Atheus, in Philopatore Dialogo Christianos irridet, ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes. Ipse *Julianus* Apostata, teste *Hermia Sozomeno* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XV. et Cassiodoro in Historia tripartita Lib. VI. Cap.

XXIX. *Considerans Christianismum ex vita bona et conversatione consistere, studuit ubique templa Paganorum constructione et ordine Christianae religionis ornare, sedibus atque processionibus, paganorumque dogmatibus atque monitionibus. Lectores suae superstitionis instituit instar Clericorum, ut et horas certas, et dies orationum solemniter observarent.* Certe tanta fuit jam ante multa saecula, praecipue inter Monachos, psallendi contentio, ut cum viri Sanctissimi probe agnoscerent, singulos non posse tota die insistere cantandis Dei Laudibus, magnum numerum Servorum Dei in una Ecclesia congregarint, qui in plures turmas distributi, sibi invicem succederent, ut diu noctuque laudes divinae in eadem Ecclesia numquam interrumperentur. Tale erat institutum Acoemetarum Monachorum, Agaunensium, Centulensium, Cabilonensium, Sandionysianorum, Luxoviensium, Habendensium, Laudunensium etc.

CCCVIII. Prob. IV. Ratione. Ex una parte nihil omnino est in toto hoc instituto Horarum Canonicarum, quod jure a Novatoribus reprehendi queat: ex altera parte Ecclesia ad denotanda praecipua Religionis nostrae mysteria, tempora Horarum congrue distribuit, ut ex veteribus illa explicant *Rabanus Maurus* Lib. de Institutione Clericorum, *Amalarius*, *Rupertus Tuitiensis* et *Hugo Victorinus* in Libris de Officiis Ecclesiasticis; ex recentioribus *Bonartius* de Horis Canonicis, et *Card. Bona.* Lib. de Psalmodia divina. Ergo Praeter alias rationes hujus institutionis horarum, quas videre est apud *Card. Bona* lib. cit. Cap. II. SS. PP. Athanasius, Basilius, Cassianus etc. assignant memoriam redemptionis nostrae; praecipua enim redemptio-

nis nostrae mysteria his horis completa esse noscuntur. Hora Vespertina, a qua Officium Ecclesiasticum initium sumit, Christus coenam cum Discipulis suis fecit, Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum instituit, de Cruce depositus, et sepulcro illatus est. Hora completorii, post orationem in horto, et sanguineum sudorem, a Judaeis captus est. Hora matutina initium est a sacerdotibus et Judaeis consilium perdendi Christum. Sub auroram Christus a mortuis surrexit. Hora prima ductus est ad Pilatum. Hora tertia descendit Spiritus Sanctus super Apostolos. Hora sexta Christus crucifixus est. Hora nona Spiritum emisit.

CCCIX. *Conclusio II.* Consuetudo canendi in Templis Horas Canonicas antiquissima est, justissimisque de causis ab Ecclesia introducta. Prob. 1. Exemplo Sanctissimorum virorum, qui in divinis Scripturis commendantur. Psalm. CL. dicitur: *Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus.* Act. Cap. XVI. *Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum: et audiebant eos, qui in custodia erant.* Ubi in Graeco textu legitur, *hymnos decantantes.* Ad Coloss. Cap. III. *Docentes et commonentes vosmet ipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus.* Matth. Cap. XXVI. Christus et Apostoli finita coena, *et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Hymnus autem Graeca vox Latine sonat *canticum.* Unde S. Augustinus Enarratione in Psal. LXXII. scribit: *Hymni, laudes sunt Dei cum cantico. Hymni cantus sunt continentes laudem Dei. Si sit laus, et non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus, et Dei laus, et*

non cantetur, non est hymnus. Oportet Ergo ut si sit hymnus, habeat haec tria, et laudem, et Dei, et canticum.

CCCX. Prob. II. Authoritate Conciliorum, ex quibus praxis Ecclesiae manifeste dignoscitur. Laodicenum Can. XV. juxta versionem Dionysii Exigui, ita statuit: *Quod non oporteat amplius praeter eos qui regulariter cantores existunt, qui et de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, et in Ecclesia psallere.* Carthaginense IV. Cap. X. *Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione, Presbyteri officium cantandi suscipere, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas: et quod ore credis, operibus comprobes.* Agathense in Gallis A. R. 506. celebratum Can. XXX. ait: *Et quia convenit ordinem Ecclesiae ab omnibus aequaliter custodiri, studendum est, ut sicut ubique fit, et post Anthiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur, et hymni matutini vel vespertini decententur diebus omnibus, et in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de Psalmis dicantur: et plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur.* Toletanum IV. anno 633. Cap. XIII. *De Hymnis canendis et Salvatoris, et Apostolorum habemus exemplum.*

CCCXI. Prob. III. Authoritate Patrum. *Ignatius Antiochiae*, ut refert Socrates Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. VIII. *quae in Syria, tertius a Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multum versatus est, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium: et formam canendi in ea visione expressam Ecclesiae Antiochenae tradidit. Unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.*

S. Hilarius in Psalm. LXV. ait: *Audiat orantis populi, consistens quis extra Ecclesiam, vocem: spectet celebres hymnorum sonitus.* S. *Ambrosius* in Orat. de tradendis Basilicis, adversus Arianorum calumnias cantum Ecclesiasticum hymnosque suos defendit. S. *Augustinus* adversus Hilarum librum conscripsit, ut ipse testatur Lib. II. Retractat. Cap. XI. qui tamen injuria temporum periit. S. *Hieronymus* in Vita B. Pauli Eremitae scribit, S. Antonium Abbatem, quamvis solus esset, Pauli exequias celebrasse, psalmos atque hymnos cantando juxta Christianam traditionem. S. *Chrysostomus*, teste *Socrate* Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. VIII. cantum Ecclesiasticum auxit et ornavit. *Rufinus* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XXXV. narrat, translationem S. Babylae Martyris hymnos inter ac psalmos a frequentissimo populo Antiocheno decantatos factam fuisse, inspectante atque indignante impio Juliano Apostata Imperatore.

CCCXII. Prob. IV.ª Ratione. Cantus Ecclesiasticus plurimas easque eximias affert utilitates. Nam I. accendit audientium animos ad pietatem. Testem adducimus S. Augustinum, qui Lib. IX. Confessionum, Cap. VI. scribit: *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum, et aestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis.* Et Lib. X. Cap. XXXIII. *Cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantum Ecclesiae tuae in primordiis recuperatae fidei meae - - - - magnam instituti hujus utilitatem agnosco.* II. Adhibito cantu facilius atque lubentius laudes Deo persolvuntur, sine taedio, immo cum voluptate. III. Hac ratione omnibus ostendimus,

non erubescere nos fidem nostram, cum illam cantu et versibus palam celebrare ac commendare non dubitemus. IV. Perfectum sic omni ex parte redditur obsequium Deo; dum et animo ardentissimis votis, et corpore elata voce laudes ejus celebrare contendimus.

OBJECTIONES.

CCCXIII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Abusus Horarum Canonicarum. Usus officii divini multos continet abusus. Ergo nequit esse Deo gratus. P. A. I. In Ecclesia Catholica horae Canonicae recitantur, ut merito hujus operis mitigetur ira Dei, utque peccata expientur. II. Non recitantur lingua vernacula, sed Latina, a rudi populo non intellecta; qui idcirco caret solatio Scripturarum, nec vocem suam conjungere potest cum voce Ministrorum Ecclesiae. III. Id officii solis Clericis et Monachis demandatur, exclusis laicis, qui tamen primis saeculis ad recitandas divinas laudes admittebantur. IV. Multa recitantur, quae in Scripturis non continentur, ut v. g. Hymni, Homiliae Patrum, Vitae Sanctorum. V. Clerici et Monachi obligantur ad recitandas Horas Canonicas: quod Christianae libertati repugnat, et naturae orationis, quae libera esse debet. R. N. A. Ad I. R. Horas Canonicas praecipue recitari ad laudandum Deum; quamvis pia hac precatione et veniam delictorum promereri, et poenas peccatis nostris debitas avertere studeamus: quod reliquis etiam piis operibus, praecipue orationi commune est. Ad II. R. justissimis de causis id fieri, quas enumeravimus Tractatu II. Num. CCXXXIV. et sequent. Ecclesia Latina semper usa est in recitatione Officii di-

vini lingua Latina; Graeca semper idiomate Graeco, quamvis populi diversissima haberent idiomata, apud quos Ecclesiae temporibus Apostolorum fundatae sunt. Neque asserere quis verisimiliter potest, psalmos et alias orationes versas fuisse ab Apostolis in omnes linguas earum gentium, quibus illi Evangelium promulgaverunt. Rudes tamen ideirco solatio Scripturarum non carent, quas in concionibus sacrisque allocutionibus a Ministris Ecclesiae explicari sibi audiunt, majori certe fructu, quam si ipsi Scripturas diu noctuque volverent, ac minore periculo, ex ignorantia et imbecillitate humani intellectus in noxios errores labendi. Ad III. R. Quamvis omnium fidelium sit privatim orare; proprium tamen est Ministrorum Ecclesiae pro populo publice Deum deprecari. Exemplum habemus Ecclesiae utriusque Testamenti. I. Paralipom. Cap. XV. *Dixit David Principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores.* Et Cap. XVI. *Constituitque coram Arca Domini de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel.* Act. Cap. VI. soli Apostoli munus suum proprium ac peculiare esse duxerunt, verbo Dei et orationi sine intermissione instare. *Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Neque verisimile est, priscis temporibus inconditam multitudinem voces incompositas in decantandis horis Canonicis junxisse; unde nec decor, nec ordo qui praecipitur, valent expectari? cum tamen omnia honeste, et secundum ordinem fieri praecipiat Apostolus I. ad Cor. Cap. XIV. Multo minus probabile est, mulieres cum viris in Ecclesia, saltem ordinarie, cecinisse, quas tacere l. c. v. 34. jubet Apostolus. Et quamquam nostris temporibus

laicis omnibus integrum foret Officium divinum cum Ecclesiae ministris decantare; facile tamen huic privilegio renuntiarent, aut certe, ob Gregoriani cantus et rubricarum ignorantiam, ad risum magis quam ad pietatem adstantes excitarent. Ad IV. R. id nullam ab surditatem involvere; perinde enim est, quibus verbis laudetur Deus, modo pie et decenter id fiat, neque in ipsa oratione error contineatur. Hinc Toletanum IV. anno 633. Cap. XIII. excommunicationis poenam in eos tulit, qui Ecclesiasticos hymnos propterea respuant, quod humano studio sint compositi; secus, ut observant Toletani Patres, hymnus qui in fine Psalmorum dicitur, *Gloria Patri, et Filio etc.* rejiciendus foret. Ad V. R. Libertatem Christianam consistere in exemptione a servitute diaboli, atque ab oneribus Mosaicae legis, minime vero in exemptione a lege humana civili vel Ecclesiastica; secus frustra Christus Apostolis potestatem dedisset ligandi et solvendi, et frustra juberet Apostolus fideles obedire Praepositis suis. Aequum autem est, ut Clerici et Monachi, qui a fidelibus aluntur, ac publici Ecclesiae ministri constituti sunt, ad orandum pro populo Ecclesiae legibus adigantur. Neque idcirco oratio desinit esse libera; possent enim Ecclesiae ministri, quamvis non sine gravi piaculo, omittendo preces praeceptum Ecclesiae transgredi, quod nunc libere observant.

CCCXIV. *Dices.* Ecclesia Catholica saltem Moniales imprudenter et irrationabiliter obligat ad recitandum Latina lingua Officium divinum. Ergo. P. A. Moniales non intelligunt quod orant. Ergo earum oratio omni fructu caret. Ergo est supervacanea. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Non intelligunt quod orant, id est, non

assequuntur sensum omnium verborum, C. A. Non sciunt saltem in genere, Psalmis et hymnis a se Deum laudari, N. A. Et Conseq. Deus, quem orando precantur Moniales, quocumque demum idiomate illae utantur, etiam a se non intellecto, earum petitiones atque obsecrationes cognoscit. Sicut igitur qui libellum supplicem peregrina lingua ab amico conscriptum extero Principi offert, de eo unice sollicitus est, ut amicus interpres mentem suam probe assecutus, eoque sermonis genere usus fuerit, qui a Principe facile intelligatur: ita moniales, dum in Choro Officium divinum recitant, ignorantia Latinae linguae minime sollicitas habet. Sciunt enim in genere Deum a se tunc laudari, ac fidissimo se uti interprete, Scriptura nimirum et Ecclesia, cujus nomine horas Canonicas persolvunt, eaque mente, prout intendit Ecclesia. Ergo nihil obstat, quo minus earum mens cum Deo conjungatur, atque in pulcherrimos fructus earum oratio efflorescat; licet earum animus, ob linguae latinae ignorantiam, peculiari illa suavitate non perfundatur, quae ex intellecto verborum sensu oritur.

CCCXV. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturae. Matth. Cap. VI. ait Christus: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* II. Apostolus ad Ephes. Cap. V. scribit: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* III. I. Reg. Cap. I. *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia ipsius movebantur, et vox penitus non audiebatur.* Ergo consuetudo decantandi in Templis horas Canonicas non est Deo grata. *Confirm.* Cantoribus his merito dici potest, quod Elias Sacerdotibus Baal III. Reg. Cap. XVIII.

Clamate voce majore: Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Credere enim videntur, Deum ubique non esse, et secretas preces non audire. R. C. A. N. C. I. locum explicavimus Controversia priore, Num. CCXCVI. Christus ibi nos monet; ne precibus et orationibus nostris quaeramus humanam laudem. II. textu admonemur ab Apostolo, ut non labiis tantum, sed etiam corde Deum laudemus. Et quamvis vocem ibi, aut labia clare non exprimat Paulus, sufficienter tamen indicat per ly, *Cantantes, et psallentes*, quod in proprio sensu fieri non potest absque voce. III. locus agit de privatis precibus Annae, quas secretas esse oportere prudentia et sana ratio docent, ne petitiones nostrae alteri quam soli Deo innotescant. Ad *confirmat.* N. A, et rationem additam. Sacerdotes Baal irridentur ab Elia, non quia voce magna clamabant; sed quia inane Dei falsi simulacrum, Baal nimirum invocabant, qui exaudire eos non poterat. Contra Catholici et verum Deum laudant, et elata voce in ejus laudes effunduntur, ut perfectum Deo reddant obsequium corde et ore, et adstantium animos ad pietatem excitent. Profecto si Baalismi nota alta voce psallentibus inuritur, hoc illi convicium haud gravate ferent: socios enim habebunt Davidem Regem, Cantores ante Arcam foederis a Davide constitutos, Paulum et Silam, immo Apostolos omnes, ipsumque Christum, qui finita coena, *et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Matth. Cap. XXVI.

CCCXVI. *Objicitur III.* Authoritas Patrum. S. Cyprianus Serm. VI, qui est de Orat. Dominica, ait: *Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonen-*

dus est clamoribus, qui cogitationes videt. Quod Anna in primo Regnorum libro Ecclesiae typum portans, custodit et servat; quae Dominum non clamosa petitione sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. II. S. Chrysostomus Hom. XIX. in Matth. scribit: *Non gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimae voluntatis orationum vota reddamus.* III. S. Hieronymus Comment. in Cap. V. Epist. ad Ephesios ait: *Audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde canendum, nec in tragoedorum modum guttur et fauces dulci medicamine collinendos, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica; sed in timore, in opere, in scientia scripturarum.* Ergo Patres cantum omnem exulare volunt ab Ecclesia. R. C. A. N. C. Cyprianus et Chrysostomus de privata tantum oratione loquuntur, non de publica. S. Hieronymus non usum cantus, sed abusum reprehendit, eorum nempe superbiam, qui in hoc toti sunt, ut cantando adstantibus placeant; subjungit enim l. c. *Sic cantet servus Christi, ut non vox cantantis, sed verba placeant, quae leguntur.* Caeterum dum cantum Ecclesiasticum, gravem illum et moderatum, a Sectariorum obtrectationibus vindicamus, minime nobis probatur cantus ille mollis ac fractus, qui Musurgorum intemperantia ac levitate, contra mentem Ecclesiae, quandoque in Templis auditur: qui saecularem vanitatem, ac Theatri licentiam redolet, et fideles ad choreas magis, quam ad pietatem excitat.

CONTROVERSIA VII.

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO, ET DELECTU CIBORUM.

Contra Eustathium, Aerium, Jovinianum, Waldenses, Beguardos, Protestantes.

CCCXVII.

Jejunium Ecclesiasticum, de quo solo in praesentiarum nobis sermo est, dicitur abstinentia a pluribus refectionibus, certoque ciborum genere secundum Ecclesiae regulas. Nomine cibi ea intelliguntur, quae apta sunt ad alendum corpus, sive per modum cibi solidi sumantur, ut panis, caro, ova etc. sive prr modum potus, ut lac, mel etc. Nomine potus ea veniunt, quae non ad alendum corpus referuntur, sed ad juvandam digestionem, vel sitim restinguendam, ut sunt vinum, aqua, cerevisia. Quae ad morbos pellendos ordinantur, nec cibi, nec potus, sed pharmaca nominantur. Praeceptum jejunii Ecclesiastici tria includit. I. unicam refectionem, II. abstinentiam a carnibus, III. tempus pro unica refectione praescriptum. Notio potissima jejunii, juxta communem omnium Gentium existimationem, sita est in unica refectione, cujus hora primis Ecclesiae saeculis fuit vespertina, id est, post solis occasum saltem tempore Quadragesimae; dein hora nona, demum hora sexta, quae est meridiana, ita ut a media nocte qua incipit dies naturalis, usque ad mediam noctem qua dies finitur, unica sumatur plena refectio sub meridiem ejus diei: qui mos ad finem saeculi XIV.

introductus, et hucusque ab Ecclesia est toleratus. *Quamvis* vero potissima notio jejunii sita sit in unica refectione, tempore tamen jejunii a carnibus semper abstinuere Christiani, ut testantur *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. IV. *S. Basilius* Orat. I. de Jejunio, *S. Chrysostomus* Hom. VI. in Genes. *Theophilus Alexandr.* Orat. III. Paschali, *S. Augustinus* Lib. XXX. contra Faustum, Cap. V. Immo S. Cyrillus, S. Basilius, S. Chrysostomus ac Theophilus scribunt, Orientales populos non vino minus quam carnibus in Quadragesima abstinuisse; notaeque sunt illorum Xerophagiae in Majori hebdomada, seu coenulae, in quibus solus panis, sal, et aqua apponebantur.

CCCXVIII. Utilitas Jejunii uberrima est. Nam I. corpus in servitutem redigit, et carnem crucifigit cum vitiis et concupiscentiis ejus. II. Animam disponit ad orationem, et rerum coelestium contemplationem. Idcirco dicitur Tob. Cap. XII. *Bona est oratio cum jejunio.* Et S. Chrysostomus Hom. I. in Genes. scribit: *Jejunium leves pennas animae producit, ut in sublime feratur, et summa contemplari queat, voluptatibusque, et omnibus quae in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior.* III. Utile est ad colendum Deum; non quidem ex opere operato, ut nos docere fabulatur Kelnnitius, sed ex opere operantis. IV. Ad Deum nobis placandum, Deique beneficia tam sempiterna, quam temporalia impetranda maxime conducit, ut patet ex jejunio Achab III. *Reg.* Cap. XXI. et Ninivitarum *Jonae* Cap. III. Item Judaeorum *Estheris* Cap. IV. et *Judith* Cap. IV.

CCCXIX. Omnium celeberrimum est Quadragesimale jejunium, ab Apostolis absque dubio institutum,

ut patet tum ex regula illa *Augustiniana* Lib. IV. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XXIV., qua dicitur omnia illa ex Apostolica traditione descendere, quae in universa Ecclesia observantur, et in nullo Concilio instituta inveniuntur: tum ex testimonio S. Hieronymi in Epist. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Et S. Leonis Magni Serm. VI. de Quadrag. *Quod ergo, dilecti ssimi, in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitius est, et devotius exequendum, ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impl eatur.* Neque obstat, quod S. Augustinus Epist. XXXVI. olim LXXXVI. ad Casulanum scribat: *Ego in Evangelicis et Apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum animo id revolvens, video praeceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, praecepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Loquitur enim ibi S. Doctor de praecepto Domini, vel Apostolorum, non tradito, sed scripto in divinis libris.

CCCXX. Porro quamvis Quadragesimale jejunium in Ecclesia Dei tam Latina quam Graeca semper viguerit, ut antiquissimi testantur Patres; illud tamen non eadem die ab omnibus Ecclesiis inchoabatur. Graeci, qui diebus Dominicis et Sabbathi non jejunabant, VII. ante Pascha hebdomadis; Latini vero, apud quos dies Dominica tantum a jejunio eximebatur, VI. hebdomadis jejunii tempus circumscribebant, quibus ad explendum XL. dierum numerum quatuor alii dies adjecti sunt: tempore S. Leonis M. quidem Feria II. IV. VI. et Sabbatho post Dominicam Quinquagesimae, ut

colligitur ex Sermone IV. de Quadragesima a *S. Leone* habito, haud dubie Dominica Quinquagesimae, qua Quadragesimale jejunium indixit: *Secunda igitur, et quarta et sexta feria jejunemus: Sabbatho autem apud S. Petrum vigilias celebremus.* Tempore autem S. Gregorii M. feriae II. substituta est V. feria, ita ut serie non interrupta, a feria IV. post Quinquagesimae Dominicam usque ad Pascha, diebus Dominicis exceptis, jejunatum fuerit: qui mos hodiedum adhuc in Ecclesia Latina perdurat.

CCCXXI. Causae instituendi Quadragesimale jejunium, praeter communes illas, quas in praefatione Missae Quadragesimalis Ecclesia indicat: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia*, alia etiam fuere, justissimae sane ac prudentissimae. I. Ut Christiani omnes pro negligentiis toto anno commissis agant quasi communem et publicam poenitentiam, et Deum conjunctis studiis, precibus et lacrymis placare nitantur. Sic enim loquitur S. Leo M. Serm. IV. de Quadrag. *Dum per varias actiones vitae hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: ideo magna divinae institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia tempora redimerent, et jejunia casta decoquerent.* II. Ut ad sacram Communionem, quam in Paschate Christianorum nullus debet omittere, simul omnes per hoc publicum ac solemne jejunium praeparemur, ut scribit S. Hieronymus in Cap. III. Jonae: *Ipse Dominus, verus Jonas, jejunavit XL. dies, et haereditatem jejunii nobis derelinquens, ad esum*

corporis sui sub hoc numero nostras animas praeparat. III. Ut impleatur, quod Dominus ait Matth. Cap. IX, *Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponsus: et tunc jejunabunt.* Tempore enim Quadragesimae Ecclesia passionem Dominicam commemorat. IV. Ut ad celebrationem passionis, ac resurrectionis Domini, quae sunt Mysteria nostrae redemptionis omnium maxima, per hoc solemne jejunium praeparemur. V. Ut Christiani non solum pro se, sed etiam pro Cathecumenis in Paschate regenerandis jejunent et orent. Atque hanc rationem reddit S. Ambrosius Serm. XXVII. *Sic Elias quadraginta dierum curriculo continuato jejunio, totius mundi longam ac pimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, et ardentem terrarum sitim coelestis pluviae largitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri factum esse cognoscimus, ut nos quoque horum quadraginta circulo dierum jejunantes, Spiritualem baptismatis pluviam mereamur, nostramque jam diu aridam terram coelestis desuper imber infundat, et longam Gentilium siccitatem lavacri inundatio salutaris irroret. Siccitatem enim et ardorem animae suae patitur, quisquis baptismi gratia non rigatur.* VI. Ut Christum, qui Caput nostrum est, eo modo quo possumus imitemur. Imitamur autem per hoc jejunium tum passionem Christi, quam hoc tempore ipse pro nobis pertulit, tum etiam illud ipsum jejunium, quod nostri causa suscipere dignatus est. Atque hanc rationem plures ex Patribus assignant. S. Hieronymus Comment. in Cap. LVIII. Isaiae: *Dominus XL. diebus in solitudine jejunavit, ut nobis solemnes jejuniorum dies relinqueret.* S. Chrysostomus Hom. I. in Genes. *Dominus noster Jesus Christus, et ipse XL. dierum jeju-*

nio declarato, sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans, ut per illud armemur. S. Ambrosius Serm. XXXVII. *Hoc fecit causa salutis nostrae, ut rem utilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret: ut iisdem vestigiis, quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur.*

CCCXXII. Praeter Quadragesimam alii etiam dies per annum jejuniis consecrabantur: cujus rei rationem reddit S. Leo M. Serm. IV. de Jejunio VII. mensis: *Cum nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem communis observantiae consecrati; ut anima, quae terrenis adhuc desideriis implicatur, et curis saeculi impeditur, ex intervallo saltem ad divina respiret, et quia portio divini agri est, dignos coelestibus horreis afferat fructus.* Bis in hebdomade ubique terrarum jejunabant Christiani, si non a secunda refectione, saltem a carnibus abstinendo. In Graeca quidem, Mediolanensi, et Africana Ecclesia singulis feriis IV. et VI. quod feria IV. Dominus venditus sit, ac feria VI. crucifixus: in Romana vero Ecclesia singulis feriis VI, et diebus Sabbathi tantum, ob Christi sepulturam, et Apostolorum moerorem. Atque haec consuetudo diebus Sabbathi et feria VI. abstinendi a carnibus jam a multis saeculis, non in Romana tantum, sed in tota viget Latina Ecclesia.

CCCXXIII. Solertissime etiam in Ecclesia Romana observatum fuit jejunium triduanum quatuor Temporum, scilicet I. IV. VII. et X. mensis, nimirum mensibus Martio, Junio, Septembri, et Decembri, tribus potissimum de causis. I. Ut etiam Christiani, qui perfectiores Hebraeis esse debent, quatuor haberent tem-

pora jejuniis destinata. Hancque rationem assignat *S. Leo M.* Serm. VII. de Jejunio VII. mensis, et Serm. IV. et VI. de Jejunio X. mensis. II. Propter Ordinationes Clericorum, quae initio quidem mense tantum Decembri fiebant; postea vero crescente numero ordinandorum, etiam reliquis tribus temporibus. De Ordinationibus cum jejunio IV. Temporum conjungendis mentionem facit *S. Gelasius* I. Epist. VI. ad Episcopos Lucaniae. III. Ut his temporibus Deo supplicaremus pro frugibus et fructibus terrae; et pro iisdem jam perceptis gratias ageremus. Nam in iis IV. temporibus aeris temperies maxime variatur, et fructus omnes ac fruges vel seruntur, aut nascuntur: vel maturantur, aut colliguntur. Rationem hanc affert *S. Leo M.* Serm. II. V. et VIII. de Jejunio X. mensis.

CCCXXIV. Circa jejunium Ecclesiasticum, et delectum ciborum varii atque inter se pugnantes Haereticorum errores exorti sunt. Tatianistae, Encratitae, Manichaei, Priscillianistae, docebant, nefas esse quocumque tempore carnibus vesci; quod illae immundae essent propter mali principii commixtionem, et quia a malo principio, seu Deo malo creatae. Saeculo IV. Eustathius asserebat jejunia Ecclesiastica contemnenda esse, quia absque legitima authoritate ab Ecclesia instituta. Quain re consentientem sibi habuit Aërium Presbyterum Arianum, quem S. Epiphanius Haeresi LXXV. ita loquentem inducit: *Sed neque jejunium erit ordinatum Haec enim Judaica sunt, et sub jugo servitutis. Justo enim lex non est posita, sed parricidis, et matricidis, et reliquis. Si vero omnino volo jejunare, qualemcunque eligam diem a me ipso, et jejunabo propter libertatem.* Jovinianus et ciborum delectum, seu abstinentiam a

carnibus damnabat, dicens, in jejunio nullum esse meritum: et Ecclesiam posse illud instituere negabat, cum illa nequeat praecipere quae meritoria non sunt, nec ad vitam aeternam conducunt. Eadem sensere Waldenses, et nostrorum temporum Sectarii, Lutherus, Calvinus, Melanchton, Brentius, Centuriatores Magdeburgici, Kemnitius, et Erasmus Roterodamus, qui in Epistola ad Episcopum Basileensem scribit: *Paulatim irrepsit consuetudo, quae diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde ubi hoc successit, adjuncta est et Sabbathi dies: nunc etiam Mercurii periclitatur. Ob idque genus observatiunculas videmus homines affligi, et denique mori, sibique Christianos videri, cum sint Judaei.* Beguardi et Fraticelli potestatem jejunia instituendi non omnino Ecclesiae denegarunt; ajebant enim peccatores tantum, non vero justos qui ad statum perfectionis pervenerunt, ad jejunia Ecclesiastica obligari posse; eoquod justis culpa carentibus nulla infligi valeat poena, nullisque legibus illi teneantur.

CCCXXV. *Conclusio I.* Abstinentia a carnibus, tamquam natura sua immundis, ac pro omni tempore a Deo prohibitis, impia ac superstitiosa est. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Apostolus I. ad Timoth. Cap. IV. scribit: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes Spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, — — — prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.*

II. Authoritate Christi et Apostolorum, qui tum alias, tum potissimum in ultima Coena agnum comederunt, et vinum biberunt. III. Authoritate Conciliorum. Toletanum I. in assertione fidei ait: *Siquis dixerit, vel crediderit, carnes avium vel pecudum, quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione corporis abstinendas, sed execrandas esse; anathema sit.* Et Bracarense I. A. 561. Can. XIV. *Siquis immundos putat cibos carnium quas Deus in usum hominum dedit; et non propter afflictionem corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus praegustet, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt; anathema sit.* IV. evertendo fundamentum Manichaeorum. Falsum est dari plures Deos, unumque ex illis natura sua malum esse, creatorem rerum visibilium, ut ostendimus Tract. I. Controversia I. Ergo.

CCCXXVI. *Dices.* Apostolus Ad Rom. Cap. XIV. scribit: *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum.* Ergo in lege Evangelica praescripta est abstinentia a carnibus, quia nimirum immundae sunt. R. C. A. N. C. et rationem additam. Apostolus I. c. non absolute damnat esum carnium, sed tunc tantum, quando aliis occasio scandali datur, ac merito timetur spiritualis ruina proximi, ut manifeste colligitur ex toto Cap. XIV. Aut quando quis ex erronea conscientia judicat illicitum esse esum carnium; quia in eo casu comedendo carnes ageret contra propriam conscientiam. Juvat Apostoli verba adducere: *Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam*

non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. - - - - Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Ergo juxta Apostolum de se nihil commune est, id est, nihil profanum et immundum, neque carnes Lege Mosaica olim vetitae: licetque illis vesci, modo quis illarum esum ex erronea conscientia illicitum sibi esse non existimet, aut scandalum aliis non praebeat: cujus quidem temporibus nostris nullum amplius est periculum, utpote Synagoga jam dudum sepulta; erat tamen temporibus B. Pauli, quibus Judaei aliqui, in fide adhuc infirmi, cibos a lege Mosaica vetitos usurpare verebantur, Christianae libertatis nondum sat gnari. Pari de causa Apostoli praeceperunt abstinent iam ab immolatis, sanguine, et suffocato; non quod illa ex natura sua immunda essent, sed ne Judaei ad Christum perducti, qui ab immolatis vehementissime abhorrebant ob longam Mosaicae legis consuetudinem, forte occasionem sumerent recedendi a fide Christiana, et doctrina Apostolorum, si Gentiles recens Christo authoratos vidissent idolothytis vesci.

CCCXXVII. *Conclusio II.* Jejunium ipsum, et abstinentia a carnibus quamvis de se licitis, si ordinetur ad finem supernaturalem, est opus bonum, utile, honestum, ac Deo placens. Dixi, *Si ad finem supernaturalem ordinetur.* Si enim ad malum finem referatur, v. g. ad vanam ostentationem, jejunium inutile ac pravum erit, huc enim pertinet praeceptum Domini *Matth.* Cap. VI. ne scilicet cum jejunamus, velimus videri hominibus jejunantes; neque imitemur hypocritas, qui *exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Quod

tamen, ut recte observat *S. Augustinus*, aut quicumque alius Serm. LX. de Tempore, nunc LXIII. in Appendice, non ita intelligendum est, quasi non liceat publicè jejunium indicere et vidente toto populo cum ipso jejunare; sed *hoc sensu oportet id intelligi, ut nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia divina jejunet: et unusquisque interroget conscientiam suam, et si pro solo Deo facit eleemosynam, securus et publice faciat, ut quicumque viderint, imitentur.* Quod si vero jejunium conjuncta non habeat bona opera et charitatem, opus erit neque Deo gratum, neque utile ad salutem. Hinc S. Hieronymus Lib. II. contra Jovinianam scribit: *Non igitur jejunium reprobavit* (Deus) *sed quale vellet*, ostendit; *neque enim ventris esuries accepta est Deo, quam lites, et rapina, et luxuria destruunt. — Sanctificate jejunium etc. ut monstraretur jejunium sanctificari caeteris operibus, et sanctificatum jejunium curationi proficere peccatorum.* S. Gregorius M. Hom. XVI. in Evang. *Per Joelem dicitur, Sanctificate jejunium; jejunium quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia; incassum enim caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refraenatur.*

CCCXXVIII. Probatur itaque Conclusio sic explicata I. Authoritate Scripturarum. Tob. Cap. XII. dicitur: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere.* Joelis Cap. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in flectu, et in planctu.* Matth. Cap. VI. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, — et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* II. ad Cor. Cap. VI. *Exhi-*

beamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, — — in vigiliis, in jejuniis, in castitate. Act. Cap. XIII. *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Prob. II. Authoritate Patrum. S. Basilius Hom. I. de laud. Jejunii, ait: *Jejunium hoc ipsum suo dignum est nomine, quod inedia purgat animae viscera.* S. Athanasius Lib. de Virginitate: *Amplectamur valde jejunium; magnum enim munimentum est. — — Daemones fugat, malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorem reddit, et aor purgatius, et corpus salubrius, et ad thronum Dei hominem sistit.* S. Chrysostomus Hom. I. in Genes. *Vellem vos purificata vestra mente, valeque deliciis et voracitati dicto, matrem omnium bonorum, et pudicitiae aliarumque virtutum omnium Magistram, jejunium inquam, explicitis mentis vestrae sinibus suscipere, ut et vos majori fruamini voluptate, et illud congruam vobis suam medicinam conferat.* S. Leo M. Serm. II. de Jejunio X. mensis: *Semper virtuti cibus jejunium fuit; de abstinentia prodeunt castae cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia: et per voluntarias afflictationes caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.* III. Exemplo Sanctorum, qui sine jejunio ad insignem illam morum sanctimoniam numquam sunt eluctati. IV. Ratione. Illud opus bonum est, utile, ac Deo gratum, quod plurimum valet ad subigendam carnem rationi et spiritui. Atqui tale opus est jejunium, ut Patres omnes unanimi voce affirmant. Ergo.

CCCXXIX *Dices.* Delectus ciborum redolet Judaismum, in quo certis cibis vesci non erant integrum. Ergo opus Deo gratum esse nequit. P. A. Apostolus ad Coloss. Cap. II. scribit : *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi : quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis : quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum.* Ergo. R. N. A. Multiplex Catholicos inter et Judaeos circa delectum ciborum datur discrimen. Nam I. Catholici non observant leges Judaicas, sed Ecclesiae constitutiones. II. Non abstinent a quibusdam cibis ob certam rerum praesentium vel futurarum significationem, ut olim Judaei ; sed tum ut carnis petulantiam coerceant, tum ut Christum XL. diebus jejunantem aliquo modo imitentur. III. Extra jejunii tempora carnibus omnis generis vescuntur, quod Judaeis numquam integrum erat. Ad *probat.* C. A. N. C. Apostolus I. c. non loquitur de abstinentia a carnibus certo quodam ac determinato tempore observanda ; sed de legalibus caeremoniis, ut scribit *S. Hieronymus* in Epist. ad Algasiam, Quaest. X. et *S. Augustinus* Epist. CXLIX. olim LIX. ad Paulinum : aut ut vult *S. Chrysostomus* in Commentario illius loci, damnat ibi Apostolus Graecorum Philosophorum, ac Simonianorum errorem, qui carnes tamquam natura sua immundas, et nuptias tamquam a Satana inventas execrabantur, ita ut carnes numquam comedi vellent, neque eas tangi sine contaminatione.

CCCXXX. *Conclusio III.* Ecclesia praecipiens fidelibus jejunium, obligat illos in conscientia, ac sub gravi peccato ad jejunandum : neque jejunium praecipiendo excedit limites suae potestatis. Prob. I.

Authoritate Scripturarum, quae generatim jubent fideles omnes obtemperare Ecclesiae aliquid praecipienti. Matth. Cap. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus.* Lucae Cap. X. *qui vos audit, me audit: et qui vos spernit.* me spernit. Ad Hebr. Cap. XIII. *Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis.* Obligationi autem huic obtemperandi correspondet potestas praecipiendi, quam primarii Pastores a Christo acceperunt, ut Ecclesiam debito modo, suaviter et fortiter regerent ac gubernarent.

CCCXXXI. Prob. II. Authoritate Conciliorum, quae spernentes, aut violantes jejunia anathemate percellunt, irrefragabili indicio, peccari ab iis graviter, qui jejunia violant, aut ea superbe contemnunt. Cum enim excomunicatio poena sit inter Ecclesiasticas gravissima, ea ob peccatum leve non infligitur. Gangrense Saeculo IV. Can. XIX. ita statuit: *Siquis eorum, qui in proposito sunt continentiae, praeter necessitatem corporalem, et superbiens, jejunia comunia totius Ecclesiae putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem; anathema sit.* In Carthaginensi IV. Cap. LXIII. statuitur, ut *Clericus, qui tempore jejunii absque inevitabili necessitate jejunium rumpit, inter minores habeatur.* Agathense A 506. Can. XII. statuit: *Placuit, ut omnes Ecclesiae filii, exceptis diebus Dominicis in Quadragesima, etiam die Sabbathi, Sacerdotali ordinatione, et districtionis comminatione jejunent.* Toletanum VIII. A. 653. Capit. IX. ait: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidente longuore; seu etiam aetatis impossibilitate, diebus Quadragesimae esum carnium praesumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicae,*

verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta Communione. In Moguntino A. 813. sub Carolo Magno, Can. XXXV. anathematizantur, qui indictum jejunium insolenter dissolvunt.

CCCXXXII. Prob. III. Authoritate Patrum. S. Epiphanius Haeresi LXXV. contrariam Aërii sententiam, docentis jejunium debere esse liberum, et non ex praecepto servandum esse, pro explorata haeresi habuit. Theophilus Alexandrinus Epist. II. Paschali de illis, qui Ecclesiae jejunia clam violant scribit: *Nescientes, quod etiamsi conscientiam hominum fugiant: et clausis parietibus vescantur carnibus diebus Quadragesimae, corripiat hujuscemodi Dominus, et dicat, Iniquitates magnas faciunt isti, ut recedant a Sanctis meis.* S. Ambrosius Serm. XXV. *Non leve peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere.* S. Basilius Orat. II. de Jejunio: *Omnes aequaliter et praeceptum audiunt, et cum gaudio suscipiunt. Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias jejunantes describunt. Vide non propter parvam eduliorum voluptatem damnum incurras, ut ne ab Angelo in numerum adscribaris, et te ipsum criminis desertoris reum ab exercitus lustratore statuas.* S. Hieronymus in Epist. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus. Non quod et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* S. Leo M. Serm. III. de Jejunio X. mensis: *Pium est agere non indictum; impium est negligere praedicatum.* S. Chrysostomus Hom. VI. ad populum Antiochenum ait: *Con-*

suetudo res est tam facilis et expedita, ut adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, et infinita crucient, et cogant vinum delibare vel aliud jejunii lege non concessum gustare; omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum. Nicephorus Lib. XVII. Hist. Eccles. Cap. XXXII. narrat, a CPolitano populo adeo severe observatum fuisse delectum ciborum, ut, cum Justinianus Imperator, ob ingentem penuriam rerum ad victum necessariarum, altera Quadragesimae hebdomada carnes in macellis publice jussisset venum exponi, nullus ex tanto populo repertus sit, qui carnes emere voluisset.

CCCXXXIII. Caeterum quod Ecclesia jejunium praecipiendo non excedat limites suae potestatis, probatur tum negative, quia id ab adversariis ostendi non potest; tum etiam positive. Ecclesia habet potestatem praecipiendi fidelibus actus illos, qui et moraliter sunt possibiles, et plurimum conducunt ad consequendum finem supernaturalem, seu aeternam beatitudinem. Atqui jejunium est moraliter possibile, plurimumque conducit ad finem illum obtinendum. Ergo. P. M. tum a pari, quia potestas laica ea omnia praecipere potest quae et moraliter sunt possibilia, et plurimum conducunt ad finem naturalem, seu ad conservandam publicam quietem et felicitatem. Ergo Ecclesia potest ea praecipere, quae ad finem supernaturalem conducunt: tum exemplo Apostolorum, qui Act. Cap. XV. Gentilibus ad Christi fidem conversis praeceperunt abstinentiam *ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Fuisse autem Decretum illud Apostolicum verum praeceptum, perspicuum est tum ex verbis B. Lucae Act. Cap. XV. v. 41. *Perambulabat* (Paulus) *Syriam et Ciliciam, con-*

firmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum. Tum ex eo, quod praeceptum illud per aliquod tempus religiose adeo custoditum fuerit, ut Christiani mori mallent, quam sanguinem degustare, ut patet ex Apologetico Tertulliani Cap. IX. Minor propositio est certa; jejunium enim adhuc in Ecclesia Catholica observatur, ac longe rigidius observatum semper fuit in antiqua Ecclesia, ob insignem ejus utilitatem, quam Patres uno ore depraedicant. Ergo jejunium est moraliter possibile, plurimumque conducit ad finem supernaturalem obtinendum.

CCCXXX. IV. *Dices. I.* In antiqua Ecclesia nulla dabatur lex jejunium praecipiens. Ergo posterioribus temporibus Ecclesia praescribendo jejunium excessit limites suae potestatis. P. A. Montanus tamquam haereticus damnatus fuit ab Ecclesia, quia quasdam leges instituit de jejunio. Ergo. R. I. N. C. Quamvis in antiqua Ecclesia nulla viguisset lex jejunium praecipiens, potuisset tamen Ecclesia posterioribus temporibus justis de causis legem hanc ferre, quin proptere a limites suae potestatis excederet. Nemo enim sanae mentis negabit, Principem justis de causis legem ferre posse, a praedecessoribus suis numquam antea latam. R. II. N. A, cujus falsitas tum ex Patribus, tum ex Ecclesiastica Historia manifeste ostendi potest. Ad *probat.* R. Montanum his de causis ab Ecclesia damnatum fuisse. I, Quod contra consuetudinem Ecclesiae, propria authoritate tres in anno Quadragesimas instituerit, ut testatur S. Hieronymus Epist. LIV. ad Marcellam, a Christianis omnibus necessario observandas. II. Quia jactabat legem hanc latam fuisse per commentitium suum Paracletum, quem perfectius sibi, quam Apostolis communicatum

esse ajebat. III. Quia superstitiose, et contra Ecclesiae morem, suos adigebat ut per aliquot dies illarum trium Quadragesimarum cibis dumtaxat aridis, et ab omni humore exsiccatis uterentur, asserens sine hoc jejunio homines carnales esse, animales, Psychicos, numquam vere spirituales.

CCCXXXV. *Dices II.* Saltem jejunium XL. dierum non viguit in antiqua Ecclesia. Ergo. P. A. I. S. Irenaeus in Epistola ad Victorem Pontificem Romanum apud Eusebium Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV. ita scribit: *Quidam existimant unico die sibi jejunandum: alii duobus, alii pluribus: non nulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque haec in observando jejunio varietas non nostra primum aetate nata est, sed longe apud Majores nostros coepit; qui negligentius, ut verisimile est, praesidentes ex simplicitate et imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen et omnes isti pacem inter se retinuerunt, et nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas fidem commendat.* S. Basilius Orat. II. de Jejunio, indicit publice Quadragesimam: et tamen dies tantum quinque, non autem quadraginta jejunandum esse monet. III. Socrates Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXII. scribit: *Primum igitur jejunia illa quae ante Pascha fiunt, aliter apud alios observari reperias. Nam qui Romae sunt, tres continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbatho et Dominico die, jejunant.* Idem testantur Sozomenus Lib. VII. Hist. Eccl. Cap. XIX, et Cassiodorus in Historia Tripartita. R. N. A. Ad I. *probat.* R. S. Irenaeum non loqui de ipso quadragesimali jejunio, sed solum de forma illius. Narrat nimirum antiquissimus ille

Martyr quosdam Christianos integrum diem absque cibo et potu transegisse, quosdam duos vel plures cum eadem districtione decurrisse; alios per horas quadraginta, quas unius diei solidi iustar computabant, jejunium prorogasse, ut numerum dierum quibus continuatim Christus jejunaverat, totidem horarum numero imitarentur. Similia referunt *S. Epiphanius* in expositione fidei Catholicae, *S. Hieronymus* in Epist. ad Marcellam de laudibus Asellae, et *S. Augustinus* Lib. de Moribus Ecclesiae, Cap. XXXIII. Neque desunt etiam hodie, praesertim apud Graecos, qui ad initium et finem Quadragesimae tres dies, aut quadraginta horas impasti transigant. Ad II. R. S. Basilium non loqui de jejunio totius Quadragesimae, sed singularum Quadragesimae hebdomadum; ac quinque tantum dies numerare, quia Graeci nec Sabbatho, nec Dominica jejunabant. Ad III. R. Socratem Novatianum uti alias saepius, ita etiam hic hallucinatum esse, et incertis deceptum rumoribus, alios in errorem traxisse. Quid mirum autem, si Graecus homo tanto locorum intervallo a Romana Urbe agens, Romanae disciplinae ignarus fuerit? Porro deceptum fuisse Socratem, Sanctorum Petri Chrisologi, et Leonis M. qui eadem aetate vixerunt, nec non Cassiani supparis etiam authoris testimoniis luculentissime probatur. Illi enim quadraginta dierum jejunium, publica lege, Romae et in vicinis Ecclesiis, observatum fuisse suis temporibus testantur. Praeterea quis sibi persuadeat, Romanos, qui reliquo anni tempore Sabbathi jejunium tam religiose observabant ut testantur *S. Augustinus* Epist. XXXVI. ad Casulanum, *S. Hieronymus* Epist. XXVIII. ad Lucinium Baeticum, *S. Innocentius I.* in Epist. ad Decentium, *S. Leo M.* Epist.

LXXXI. ad Dioscorum Alexandrinum, et *Joannes Cassianus* Lib. V. de Institutis Coenobiorum, Cap. X, quis inquam sibi persuadeat, Romanos hujus moris tenacissimos Quadragesimae Sabbatha a jejunio absolvisse? Quod si errasse Socratem circa Sabbathi exceptionem a Quadragesimali jejunio in Romana Ecclesia evidens est: quidni et circa hebdomadarum numerum Quadragesimalis jejunii erraverit? Neque verior evadit Socratis narratio, quod eam Cassiodorus in Historia sua Tripartita adoptarit; constat enim Cassiodorum errata Socratis et Sozomeni aeque exscripsisse, ac ea quae veritati consentanea sunt. Id autem mirum nemini videri debet, qui animadvertit consilium Cassiodori in scribenda Historia Tripartita aliud non fuisse, quam *de singulis Dictatoribus deflorata colligere, et cum authoris sui nomine in ordinem collocare*, ut ipse monet in ejusdem Historiae Praefatione.

CCCXXXVI. *Conclusio IV.* Praeceptum jejunii non peccatores tantum, sed etiam justos comprehendit. Beguardicam insaniam rejiciunt Scripturae et Patres, qui nullo facto peccatores inter et justos discrimine, ab omnibus audiri volunt Ecclesiam, ab omnibus obtemperari legitimis Praepositis, hancque jejunii legem a nemine sine piaculo violari. Vide dicta Tract. de Ecclesia, Num. CCXLIV. ubi ostendimus, justos aeque ac peccatores legibus Ecclesiasticis subjici. Denique quotidiana experientia ostendit, quod etiam in justis caro concupiscat adversus spiritum, ac justos etiam legem sentire in membris suis repugnantem legi mentis. Ergo sicut Apostolus, quamvis usque ad tertium coelum raptus viderit arcana Dei, quae non licet homini loqui, castigavit corpus suum, et in servitutem redegit, ne

posteaquam aliis praedicaverat, ipse reprobus efficeretur: ita multo magis justi concupiscent iam jejunio aliisque afflictationibus corporis compescere debent. Quamdiu enim in hoc mundo versamur, inimicos domi nostrae habemus, qui velut latrunculi nobis insidiantur.

CCCXXXVII. *Conclusio V.* Ecclesia recte atque utiliter praecipit fidelibus jejunium et abstinentiam a carnibus. Prob. I. exemplis e Scriptura petitis. Rechabitae ex praecepto humano, Jonadab nimirum, abstinebant a vino: placuitque Deo haec abstinentia, ut manifeste colligitur ex Jeremiae Capite XXXV. *Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Haec dicit Dominus Exercituum Deus Israel: pro eo quod obedistis praecepto Jonadab patris vestri, et custodistis omnia mandata ejus, et fecistis universa, quae mandavit vobis: propterea haec dicit Dominus Exercituum Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Ergo si Jonadab recte filiis suis abstinentiam a vino praecepit, multo magis Ecclesia recte filiis suis praecepit jejunium, et abstinentiam a carnibus. Alios Scripturarum textus adduximus Num. CCCXXVIII. Prob. II. Ratione. Illud recte atque utiliter Ecclesia praecipit observari, quod approbatum est usu ac praxi primitivae Ecclesiae, quam ipsi adversarii fatentur erroris fuisse expertem: quodque religiosissime omnibus saeculis a fidei orthodoxae cultoribus est observatum, atque a Patribus semper tamquam pium, rectum et laudabile est commendatum. Atqui hujuscemodi est jejunium et abstinentia a carnibus, ut constat ex dictis tota hac Controversia. Ergo.

CCCXXXVIII. Christianos jejunii tempore a carnibus semper abstinuisse, innumeris Patrum locis com-

probari facile posset. S. Basilius Hom. I. de Jejunio ait: *Carnes non edis, a vino abstines, vesperam expectas, ut cibum sumas.* Theophilus Epist. III. Paschali: *Qui autem legum praecepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant.* S. Cyrillus Jerosol. Catechesi IV. Illuminatorum. *Jejunamus, et a vino carnibusque abstinemus.* S. Chrysostomus Hom. I. in Genes. *Hae verae feriae sunt, ubi animarum salus, ubi pax et concordia est, ubi omnis hujus vitae apparatus abigitur, ubi clamor et tumultus, et coquorum discursus, et pecudum mactationes e medio tolluntur.* S. Hieronymus in Cap. X. Danielis: *Hoc docemur exemplo tempore jejuni a cibis delicatioribus abstinere, nec carnem comedere, nec vinum bibere.* Theodoretus in Epitome divinorum Decretorum, Cap. de Abstinentia: *A vino, et ab esu carnium, et ab aliis ejusmodi abstinentiam, non similiter ac haeretici, amplectitur Ecclesia.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. III. *Servi Dei in eo quod a vino et carnibus abstinent, non tamquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitae instituta sectantur.* S. Maximus Hom. III. de Jejunio Quadragesimae: *Jejunium Christianum pacem debet nutrire, non jurgia. Quale autem est illud, quod non vescèris carnibus, et de ore tua omni esca sordidius egreditur maledictum?*

CCCXXXIX. *Conclusio VI.* Jejunium recte ad eum etiam finem refertur, ut per illud, tamquam per bonum opus, mercedem a Deo promereamur, et Deo satisfaciamus pro peccatis. Meritum jejunii prob. I. Authoritate Scripturarum. Christus Matth. Cap. VI. ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri*

tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Ubi vides a Christo mercedem promitti jejunantibus. II. Auihoritate Patrum. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. IV. Illuminatorum: *Jejunamus, et a vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem expectantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spirituali coelestique mensa fruamur; utque nunc seminantes cum lacrymis, cum exultatione metamus in saeculo venturo.* S. Ambrosius Epist. LXXXII. ad Ecclesiam Vercellensem: *Audio homines esse qui dicunt, nullum esse abstinentiae meritum, nullum frugalitatis, -- delirare eos, qui jejuniis castigant carnem suam, ut menti subditam faciant; quod numquam fecisset, numquam Iscripsisset Paulus Apostolus, si deliramentum putasset: gloriatur itaque dicens, Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. -- Quae istos Epicureos nova schola misit? -- qui sunt hi praeceptores novi, qui meritum excludunt jejunii?* S. Basilius Orat. I. de Jejunio: *Jejunium ad venturi saeculi mala fugienda, et assequenda bona utile est.* S. Hieronymus Lib. II. adversus Jovinianum, ex instituto ostendit jejunium esse meritorium. S. Leo M. Serm. I. de Jejunio VII. mensis: *Ut per humilitatem jejunii contra omnes hostes nostros divinum mereamur auxilium.* S. Maximus Hom. III. de Jejunio Quadrag. *Eodem numero Moyses per mansiones pervenit ad requiem, quo et nos per jejunia properamus ad coelum: Jejunia enim nostra mansiones quaedam sunt, per quae iter spiritualiter facientes, animae virtutibus ambulamus, et diurno profectu repromissae nobis terrae viciniores efficimur.*

CCCXL. Probatur etiam vis satisfaciendi pro peccatis, quam jejunium habet, 1. Authoritate Scripturarum. Jonae Cap. III. *Vidit Deus opera eorum* (nimirum Ninivitarum jejunia et poenitentiam) *quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.* I. Reg. Cap. VII. jejunantes filii Israel cum Samuele, Deum placarunt, et victoriam de hostibus retulerunt. III. Reg. Cap. XXI. impius Rex Achab, posteaquam indutus cilicio jejunasset, iram Dei ex parte mitigavit, ait enim Deus ad Eliam: *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* Alia exempla suppeditant Scripturae Estheris Cap. IV, et Judith. Cap. IV.

CCCXLI. Prob II. Authoritate Patrum. Tertullianus Lib. de Jejuniis scribit: *Omnium erga victus macerationem haec est ratio, quia rursum interdicto cibo, et observato praecepto primordiale jam delictum expiaretur: ut homo per eamdem materiam causae Deo satisfaciat, per quam offenderat.* S. Basilius Orat. I. de Jejunio: *Per jejunium satisfacito Deo.* S. Chrysostomus Serm. I. de Jejunio: *Peccavit alius; jejunabit, se ipsum castigans, ut efficiat poenam.* Et Hom. I. in Genes. *Communis nostri omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quae unquam peccavimus, nos abluere; hanc nobis, quae per jejunium fit, curationem adinvenit.* S. Cyprianus in Tract. de Lapsis: *Iram et offensam ejus, jejuniis, fletibus, plantibus, sicut monet ipse, placemus.* S. Ambrosius Lib. de Eliae et jejunio, Cap. III. *Jejunium culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis.* S. Epiphanius in compendiaria doctrina, quae est ad finem librorum adversus haereses, *Jejunamus*,

inquit, *non ut beneficium aliquod ei qui pro nobis passus est, exhibeamus, sed ut Domini passionem, quam pro nobis ipse suscepit, ad salutem nostram confiteamur; et ut pro peccatis nostris jejunia nobis apud Deum supputentur.* S. Hieronymus Comment. ad Cap. III. Jonae: *Saccus et jejunium arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum.* S. Leo M. Serm. VIII. de Jejunio VII. mensis: *Convenientibus in unum propositum tribus studiis, oratione scilicet et eleemosyna atque jejunio, praestabitur nobis a misericorde Deo et cohibitio cupiditatum, et exauditio precum, et remissio peccatorum per Dominum Jesum Christum.* S. Bernardus Serm. LXVI. in Cantica: *Ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccato, non superstitio pro impietate.* Haec Patrum testimonia tam perspicua sunt, ut Calvinus et Kemnitius scribere non erubuerint, per hanc doctrinam superstitionis semina jacta fuisse, Patresque ab analogia fidei et norma Scripturarum non parum recessisse. At quis non videt, antiquissimos Sanctissimosque Patres Scripturarum sensum felicius assecutos esse, ac fundamentum fidei et salutis firmius tenuisse, quam Novatores heri nati, nec doctrina nec probitate cum Patribus conferendi? Fateantur itaque necesse est Protestantes, doctrinam Catholicam de jejunio doctrinae Patrum omnino conformem esse.

OBJECTIONES PROTESTANTIUM.

CCCXLII. *Objicitur I.* contra V. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Christus Lucae Cap. X. jussit Apostolos omnes cibos sine delectu manducare, dicens:

Manducate quae apponuntur vobis. Cujus ipse rationem dat Matth. Cap. XV. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* II. Apostolus permisit Christianis esum omnium ciborum; scribit enim I. ad Cor. Cap. X. *quod in macello vaenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Ergo Ecclesia legitime praecipere nequit delectum ciborum, contra ipsius Christi, et Apostoli concessionem. *Confirmat.* Omnia quae Deus creavit, in hominis usum condidit. Ergo cum multa animalia nullum alium usum habeant quam ut comedantur, Ecclesia contra finem a Deo intentum agit praecipiendo abstinentiam a carnibus. R. D. A. Chrtstus Apostolos jussit omnes cibos manducare, qui pro loco et tempose liciti et utiles sunt, C. A. Secus, N. A. Christus citatis verbis monet Apostolos, ne cibos sumptuosos quaerant cum hospitio recipiuntur, sed appositis quibuscumque cibis sint contenti. Neque dubitari potest, quin Christus de iis tantum cibis loquatur, qui pro loco et tempore liciti et utiles sunt. Profecto venenum, si apponeretur, aut etiam carnes porcinas eo tempore, quo lex Mosaica adhuc vigebat, comedi noluit. Verbis illis, *Quod intrat in os non coinquinat hominem*, Christus superstitionem Judaeorum reprehendit, qui existimabant cibos illotis manibus sumptos, nescio quas sordes contrahere, quibus anima quoque inficeretur. Cibi itaque, si secundum se spectentur, praescindendo ab usu vel lege prohibente, hominem non coinquinant Quod si vero immoderate sumantur, aut contra legem prohibentem, nemo negare potest hominem illis aliquo modo coinquinari, id est, peccatorem constitui, nisi qui crapulam et ebrietatem quae per os intrat, aut primorum parentum nostrorum inobedientiam vetitum fructum ab-

sumendo, peccato vacare contendat. Ad II. R. Apostolus verbis illis liberat fideles a nimia cura et sollicitudine, quam quidam anxie nimis adhibebant, dum se teneri putabant inquirere, an carnes, quae in macello venales prostabant, Diis immolatae fuerint. Ad *Confirmat.* R. I. Ergo contra finem a se intentum egit Deus prohibendo Judaeis esum carnis porcinae ac leporinae, ac male egerunt Antediluviani abstinendo ab omni carne: pessime autem Apostoli praecipiendo Antiochenis abstinentiam ab immolatis, sanguine, et suffocato? R. II. C. A. N. C. Nam I. Ecclesia diebus tantum jejunii carnes prohibet, alio tempore illas permittit. II. Omnia animalia, licet eorum carnes non comedantur, alium usum habent; sunt enim, praeter alios fines nobis incognitos, a Deo creata, vel ut ex iis pharmaca pro conservanda vel reparanda hominum sanitate praeparentur, vel ut ex eorum varietate ac venustate majus accedat huic Universo ornamentum, animusque noster ad laudandum Creatorem rerum omnium incitetur, cujus perfectiones infinitae ex creaturis elucescunt.

CCCXLIII. *Dices. I.* Apostolus I. ad Tiomth. Cap. IV. scribit: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam: prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Ergo doctrina Catholicorum de jejunio et delectu ciborum est doctrina daemoniorum. R. Protestanticam hanc consequentiam esse omnino daemonicam. Apostolus l. c. vaticinatur errorem Ebionis, Tatiani, Marcionis, Manetis etc. qui in Crea-

toris injuriam a carnibus abstinebant, tamquam natura sua malis et immundis. Ne vero Protestantes dicant, haec a Catholicis gratis confingi, antiquissimos audiant Patres. Tertullianus Lib. de Jejuniis, Cap. XV. scribit: *Praedammans* (Apostolus) *jam haereticos, abstinentiam perpetuam praecepturos, ad destruenda et despicienda opera Creatoris. Quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum.* S. Hieronymus Lib. II. adversos Jovinianum, agens de hoc Apostoli loco, *Marcionem*, inquit, *designat, et Tatianum, et caeteros haereticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, et contemnenda, et abominanda opera Creatoris.* S. Augustinus Lib. contra Adimantum Manichaeum, Cap. XIV. *Apertissime istos* (Manichaeos) *significavit* (Apostolus) *cum dicit, in novissimis temporibus futuros quos dam prohibentes nubere, abstinentes a cibis quos Deus creavit. Hos enim proprie designat, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refraenent, aut infirmitati alterius parcant; sed quia ipsas carnes immundas putant, et earum Creatorem Deum esse negant.* Neque obstat: quod Apostolus dicat, *in novissimis diebus*; nam per dies novissimos intelligit Paulus totum tempus, quod est a Christi adventu usque ad mundi finem, hoc enim tempus I. ad Cor. Cap. X. vocat fines saeculorum: et Petrus Act. Cap. II. de suo tempore exponit, quod Jöel Propheta futurum esse praedixerat in novissimis diebus. Denique S. Joannes Epist. I. Cap. II. saepius repetit: *Filioli, novissima hora est.*

CCCXLIV. *Dices II.* Etiam Catholici abstinent a carnibus tamquam natura sua malis ac immundis. Ergo in eodem haerent luto cum Marcione, et Manichaeis.

P. A. I. Aliqui inter illos, ut v. g. Carthusiani, Carmelitae, Minimi, tota vita a carnibus abstinent. II. Catholici dicunt esu carnium pravas concupiscentias excitari. III. Ecclesia Catholica adhibet benedictiones ad ejusmodi cibos mundandos, in quibus diserte petit, *ut diaboli vis ac potestas a creaturis expellatur, et per consecrationes hoc accipiant, ut sint sanitas mentis et corporis.* Ergo Ecclesia prohibet carnes, quia illas esse natura sua immundas putat. R. N. A, cujus falsitas ex Patribus demonstratur, quos sine manifesta infrunitae imprudentiae nota Protestantes mendacii arguere nequeunt. S. Augustinus Lib. XXX. contra Faustum, Cap. V. scribit: *Christiani, non haeretici, sed Catholici, edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum a carnibus, verum a quibusdam etiam terrae fructibus abstinent; vel semper sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus.* Theodoretus in Epitome divinorum Decretorum, Cap. de Abstin. *A vino, et ab esu carnium, et ab aliis ejusmodi abstinentiam, non similiter ac haeretici, amplectitur Ecclesia. Illi enim ab iis tamquam abominandis abstinendum esse censent: Ecclesia autem nihil horum decernit.* S. Isidorus Lib. I. de Offic. Eccles. Cap. XLIV. *Non igitur quia carnes malae sunt, ideo prohibentur: sed quia earum epulae carnis luxuriam gignunt: fomes enim ac nutrimentum sunt omnium vitiorum.* Ad I. *probat.* N. C. Ecclesia neminem cogit Carthusianum aut Carmelitam fieri, sicque tota vita a carnibus abstinere. Ipsi vero hi viri religiosissimi perfectiores primorum temporum Christianos sectando, a Manichaeorum dementia toto coelo distant. Nam I. carnes non ut ex

natura sua immundas execrantur, sed religiose ab illis abstinent, sine contumelia Creatoris, ac pietatis causa, ut carnem spiritui subjiciant. II. Christianos reliquos, qui extra jejunii tempora carnes comedunt, minime damnant; quod certe facerent, si cum Manichaeis carnes immundas esse ex natura sua censerent. III. Carnes piscium non infrequenter adhibent: quas tamen non minus ac carnes pecorum et animalium Ebionitae, Tatianistae, et Manichaei execrabantur. Ad II. N. C. Quamvis carnes, juxta Patrum doctrinam, seminarium sint libidinum, non tamen sunt, aut a Catholicis censentur ex natura sua immundae. Non enim a Deo creatae sunt, vel concessae ut concupiscentias excitent, sed ut moderate sumptae corpus reficiant, viresque ad divinum servitium suppeditent. Facile tamen nihilominus contingit, ut immoderate sumptae multa trahant post se incommoda: unde fit, ut non natura carnium, sed cupiditas sumentis sit culpanda. Ad III. iterum N. C. Ecclesia non benedicit carnes omni tempore, sed ex laudabili consuetudine in Paschate tantum: immo ne Paschali quidem tempore obligationem imponit fidelibus, ut carnes benedici sinant; sed etiam tunc sine benedictione earum esum concedit, quod permittere non posset, si eas natura sua immundas esse censeret. Ecclesia igitur benedictiones illas adhibet eo fine, ut fideles post transactum Quadragesimale jejunium ad esum carnium redituri, carnes tamquam novum cibum de manu Domini recipiant, et benedictione Sacerdotali adjuti, iis sobrie et salubriter utantur. Exorcismos vero idcirco adhibet, qui non ignorat, infensissimum daemonem creaturis ex se bonis uti in perniciem hominum: proinde precatur Deum, ne sinat res illas a diabolo con-

verti hominibus in malum. Ex quo patet Kemnitianam hanc calumniam omni probabilitate ac fundamento destitui.

CCCXLV. *Dices III.* Si Ecclesia Catholica censeret carnes ex natura sua immundas non esse, magisque culpandam esse sumentium cupiditatem, quam naturam carnium, moderatum illarum usum, non vero omnimodam abstinentiam praescribere debuisset. Ergo, C. P. A. Lautitiae epularum, quae ex piscibus parantur, multo majus sunt concupiscentiae incitamentum, quam carnes v. g. sale conditae, aut fumo duratae et arefactae. Ergo R. N. A. Immoderatus usus carnium et aliarum rerum per se jam lege divina naturali et positiva prohibitus est, ut adeo opus non sit nova lege Ecclesiastica: neque definire potuit Ecclesia, quantum singillatim cibi sive ex carnibus sive ex aliis rebus cuilibet sit sumendum, ob diversam hominum complexionem et necessitatem. Hinc cum lex generalis esse debeat, certamque singulis cibi quantitatem praescribere non potuerit Ecclesia, de sola qualitate legem tulit, certisque temporibus esum carnium omnibus simpliciter interdixit. ad *probat.* T. A. N. C. Ecclesia praecipiendo abstinentiam a carnibus tamquam cibis natura sua concupiscentiam magis incitantibus, minime praecipit lautitias piscium, quae omnino paucorum sunt: immo serio desiderat, ut fideles abstinentia a carnibus non contenti, pretiosis aliis cibis non delectentur. Quod si quis immoderate lautitias ciborum esurialium ac piscium consectetur, legem quidem Ecclesiasticam de jejunio idcirco non violat, cum finis legis sub praeceptum non cadat, at meritum jejunii amittit.

CCCXLVI. *Objicitur II.* contra VI. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Scripturae rejiciunt et damnant jejunium. Ergo jejunium esse nequit meritorium, aut satisfactorium. P. A. Isaiae Cap. LVIII. dicitur: *Quare jejunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. - - Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis.* Zachariae Cap. VII. *Cum jejunaretis et plangeretis, - - - numquid ieiunium ieiunastis mihi? Confirmat.* I. ad Timoth. Cap. IV. scribit Apostolus: *Exerce autem te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est.* Ubi corporalis exercitationis nomine intelligitur jejunium. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Deus non jejunium, quod a se praeceptum fuerat, et a sanctissimis viris, Davide, Tobia, Daniele pie religioseque servabatur; sed modum jejunandi vituperat, quem Judaei tenebant. Illi quippe, quod putarent ad obtinendam Dei misericordiam satis esse corpus inedia afflictare, omni flagitiorum genere vitam suam contaminabant. Docet igitur Dominus ingrata sibi esse jejunia, quando a solis cibis, non item a vitiis et sceleribus abstinemus; multumque apud Deum valere jejunia corporis, si mens a peccatis jejunet. Ad. *confirmat.* N. C. Per *corporalem exercitationem.* Theodoretus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius Com-

ment. in hunc locum non intelligunt jejunium, sed studium confirmandi et corroborandi corpus; ita ut sensus loci illius non alius sit, quam iste: Exerce et more boni Athletae ad cursum, vel certamen pietatis. Hoc enim vere utilissimum est, tum in hac vita, tum in futura. Nam qui vires exercent ad cursum, vel corporale certamen, parum omnino inde lucrantur in hac vita, et in alia nihil omnino.

CCCXLVII. *Objicitur III.* Authoritas Patrum, et primitivae Ecclesiae. *Tertullianus* Lib. de Jejuniis Montanum defendens, scribit abstinentiam a carnibus et jejunium utilia esse ad Deum placandum, promerendum, illique pro peccatis satisfaciendum: tum vero objicit sibi Catholicorum refutationem, qui locum illum Isaiae LVIII. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi?* atque illum Matth. Cap. XV. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, proferebant. Ergo Catholici saeculo II. censebant jejunium non esse meritorium, aut satisfactorium. II. *S. Chrysostomus* Hom. XLVII. in Matth. ait, jejunium in choro virtutum ultimum sortiri locum. III. Eustathius a Gangrensi Synodo damnatus est, licet coram Patribus professus fuisset se abstinere a carnibus, non propter contumaciam, sed propter exercitationem cultus divini. IV. *Eusebius Caesariensis* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. III. ex Epistola Viennensium et Lugdunensium Christianorum ad Asiaticos fratres, juxta versionem Valesii, ita scribit: *Alcibiades unus ex illorum Martyrum numero, durum et squalidum vivendi genus sectabatur; nullumque omnino cibum admittens, solo pane et aqua vesci hactenus consueverat, Cumque in carcere positus eamdem vitae rationem vellet retinere, Attalo post primum quod in*

Amphiteatro confecerat certamen, revelatum est, non recte, neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, et cunctis promiscue cibis uti coepit, gratias agens Deo. R. C. A. N. C. Catholici non ipsum jejunium reprehendebant, sed errorem et superbiam Montani, qui contra morem Ecclesiae suos certis diebus adigebat ad Xerophagias, alias vero ad cibos comedendos crudos et aridos, asserens, eos qui hoc ritu non jejunarent, non spirituales esse homines, sed animales, atque aeterna salute excidere. Ad II. Ipse S. Chrysostomus l. c. mentem suam dilucide explicat; ait enim: *Haec dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus: sed quia doleo, si caeteris neglectis, satis ad salutem vobis ieiunium existimetis, quod in choro virtutum ultimum certe sortitur locum. Praecipuae namque virtutes sunt charitas, humilitas, misericordia, quae vel Virginitatem superant.* Ad III. R. Eustathium a Gangrensibus Patribus damnatum fuisse, quod Ecclesiastica jejunia contemneret, carniumque esum, etiam extra Quadragesimam et jejunii tempora, semper illicitum esse doceret, negans salvari eos qui carnes gustarent, ut patet ex ipsa praefatione Concilii. *Declaratum est*, inquiunt Patres Gangrenses, *hos eosdem* (Eustathianos) *nuptias accusare et docere, quod nullus in conjungali positus gradu, spem, habeat apud Deum. — — — Jeiunia, quae in Ecclesiis sunt constituta, comedendo contemnere. Quidam eorum esum carnium illicitum reputare: nolle in domibus conjugatorum orationes facere etc.* Et Can. II. *Siquis carnem edentem praeter sanguinem, et idolis immolatum et suffocatum, cum*

religione et fide, condemnat, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem, anathema sit. Haec ergo abstinentia Eustathianorum non cultus Dei erat, sed turpissimus error ac superstitio. Ad IV. R. imperite a Protestantibus factum illud contra Ecclesiasticam de carnium abstinentia legem proferri; cum ad abstinentiam perpetuam spectet, quae propter vitandam fratrum offensionem, et ex charitatis officio remitti non solum potest, sed etiam debet. Alcibiades enim durum illud vivendi genus perpetuo servaverat, et in carcere positus retinere volebat. Quod scandalum Confessoribus movit, sive quod Montanistarum jam turbas in Ecclesia excitantium Xerophagiae suspectum facerent austerius illud vitae genus; sive suspicarentur Confessores caeteri, quod haereticorum more, qui ciborum quorumdam esu hominem pollui dicebant, a carnibus et vino Alcibiades abhorreret; sive periculum esset, ne Judices Ethnici duriorem Alcibiadis abstinentiam unum esse e Christianae legis officiis arbitrarentur, adeoque caeteros a Christiana lege hoc in capite deflectere existimarent. Vide quae de Jejunio fuse ac erudite disserunt, *Gregorius de Valentia* Comment. Theolog. Tomo III. Disput. IX. Quaest. II. *Card. Bellarminus* Tomo IV. Controvers. Lib. II. de Bonis Operibus in particulari. *Natalis Alexander* Dissertat. IV. in Hist. Eccles. Saeculi II. *Franc. Xav. Zech.* de Jure rerum Ecclesiasticarum, Sectione II. Titulo XXI.

ARTICULUS IV.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO, ET STATU NATURAE PURAE.

CONTROVERSIA I.

QUAENAM LIBERTAS NECESSARIA SIT AD LIBERUM HOMINIS ARBITRIUM?

Contra Bucerum, Baium, Jansenium.

CCCXLVIII.

Libertas in genere idem est, ac immunitas a quocumque vinculo et subjectione. Triplex a Patribus et Theologis communiter statuitur. I. est libertas a culpa, seu peccato, et dicitur libertas gratiae. II. a miseriis hujus vitae, et vocatur libertas gloriae. III. a vi et necessitate: atque haec libertas naturae appellatur. Libertas naturae, de qua sola in praesentiarum nobis sermo est, subdividitur in libertatem a coactione, et necessitate. *Libertas a coactione*, quae etiam libertas spontaneitatis dicitur, est immunitas ab omni violentia, contra propensionem voluntatis illata, qua quis non invitus, sed sponte agit, licet agat necessario. Hoc modo libere Deum amant Beati in coelo, licet necessario ament Summum Bonum clare cognitum. Hoc sensu libera dicitur processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, ac ipsius etiam Filii Divini generatio; quia neutra coacta est, sed ex naturali inclinatione, ac necessaria propensione divinae voluntatis, et intellectus oritur. *Libertas a necessitate*, quae etiam li-

bertas electionis, arbitrii, indifferentiae vocatur, est potentia sive facultas, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere vel non agere, non tamen ita ut habeat quis potentiam simultatis, i l est, conjungendi actum cum illius omissione; sed simultatem potentiae, id est, simul utramque potentiam tam ponendi quam omittendi actum.

CCCXLIX. Libertas a necessitate subdividitur in libertatem contradictionis et contrarietatis. Libertas *contradictionis*, seu quoad exercitium, est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contradictoriis, qualia sunt v. g. amor, et non amor. Libertas *contrarietatis* est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contrariis, qualia sunt v. g. amor et odium, aut ad utrumlibet ex specie diversis, incompossibilibus: qualia sunt v. g. oratio et studium. Atque haec potestas dicitur etiam diversitatis et specificationis, quippe quae est ad actus diversae speciei.

CCCL. Ad essentiam libertatis a necessitate proximae et expeditae non requiritur libertas contrarietatis, seu potentia contrarium agendi; sed sufficit libertas contradictionis, seu potentia agendi, et non agendi. Ratio est, quia tota essentia ac natura liberi arbitrii reperitur in Deo, ac Beatis; neque tamen in illis reperitur peccandi potestas. Ergo potentia peccandi, aut agendi contrarium, v. g. malum, non est de essentia liberi arbitrii, sed potius est ejusdem defectibilitas, proveniens ex defectu intellectus, qui noxio errore malum apprehendit tamquam bonum. Quod si vero extaret praeceptum de illa contraria actione ponenda, voluntas proxime expedita esse ad agendum non posset sine libertate contra-

rietatis. Res patebit in exemplo. Homo qui positivo actu odii Dei peccat, debet liber esse ut abstineat ab illo positivo actu odii Dei. At necesse non est, ut proximam et expeditam habeant in eo instanti potestatem eliciendi actum contrarium supernaturalis amoris Dei; quia fieri potest, ut tunc non habeat gratiam, sine qua talem actum amoris Dei elicere nequit: neque enim singulis momentis praesto adest gratia. Quod si vero instaret praeceptum eliciendi actum supernaturalis amoris Dei, quia v. g. aliter superari nequit gravis illa tentatio tunc enimvero ad libertatem requiritur potentia contrarietatis, seu eliciendi actum supernaturalis amoris Dei, odio directe oppositum: neque Deus eo in casu denegare posset gratiam, qua adjutus homo actum supernaturalis amoris Dei elicere queat.

CCCLI. Ut potentia sit proxime expedita ad agendum vel non agendum, requiritur quasi duplex actus primus proximus, ita nempe ut adsint omnia requisita ad utrumque extremum libertatis. Constitutiva hujus actus primi proximi sunt, I. voluntas ipsa quantum est de se, et ex sua nativa indole potens se ipsam determinare ad suas operationes, et eligere hanc vel illam, prout ipsi libuerit. II. Omnipotentia divina parata ad concurrendum simul cum voluntate creata ad quoscumque actus ipsi liberos. Decretum, quo omnipotentia paratur ad concurrendum cum voluntate creata, tale est, ut per illud Deus, quantum est in se, velit actus bonos et meritorios; sed libertati creatae consulendi causa nolit impedire concursum physicum suae omnipotentiae etiam ad actus malos, quos tamen, quantum est de se, non vult, sed odit, et severe prohibet: Unde ad actus hujusmodi se habet pure permissive. III. Ex parte in-

tellectus requiritur cognitio indifferens, repraentans non solum objectum, sed etiam motiva allicientia et absterrentia. IV. Ex parte voluntatis auxilia naturae et gratiae ad agendum necessaria. V. Negatio omnis impedimenti per ipsum actum secundum inauferibilis, sive negatio eorum omnium, quae voluntatem necessitare ad unum, vel ab altero impedire possent, et quae per ipsum exercitium libertatis auferri nequeunt.

CCCLII. Ut libertatis, ita etiam necessitatis multiplex est apud Theologos acceptio. *Necessitas* in genere est determinatio ad unum, vel ex inclinatione naturali atque ex ipsa natura proveniens, ut v. g. necessitas in homine amandi beatitudinem in communi: vel ex inclinatione adventitia, quae nempe ab aliqua forma extrinseca naturae intellectuali accedit. Talis est in Beatis necessitas amandi Deum intuitive cognitum. Dividitur haec I. in antecedentem et consequentem. Necessitas *antecedens* est, quae non consequitur ad rem, sed est causa cur res sit. *Consequens* dicitur, quae ad rem ipsam consequitur, Utramque sic explicat S. Anselmus Lib. II. Cur Deus homo, Cap. XVIII. *Est praecedens necessitas, quae causa est cur sit res; et est necessitas consequens, quam facit res*, Prima opponitur libertati necessitate, altera vero non opponitur. Antecedens alio etiam nomine vocatur absoluta, quia omne, voluntatis imperium liberum antecedit: Consequens vero hypothetica seu conditionata, quia liberam voluntatis determinationem consequitur.

CCCLIII. Dividitur II. in perpetuam et transeuntem. Necessitas *immutabilis ac perpetua* dicitur illa, quae pro omni tempore durat, ut v. g. necessitas in Beatis Deum intuitive cognitum semper amandi. *Muta-*

bilis ac transiens, quae non pro omni tempore datur. Talis est flexibilitas voluntatis ad bonum, vel ad malum, qualis in hac vita reperitur, ubi voluntas non est immobiliter bono vel malo affixa et alligata.

CCCLIV. Dividitur III. in metaphysicam, physicam, et moralem. *Metaphysica* est qua voluntas ita ad unum determinatur, ut absolute nequeat aliud agere. *Physica*, quando naturaliter nequit aliud agere. *Moralis*, quando naturaliter quidam aliud potest agere, sed non sine summa difficultate operandi bonum, vel abstinendi a malo: qualis ex inveteratis habitibus contrahitur, cui nihilominibus voluntas, quae sui actus domina semper remanet, aliquando restitit. Ab hac communi et recepta necessitatis moralis significatione deflectunt non nulli Jansenistae, apud quos vere et proprie dicta necessitas, ex delectatione relative superiori proveniens, cui voluntas numquam resistit, immo neque resistere potest in illis circumstantiis, mitiori ac molliori vocabulo *moralis* appellatur; quia nempe vel ad mores pertinet, vel ex delectatione nascitur.

CCCLV. Antequam sententias Catholicos inter et Novatores controversas examinemus, observo I., omnium etiam Novatorum confessione, libertatem a coactione absoluta necessario convenire voluntati humanae, prout haec facultas rationalis est, et electiva a nobis dicitur suorum actuum, quos ipsa immediate elicit, cum impossibile sit eam quoad actus suos internos cogi. Quod enim cogit, est ab extrinseco contra inclinationem patientis: omne autem voluntarium est ab intrinseco et vitali principio, atque ex inclinatione voluntatis profluit. Sicut ergo impossibile est, ut voluntas volendo non velit: ita impossi bile pror-

sus est eam ad volendum cogi coactione absoluta. Agnovit id ipse Jansenius Lib. VI. de Gratia Christi, Cap. V. scribens: *Implicat contradictionem, ut voluntas non sit libera, sicut implicat, ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc est, ut voluntas non sit voluntas.* Dixi *coactione absoluta*; coactio enim secundum quid, ut cum v. g. metu amittendae vitae cariosum membrum praecidimus, aut merces in naufragio projicimus, quae omnia moerentes ac quasi inviti agimus, non est libertati prorsus opposita, sed tantum spontaneo. Voluntas tamen humana potest violentiam et coactionem pati quoad actus, quos potentiis inferioribus sibi subjectis imperat, ut contingit in eo, qui volens moveri per vim cohibetur, vel quiescere volens per vim ad motum impellitur.

CCCLVI. Observo II. Juxta omnes, non haereticos modo sed etiam Catholicos, liberum arbitrium creaturae rationalis versari non posse circa finem ultimum, secundum communem beatitudinis rationem consideratum, ita ut homo beatitudinem suam in genere libere appetat, vel aversetur. Ratio est, quia creatura rationalis ultimum finem suum ex naturali instinctu, adeoque necessario appetit; cum nullus possit velle esse miser, aut malum sibi optare sub ratione mali. Ergo liberum arbitrium non versatur circa finem ultimum formaliter sumptum, seu secundum communem beatitudinis rationem consideratum, sed tantum circa media, quae ad obtinendum finem ultimum conducunt. Quod si igitur voluntas consideretur ut appetens esse beata, suumque statum habere plenum atque perfectum, aut ut appetens bonum, suumque ultimum finem, in quae omnia sine electione ac deliberatione, et suo ve-

luti pondere rapitur, tunc non consideratur voluntas ut potentia rationalis et electiva, sed per modum naturae, quae necessario ad unum est determinata.

CCCLVII. Quaeritur modo an ad liberum arbitrium sufficiat libertas a coactione, an vero requiratur libertas etiam a quacumque necessitate antecedente et inimpedibili: sive, an ad hoc ut actus nobis liber dicatur, sufficiat eum a voluntate elici tamquam a principio intrinseco, juxta illius inclinationem; an vero requiratur etiam ut sit immunis ab omni necessitate antecedente et inimpedibili? Omnes non Catholici modo, verum etiam quotquot fuere haeretici, qui liberum arbitrium negarunt, persuasum semper habuere, liberum arbitrium sine immunitate a simplici necessitate stare non posse; adeoque illud non solum coactioni, sed etiam necessitati opponi. Certe Calvinus Lib. II. contra Pighium: scribit: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor, et constanter assevero, ac pro haeretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, et violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Primus omnium Martinus Bucerus in Lib. de Concordia doctrinae scripsit, libero arbitrio solam coactionem repugnare; putans hoc modo viam ad concordiam Catholicos inter et Protestantes se reperisse. Quod enim Catholici dicunt hominem esse liberi arbitrii, Bucerus intelligi jubet de arbitrio libero a coactione, non a necessitate: quod vero Protestantes asserunt hominem non esse liberi arbitrii, accipiendum esse docet de arbitrio libero a necessitate, non a coactione. Michael Bajus Doctor Lovaniensis, cum sciret Protestanticam doctrinam, quae liberum hominibus adimebat arbitrium,

a Tridentina Synodo damnatam fuisse, ut fulmen hoc effugeret, atque erroris suspicionem declinaret, docuit hominem quidem a necessitate immunem non esse; neque ideo tamen liberum arbitrium amisisse, eoquod sola coactio libero arbitrio repugnet. Hinc damnata fuit a S. Pio V. et Gregorio XIII. Baji propositio ordine XXXIX. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Et LXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Errantem Magistrum secutus est discipulus Cornelius Jansenius, Iprensia postea Episcopus Lib. VI. de Gratia Christi Servatoris, Cap. V. *Voluntas seu volitio, et libera voluntas idem sunt, sicut velle, et libere velle; et impossibile est, ut velle non sit liberum.* Et Cap. VI. *Ex quibus aperte consentaneum est, omnem omnino voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse ut velit, desinere esse liberam.*

CCCLVIII. *Conclusio.* Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a quacumque necesssiate antecedente et inimpedibili. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quae ubicumque fere liberum arbitrium describunt, immunitatis a simplici necessitate meminerunt. Paucos textus ex plurimis delibabimus. Genes. Cap. IV. ait Deus ad Cain: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Ecclesiastici Cap. XV. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur*

illi. Et Cap. XXXI. *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus; facere mala, et non fecit.* I. ad Cor. Cap. VII. *qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis.* Quae verba salutis indican immunitatem ab omni eimplici et absoluta necesaitate.

CCCLIX. Prob. II. Authoritate S. Augustini, qui Manichaeos et Pelagianos oppugnans constanter docuit humanam libertatem immunem esse ab omni necessitate, seu ineluctabili ad unum determinatione; atque ad liberum arbitrium requiri. ut homo actum in sua potestate habeat. Lib. de Spiritu et littera, Cap. XXXI. disputans S. Doctor de libertate hominis lapsi, scribit: *Quid igitur ultra quaerimus quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adiacet facultas faciendi? unde hoc quisque in potestate habere dicitur; quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Lib. V. Operis imperfecti Num. XL. *Qui enim propterea peccavit, quia voluit, potuit et nolle peccare: et ita homo creatus est, et ut nolle posset et velle; et quodlibet horum haberet in potestate.* Lib. II. de Actis cum Felice Manichaeo, Cap. III. *Esse autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligitis sed etiam in verbis ipsius Manichaei vestri probo.* Et Cap. IV. *Audi ergo de libero arbitrio ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti: audi dicentem, Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Cum ergo dicit, Aut hoc facite aut illud facite, potestatem*

indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quae mala sunt, et esse arbor mala. Enarratione in Psalm. CXLIV. *Laus Dei, in via te constituens, ostendere tibi debet, et quid diligas, et quid timeas: et quid appetas, et quid fugias: quid eligas et quid rejicias. Tempus electionis nunc est, acceptionis postea erit.* Enarratione in Psalm. LI. *Benignitas ante te: iniquitas ante te. Compara et elige.* Et in Psalm. XCI. *Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, aut non consentire.* Lib. de duabus Animabus, Cap. XII. *Quamobrem illae animae quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus.* Lib. XXII. contra Faustum Manichaeum, Cap. XXII. *Si resistere non voluerunt, innocentes damnantur; si autem voluerunt, nec voluerunt, quid adhuc tam fabulose indicitis naturam mali; cum a propria voluntate sit origo peccati? Hoc enim certe sua culpa, non ei aliena fecerunt, quod cum possent malo resistere, noluerunt. Si ergo noluerunt, voluntatis crimen est, non necessitatis.*

CCCLX. Prob. III. Authoritate aliorum Patrum et Scholae Principum. Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum ait: *Quoniam libera electio et appetitio peccata primum inchoat, jure infliguntur supplicia.* S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico: *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet.* S. Hilarius Comment. in Psal. II. *Unicuique nostrum libertatem*

vitae, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. S. Optatus Milevitanus Lib. VII. adversus Parmenianum: *Voluntas habet poenam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere, et caetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* S. Ambrosius Lib. II. de Fide, Cap. III. *Pro voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* S. Joannes Damascenus Lib. II. de Fide Orthodoxa, Cap. XXVI. *In nostra potestate sunt ea, quae liberum est nobis facere, vel non facere. — — Proprie autem in nostra potestate consistunt omnia ea, de quibus deliberamus. Consilium porro ac deliberatio de iis rebus suscipitur, quae peraeque in utramque partem contingere possunt. Peraeque autem contingens id est, quod et ipsum possemus, et quod ipsi adversatur. Hujus vero electio penes mentem nostram est.* S. Bernardus Lib. de Gratia et libero arbitrio: *Est vero ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quo minus libere pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, sive in bonum, gratiam sequens.* Eadem est S. Thomae Aquinatis doctrina. I. Parte, Quaest. LXXXIII. Art. III. ait: *Proprium liberi arbitrii est electio: ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimus, quod possumus unum recipere, alio recusato: quod est eligere.* Electionem vero sic describit I. II. Quaest. XIII. Artic. II. *Cum electio sit praeacceptio unius respectu alterius, necesse est quod electio sit ex respectu plurium, quae eligi possunt: et ideo in his quae sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet.* Demum ad libertatem requirit exclusionem determinationis ad unum: ait enim Lib. I. contra Gentes,

Cap. LXVIII. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod est in ejus potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Praeceptorem Angelicum sequuntur caeteri Theologhi.

CCCLXI. Prob. IV. Authoritate Pontificum, *Pii V.* et *Gregorii XIII.* qui propositiones Baji proscripserunt: et Concilii Tridentini, quod Sess. VI. Cap. V. docet, hominem qui inspirationem divinam respicit, aliquid agere, *Quippe qui illam et abjicere potest.* Et Can. IV. posse hominem gratiae dissentire, si velit. At qui potest gratiae dissentire, et inspirationem abjicere, non solum a coactione, sed etiam a necessitate est liber. Praeterea Tridentinum Sess. VI. doctrinam Protestanticam rejicit ac damnat circa liberum arbitrium. At vero neque Lutherus, neque Calvinus umquam negarunt immunitatem hominis a coactione, sed tantum a necessitate. Ergo fateantur necesse est Janseniani, simplici atque inimpedibili necessitate tolli liberum arbitrium; nisi eo petulantiae devenerint, ut dicant, definitiones Tridentini Concilii contra Lutherum et Calvinum liberi arbitrii hostes, ineptas fuisse, falsas, aut saltem supervacaneas.

CCCLXII. Prob. V. Ratione Theologica. I. Quidquid repugnat electioni, repugnat etiam libero arbitrio. Atqui absoluta necessitas, quamvis sit voluntaria, repugnat electioni: haec enim est acceptio unius prae alio, sine antecedente necessitate, et intrinseca ad unum determinatione. Ergo. P. M. Liberum arbitrium nihil aliud est quam vis eligendi, ut observat S. Thomas I. Parte, Quaest. LXXXIII. Artic. III. a nobis Num. CCCLIX. adductus. II. Liberum arbitrium dicit essentialiter dominium in actus illos circa quos versatur. At-

qui dominium in actum stare non potest cum antecedente necessitate, et determinatione intrinseca ad illum. P. m. Voluntas eatenus habet dominium sui actus, quatenus potest de illo pro arbitrio disponere, hoc est, illum producere vel non producere. Atqui si datur antecedens necessitas ac determinatio ad actum, voluntas non potest jam actum illum non producere. Ergo.

CCCLXIII. Prob. VI. Ex sequelis. Si sola libertas a coactione sufficeret ad liberum arbitrium, sequeretur I. quod amor quo Deus se ipsum amat, et quo Beati Deum intuitive cognitum prosequuntur, sit liber eo libertatis genere, quod ad merendum vel demerendum requiritur. Atqui id certe falsum est, quia is non est in potestate operantis. II. Deum Patrem libere genuisse Filium, quia non coactus illum genuit. III. Furiosos, somniantes, infantes, usum habere liberi arbitrii; cum illi non minus sponte agant, atque adulti rationis compotes. IV. Quaestionem hanc jam a primis saeculis ad nostra usque tempora in Ecclesia agitatam circa liberum arbitrium, inanem fuisse logomachiam, et litem vocabulariam; cum nullus haereticorum homini libertatem a coactione denegaverit.

OBJECTIONES.

CCCLXIV. *Objicitur I.* Authoritas Patrum. Patres, praecipue Augustinus, Damascenus, Anselmus etc. necessitatem et coactionem, voluntarium, spontaneum et liberum, cogi et necessitari, pro eodem sumunt. Ergo juxta Patres per solam immunitatem a coactione salvatur liberum arbitrium. R. C. A. N. C. Patres, atque etiam Theologi illi, qui ante Bajum et Jansenium

scripsere, non raro haec vocabula promiscue usurparunt, ea accipientes non in stricta significatione, quam modo in Scholis habent, sed in latiori sensu, prouti juxta popularem loquendi modum passim etiam nunc adhibentur. Quare voces illae pro subjecta materia ad illorum mentem, quam in scriptis suis clarissime manifestarunt, exponendae sunt. Nunc autem Theologi accuratius easdem voces distinxerunt, et in strictiori sensu easdem usurpant, ut Jansenianorum cavillationibus aditum praecludant.

CCCLXV. *Dices I. S. Joannes Damascenus* Lib. II. de Fide Orthod. Cap. XXVII. dicit, libertatem nihil aliud esse quam voluntatem. Ergo cum necessitas non laedat voluntatem, neque destruet libertatem. R. A. N. C. Voluntas apud Patres et Theologos dupliciter sumitur, nempe prout natura est, ideoque potentia ad unum determinata, et prout est facultas sui ipsius per electionem determinativa: atque in hoc sensu voluntas dicitur libertas. Duplicis hujus acceptionis aperte mentionem facit S. Thomas Quaest. II. de Potentia, Art. III. *Voluntas, in quantum voluntas, cum sit libera, ad utrumlibet se habet: potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere, velle et non velle. Et si respectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali*, id est, in quantum natura est. Necessitas igitur non laedit voluntatem, si haec consideretur tamquam natura, atque ad unum determinata; neque enim liberum habemus arbitrium circa ea quae necessario volumus, aut ex naturali instinctu: laedit vero necessitas voluntatem, si haec consideretur tamquam facultas agendi aut non agendi.

CCCCLXVI, *Dices. II.* S. Augustinus agnoscit quamdam esse in homine lapso peccandi necessitatem. Ergo sensit necessitatem non repugnare libero arbitrio. P. A. Lib. I. Operis imperfecti contra Julianum, Num. CV. scribit : *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est.* Lib. de Natura et Gratia adversus Pelagium, Cap. LXVI. *Quod autem ex vitiis naturae, non ex conditione naturae, sit quaedam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere, De necessitatibus meis educ me.* Et Lib. I. Retractationum, Cap. XV. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra praecepta justitiae, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati.* R. D. A. Agnoscit in homine lapso quamdam peccandi necessitatem, peccato materialiter et improprie dicto, ratione nempe concupiscentiae, cui homo propter peccatum originale subjicitur, C. A. Peccato proprie ac formaliter dicto, subdist. Agnoscit necessitatem moralem, seu difficultatem abstinendi a peccato quocumque, etiam vago et indeterminato, C. A. Necessitatem physicam et absolutam committendi peccatum, N. A. Julianus, caeterique Pelagiani, quos loco citato S. Doctor impugnat, asserebant hominem in praesenti statu, absque gratia supernaturali, tam liberum esse ad observandam legem Dei, et omnia peccata vitanda, quam olim fuerat Adamus; nullamque dari necessitatem peccandi, etiam leviter tantum : vel si qua datur, eam non originali peccato sed pravae consuetudini pravisque habitibus adscribendam esse. At vero Augustinus ostendit I. ex peccato primi parentis contractam esse quam-

dam peccandi necessitatem, ac periisse libertatem illam vitandi omnia et singula peccata, quam homo integer habuerat, nisi per gratiam Christi medicinalem roboretur. Nullum tamen ab hac peccandi necessitate excusationem in peccatis repetere merito posse; cum paratam habeat gratiam, qua vel immediate potest peccatum vitare, vel saltem petere a Deo auxilium uberius ut peccatum vitet: adeoque semper hominis culpa fieri, ut vel gratiae resistat, vel ea uberiori privetur. II. Ostendit Augustinus, ab unoquoque hominum nascendo contrahi peccatum originale; idque ex effectibus demonstrat, ignorantia nimirum et concupiscentia, quibus necessario subjicimur, et quas peccata vocat, quia sunt poenae peccati, ac causae peccatorum, et quia vagam, indeterminatam, ac moralem peccandi necessitatem inducunt: fieri enim moraliter nequit, ut habita ratione fragilitatis humanae, ac frequentissimarum quibus pulsamur tentationum, homo non peccet; tametsi nullum sit in particulari peccatum, quod vitare libere non possit. Profecto si Augustinus putasset, necessitatem cum libero arbitrio conciliari posse, solamque illi coactionem obesse, Epistola CCXIV. et CCXV, antea XLVI. et XLVII. ad Valentinum minime scripsisse, quaestionem de concordia gratiae et liberi arbitrii esse obscurissimam, et a paucis penetrari. Nec Lib. de Gratia Christi, Cap. XLVII. dixisset, quaestionem hanc adeo esse implicatam, ut, cum gratia defenditur, liberum arbitrium negari videatur: et contra cum defenditur liberum arbitrium, negari videatur gratia. Si enim liberum arbitrium non aliam exigeret libertatem, quam a coactione, omnis difficultas foret sublata.

CCCLXVII. *Objicitur II.* Ratio. Omnis actus vo-

luntatis, qui praevio judicio rationis elicitur, perfecte liber est, quamvis sit necessarius. Atqui omnis actus voluntatis humanae praevio judicio rationis elicitur. Ergo est liber. P. M. Quoties voluntas modum agendi naturalium supergreditur, ipsa libere agit. Sed quoties judicium rationis voluntatis ducem se praebet, voluntas modum agendi naturalium supergreditur. Ergo. R. N. M. Actus voluntatis, quo Beati Deum intuitive cognitum amant, ducem habent rationem: neque tamen Beati Deum id circo libere amant, ita ut ab amore illo abstinere se possent. Quin etiam juxta Manichaeos voluntas animae bonae ferrea necessitate ab bonum determinatur, tametsi juxta illos talis voluntas ducem supponat rationem: neque enim docuerunt judicium hominis in omni suo actu absorberi et extingui. Ergo falso prorsus asseritur, toties liberum esse actum voluntatis, quoties ducem supponit rationis judicium. Ad *probat.* C. M. N. m. In actibus perfecte quidem voluntariis, sed absolute necessariis voluntas habet modum agendi communem cum caeteris rebus naturalibus, nempe cum determinatione ad unum: neque agit ut voluntas, sed ut natura, saltem quoad modum agendi cum libertate; licet quantum ad substantiam operis semper modum agendi naturalium supergrediatur, cum ejusmodi actus oriantur ex principio intellectuali.

CCCLXVIII. *Dices. I.* Omne quod se ipsum agit, seu movet, est liberum. Atqui voluntas in omni actu voluntario, quamtumvis is sit necessarius, se ipsam agit et movet. Ergo in omni actu voluntario est libera. P. M. Authoritate S. Thomae, qui Lib. II. contra Gentes, Cap. XLVIII. docet, quod sola moventia se ipsa libertatem habeant in agendo. R. N. M. secus volun-

tas Beatorum se ipsam movens in amando Deo, atque etiam anima in hypothesi Manichaeorum se ipsam movens vel ad bonum vel ad malum, foret libera. R. II. D. M. Omne quod se ipsum movet cum facultate ad oppositum, seu cum dominio sui actus, est liberum, C. M. Sine tali facultate et dominio, N. M, et D. m. Ita tamen, ut juxta Jansenianos non possit se non movere, nec facultatem habeat ad oppositum, C. m. Aliter, N. m. et Conseq. Ad *probat.* R. S. Thomam loqui de iis, quae se ipsa movent, non physice tantum, sed etiam moraliter, cum dominio sui actus.

CCCLXIX. *Dices II.* Omnis actus a voluntate elicitus et imperatus, est liber. Atqui omnis actus voluntarius, quamtumvis necessarius, est a voluntate elicitus et imperatus. Ergo. *Confirm.* Omnis actus, qui in nostra est potestate, est liber. Sed omnis actus voluntatis, quamtumvis necessarius, est in nostra potestate. Ergo est liber. R. C. M. N. m. Actus a voluntate imperatus dicitur ille, qui est sub imperio ac dominio voluntatis, a quo potest illa, si velit, abstinere. Atqui talis non est actus necessarius. Ergo non est imperatus a voluntate, quae ad oppositum, seu ad non volendum actum non est expedita. Res patet in amore Beatorum, quo illi Deum prosequuntur: atque in hypothesi Manichaica de necessitate inducta ad malum per animam malam. Ad *confirmat.* D. M. Qui est in nostra potestate elective, et active indifferente, C. M. In potestate non elective, N. M. Potentia elective est potentia se determinandi per electionem, includitque simul potentiam ponendi actum, et potentiam illum non ponendi, ita ut voluntas de utroque contradictionis membro pro arbitrio suo possit disponere.

CCCLXX. *Dices III.* Illud est in potestate nostra, quod fit cum volumus. Atqui omnis volitio fit cum volumus, neque enim illa fieri potest nobis nolentibus. Ergo omnis volitio est in potestate nostra. R. D. M. Illud est in potestate nostra, quod fit cum volumus ex propria determinatione et electione, et ita ut possimus non velle, C. M. Secus, N. M. Et D. m. Omnis volitio fit cum volumus, sive ex propria determinatione, sive ex ineluctabili necessitate, C. m. Fit ex propria determinatione, quando libertas tantum datur a coactione, N. m.

CCCLXXII. *Dices IV.* Si liberum arbitrium consistit essentialiter in indifferentia agendi vel non agendi, habitus boni perinde ac mali repugnarent libero arbitrio. Atqui id dici nequit. P. M. Habitus boni perinde ac mali tollunt indifferentiam. Ergo tollunt libertatem. R. N. M. Ad *probat.* D. A. Tollunt indifferentiam activam, id est, facultatem se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis, N. A. Tollunt indifferentiam propensionis, C. A. N. Conseq. Ad liberum arbitrium non requiritur indifferentia propensionis; sed sufficit sola indifferentia activa, quae expedita semper manet ad utrumlibet, quamvis sublatum sit aequilibrium propensionis. Immo meritum vel demeritum eo majus est, quo habitus boni vel mali intensiores fuerint; quia tunc eo intensius in bonum vel malum fertur voluntas, libere, et sine antecedente ad unum determinatione.

CCCLXXII. *Dices V.* In Deo datur libertas circa creaturas, quamvis non detur indifferentia. Ergo indifferentia illa non est de essentia liberi arbitrii. P. A. Deus ab aeterno determinatus est ad hoc agendum vel non agendum; neque deinceps potest non velle quod semel voluit. Ergo in Deo non datur indifferentia. R.

N. A. Ad *probat.* R. I. D. A. Deus ab aeterno determinatus est ad agendum vel non agendum libere, C. A. Ad agendum vel non agendum necessario, N. A. et Conseq. R. II. Necessitatem illam, qua Deus nequit non velle quod ab aeterno voluit, non esse antecedentem, sed mere consequentem: adeoque illam minime obstare libero Dei arbitrio.

CCCLXXIII. *Dices VI.* Ratio allata id unum evincit, Deum quidem fuisse, non autem modo esse liberum. Ergo. P. A. Si Deus nunc foret liber, tunc ideo quia pro priori cum indifferentia et propriae libertate ad actum se determinavit. Atqui haec ratio nihil probat. P. m. Tali modo liber etiam dicendus esset actus amoris beatifici; quia Angeli et homines, qui Beati fiunt, propria voluntate, libere ac indifferenter se determinarunt ad diligendum Deum. Ergo. R. N. A. Cum necessitas volendi quod Deus aliquando voluit, sit mere consequens et ex hypothesi, eadem perseverat in Deo libertas; quia actus non destruit potentiam, nec per actum tollitur indifferentia positiva et in actu primo, sed tantum indifferentia in actu secundo, et secundum negativam sumpta. Ad *probat.* C. M. N. m. Ad hujus *probat* N. A. Deus circa creaturas liberrime, ac cum plena indifferentia se determinavit ad hoc agendum vel non agendum: at vero Beati jam in primo instanti, quo Deum intuitive vident, non libere et ex electione, sed suavi necessitate adacti Deum amant, ita ut eorum voluntas se ab hoc amore cohibere non possit; quamvis cum adhuc essent in via constituti, Deum et justitiam dilexerint libere atque ex electione. Neque enim putandum est, actum charitatis, quem Beati olim habebant in via, eumdem esse secundum identitatem numericam cum illo,

quem habent in termino, seu in patria: aut eumdem esse modum illum producendi in patria, et in via. In via enim a voluntate indifferenter producitur, non sic in patria; quia nulla est in patria, sicut in via, indifferentia judicii, quae proponat Deum indifferenter amandum vel non amandum. Vide *Tournely* Tomo I. de Deo, Divinisque attributis, in Appendice de natura libertatis.

CCCLXXIV. *Objicitur III.* Infirmitas argumenti, quod Num. CCCLXIII. ex sequelis instruximus. S. Thomas Quaest. X. de Potentia, Art. II. ad v. et Scotistae communiter processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio liberam appellant, quia voluntaria est. II. Voluntas Beatorum in potestate sua habet amorem beatificum. Ergo amor beatificus est liber. P. A. Voluntas Beati potest suspendere amorem beatificum, quo necessario Deum diligit. Ergo amor beatificus est liber. P. A. Si Beatus non vellet Deum amare, non amaret. Ergo potest suspendere amorem beatificum. *Confirmat.* Modus operandi necessario, est modus agendi brutorum. Ergo amor Beatorum est liber. R. ad I. S. Thomas, et Scotistae liberam vocant processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio in latiori sensu, ut probent eam non esse coactam, sed ex summa voluntatis propensione et inclinatione. Ipse *Aurcolus* Scoti discipulus in I. Sententiarum, Dist. I. Cap. III. Artic. III. fatetur, ex Scotistarum opinione, nec Deum libere amare se ipsum, nec Patrem et Filium libere Spiritum Sanctum producere, si esse liberum idem sit, ac habere dominium sui actus. Hinc scotistae non loquuntur de ea libertate, quaes liberi arbitrii propria est, et quae definitur dominium et potestas in actum. Ad II. R. N. A. Voluntas Beato-

rum ita exercet amorem beatificum, ut illum non possit non exercere. Ad *probat*. R. Antecedens equidem verissimum est, sed sub conditione impossibili, simileque huic: *Si Deus vellet mentiri, mentiretur*. Quare negatur suppositum, quod beatus possit velle Deum non amare, quem necessario amat. Ad *confirmat*. D. A. Modus operandi necessario, in omnibus et ex cognitione imperfecta, est modus agendi proprius brutorum, C. A. Modus operandi necessario circa objectum praestantissimum, nempe Deum perfecte et clare cognitum, N. A. et Conseq.

CONTROVERSIA II.

AN AD MERENDUM VEL DEMERENDUM IN STATU NATURAE LAPSAE REQUIRATUR LIBERTAS INDIFFERENTIAE?

Contra Bajum et Jansenium.

CCCLLXXV.

Bajus et Jansenius admittunt quidem ad merendum vel demerendum in praesenti statu requisi liberum arbitrium. Verum cum liberi arbitrii nomine nil aliud intelligant, quam libertatem a coactione, hoc ipso negant, ad meritum vel demeritum requiri libertatem indifferentiae, sive potentiam proxime expeditam ad agendum vel non agendum, quae ad essentiam liberi arbitrii omnino pertinet. Hinc Pius V. et Gregorius XIII. damnarunt Baji propositionem ordine LXVII. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*. Inno-

centius X. haereticam declaravit propositionem Jansenii ordine tertiam. *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

CCCLXXVI. *Conclusio.* Ad merendum vel demerendum etiam in statu naturae lapsae requiritur liberum arbitrium, seu libertas indifferentiae. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ecclesiastici Cap. XXXI. dicitur: *Beatus — — qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Quibus verbis Scriptura laudabilitatem moralem, et rationem meriti repetit ex eo, quod homo non transgrediatur mandata, cum posset transgredi: nec mala faciat, cum posset facere, hoc est, quod sine antecedente necessitate, ac cum plena libertate indifferentiae bonum agat.

CCCLXXVII. Prob. II. Authoritate Patrum. Tertullianus Lib. II. contra Marcionem, Cap. VI. scribit: *Caeterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* S. Justinus Apologia II. pro Christianis: *Illa quippe ortae cujusque rei natura est, ut virtutis et vitii sit capax, neque quidquam eorum quae creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alteroversum se convertendi obtineret.* S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. LXXII. *Si igitur non in nobis esset facere haec, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus consilium dare, quaedam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberae sententiae ab initio est homo, et liberae sententiae est Deus cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei,*

continere bonum, quod perficitur ex ea, quae est ad Deum obedientia. Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum: *Quoniam libera electio et appetitio peccata primum inchoat, jure infliguntur supplicia.* Origenes in Cap. I. Epist. ad Rom. *Non enim vires agitur, neque necessitati in alteram partem anima inclinatur: alioquin nec culpa ei, nec boni electio praemium, nec electio mali supplicium mereretur.* Eusebius Lib. VI. Praeparationis Evangelicae, Cap. VI. *Sublato libero arbitrio, jacebit omnis Philosophia, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi. — — Nullum meritum, nulla laus, nec virtus erit, nec vitium, si non libera voluntate, sed necessitate fatorum opera nostra fiunt.* S. Hilarius in Psalm. II. *Quid honoris ac praemii bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse vis quaedam inserta non sineret? Voluntati ergo promissa bonitas est, ut praemium sibi voluntas bonitatis acquireret.* S. Chrysostomus Hom. XXII. in Genes. *Nonne manifestum est, sua quemque voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam si ita esset, et naturae nostrae potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos praemia virtutum accipere oportebat.* S. Hieronymus Lib. II. contra Jovinianum: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* S. Cyrillus Alexandrinus Lib. II. in Joannem, Cap. LIV. *Liberum arbitrium hominis his verbis ostendit, qui ad terutrum secundum animi sui judicium potest proficisci. Sic enim juste laudem, si bene agimus, et contraria, si mala committimus, invenimus.* S. Bernardus Serm. LXXXI. in Cantica: *Ubi non est libertas, nec meri-*

tum. Propterea quae sunt carentia ratione animalia, nihil merentur; quia sicut deliberatione, ita et libertate carent.

CCCLXXVIII. Prob. III. peculiariter Authoritate S. Augustini, quem Janseniani non flagitiose minus quam false suum esse contendunt. Lib. de duabus Animabus, Cap. XI. scribit S.Doctor: *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet; aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum?* Lib. VII. de Civit. Dei, Cap. VIII. *Scio in quo fit mala voluntas, id in eo fieri, quod si nollet, non fieret: et ideo non necessarios, sed voluntarios defectus justa poena consequitur.* Lib. contra Fortunatum Manichaeum, Disp. I. Num. XV. *Animae rationali quae est in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate boni essemus. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat ut Deus animae daret liberum arbitrium.* Et Disput. II. Num. XX. *Liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum esse justum posset, nec meritum recte faciendi.* Lib. de Gratia et Libero arbitrio, Cap. II. *Ipsa divina praecepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret.* Ex quibus locis sic argumentor. Ex divinis praeceptis, eorumdem utilitate, transgressione, ac transgressorum punitione S. Augustinus eam infert libertatem, quam Manichaei, quos impugnat, nega-

bant. Sed illi negabant libertatem arbitrii, seu libertatem a simplici necessitate, non vero a coactione, quae essentialis est ipsi voluntati, cum nolens non possit velle. Ergo hanc ipsam libertatem S. Augustinus infert, atque adeo haec, juxta ipsum, requiritur ad obediendum praeceptis, eorumque transgressionem, adeoque ad merendum vel demerendum.

CCCLXXIX. Prob. IV. Authoritate Theologorum, ac praecipue S. Thomae, qui Quaest. VI. de Malo, Artic. unico ita scribit: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra.* – – – *Haec autem opinio est haeretica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Et paulo infra: *Si ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio.*

CCCLXXX. Prob. V. Ratione Theologica. Nam I. ad meritum requiritur, ut actio qua meremur, sit nostra, eamque dare possimus tamquam pretium pro praemio. Atqui ut hoc fiat, requiritur libertas a quacumque necessitate simplici. II. Ad rationem demeriti requiritur peccatum proprie ac vere tale. Atqui peccatum proprie ac vere tale dari non potest sine libertate indifferentiae. P. m. In homine nec datur, nec dari potest obligatio moralis ad impossibile. Ergo actio necessario ab homine elicita non est contra aliquam obligationem moralem. Ergo non est peccaminosa. Ut enim observat S. Augustinus Lib. de duabus Animabus,

Cap. XII. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae.* Confirmatur id ex communi consensu omnium hominum, qui judicant neminem mereri laudem vel praemium, poenam aut vituperium, quod egerit id quod omittere non potuit, vel omiserit id quod non potuit facere.

OBJECTIONES.

CCCLXXXI. *Objicitur I.* Authoritas S. Augustini, qui Lib. I. Operis imperfecti contra Julianum, Num. CVI. scribit: *Necesse est ut peccet, a quo ignoratur justitia: numquid ideo cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quae ignorantiae necessitate commisit?* Ergo S. Augustinus censet, hominem demereri posse cum necessitate peccandi. R. C. A. D. C. Cum necessitate peccandi consequente et impedibili, C. C. Cum necessitate antecedente et absoluta, N. C. Augustinus agit ibi de peccatis, quae fiunt ex ignorantia culpabili, quam homo debuit et potuit vincere, nec tamen vicit ob negligentiam in perquirenda veritate. Unde haec ignorantia est indirecte volita, et est in potestate hominis, ut sit, vel non sit: neque impedire potest imputabilitatem aut demeritum.

CCCLXXXII. *Dices I.* S. Augustinus loquitur ibi de peccatis quae fiunt ex ignorantia invincibili. Ergo loquitur ibi de peccatis quae necessario fiunt, necessitate antecedente. P. A. Loquitur de ignorantia, quae est poena peccati. Ergo loquitur de ignorantia invincibili. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Utraque ignorantia, tam invincibilis quam vincibilis, est poena peccati

originalis : invincibilis quidem a peccato proprie tali operantem excusat; vincibilis autem, qua non ex impossibilitate, sed ex magna difficultate discendi quid appetendum ac vitandum sit, laborat homo non adhibens ad eam depellendam tantam diligentiam, quantam posset et deberet, et non excusat a peccato.

CCCLXXXIII. *Dices II.* S. Doctor post verba superius laudata illico subjungit. *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur, De necessitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, et praeteritam dimittendo iniquitatem, et opitulando ne intremus in tentationem. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Ergo necessitas non tollit demeritum. R. C. A. N. C. S. Augustinus loquitur ibi de morali necessitate peccandi, orta partim ex ignorantia culpabili, partim ex effreni concupiscentia: quae moralis necessitas cum nihil aliud sit quam magna illa ad malum propensio, tollit quidem libertatem aequilibrii, seu propensionis; at non tollit indifferentiam activam.

CCCLXXXIV. *Dices III.* S. Augustinus Lib. XII. de Civitate Dei, Cap. I. scribit: *Quam porro magna sit laus* (Angelorum) *adhaerere Deo, ut ei vivat, inde sapiat, illo gaudeat, tantoque bono sine morte, sine errore, sine molestia perfruatur, quis cogitare digne possit, aut eloqui?* Ergo juxta S. Doctorem laudari potest id, quod necessario fit. R. Angelos laude dignos appellat S. Doctor ob amorem beatificum, sumendo laudis nomen in ampliore significatione, nempe pro honore, qui non exhibetur propter actionem liberam, sed propter solam dignitatem supposiți. Quare id unum Au-

gustinus ibi vult dicere, Angelos propter indefectibilem illam adhaesionem ad summum Bonum per constantem amorem esse honorandos ac colendos.

CCCLXXXV. *Objicitur II.* Meritum Christi. Actiones Christi maximi ac infiniti fuerunt meriti, quamvis necessario Deum diligeret: item obedientia illius Patri praestita mortem pro nobis subeundo fuit meritoria, quamvis Christus non potuerit non implere quae Pater praeceperat. Ergo ad merendum vel demerendum non requiritur libertas indifferentiae. *Confirmatur* ex doctrina S. Thomae, qui de libero Christi arbitrio disserens in III. Sententiarum, Dist. XVIII. Quaest. unica, Art. II. ad V. ait: *Vel dicendum, quod etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit: et ita est actus sui dominus.* Ergo juxta S. Thomam ad meritum et laudem sufficit sola libertas a coactione. R. I. Nos loqui de merito puri hominis tantum, ad quod Scriptura et Patres libertatem indifferentiae exigunt. R. II. N. C. Quamvis Christus ad diligendum Deum necessitatus fuisset quoad exercitium actus, mereri tamen potuisset ex eo capite, quod Deum actu valde intenso ac cum magna inclinatione diligeret, Patrisque voluntatem exequeretur; poterat enim ex actibus charitatis imperatis alios elicere, alios emittere pro arbitrio. R. III. probabilem esse, nec fundamento destitui illam sententiam Theologorum quorumdam, qui dicunt, Sanctissimam Christi Humanitatem liberrime amasse Deum, ac Patri obtemperasse, eoquod in ipso instanti Unionis hypostaticae, sed pro priori signo rationis ad

illam, habuerit potentiam proximam peccandi; peccato impeditivo Unionis hypostaticae. Verum haec ad forum nostrum non pertinent, sed ad Speculativae Theologiae tractatores. Ad *confirmat.* patet responsio ex alio loco S. Thomae III. Parte, Quaest. XVIII. Artic. IV. ad III. *Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium.* Quare per voces illas, *non coacte, sed sponte*, Angelicus Doctor idem significare voluit, ac non necessario quacumque necessitate, sed libere, libertate a quavis simplici et absoluta necessitate, ut patet ex verbis: *Et ita est actus sui dominus.* Etenim S. Thomas pluribus locis ad dominium actus requirit libertatem a quavis simplici et absoluta necessitate.

CCCLXXXVI. *Objicitur III.* Argumentum ab inductione. Laus aut vituperatio, meritum ac demeritum tribuitur etiam actionibus necessariis. Ergo ad merendum vel demerendum necessaria non est libertas indifferentiae. P. A. I. Bruta laudantur ac vituperantur, praemio aut poena afficiuntur, quamvis solam habeant libertatem a coactione. II. Damnati gravissime peccant Deum blasphemando: nec excusantur consuetudinarii a peccato, quamvis a peccato abstinere nequeant ob pravi habitus vehementiam. III. Homo in statu naturae lapsae, ipsis etiam Catholicis fatentibus, vitare non potest omnia peccata venialia: neque tamen idcirco, si delinquat, a peccato excusatur, aut a poena eximitur. IV. Mercenarius est dignus mercede sua, licet ad laborem illum adigatur, vel forsan mente captus sit. V. Amor, quo Beati Deum intuitive cognitum prosequuntur, est laudabilis. Ergo ad merendum vel demerendum

non requiritur libertas indifferentiae. R. N. A. Ad I. R. per laudes brutorum aliud nos non indicare, quam nostram de iis aestimationem, aut eorum ad hoc vel illud aptitudinem, non autem meritum aliquod proprie tale : ferme sicut interdum laudamus res etiam inanimatas, v. g. horologium ad regulas artis exactum. Hinc bruta neque poenis proprie afficiuntur, aut premiis ; sed tantum materialiter, aut quasi medicinaliter ut ex speciebus doloris aut voluptatis, suo tempore rursus excitandis, determinentur ad actiones aliquas vel eliciendas vel omittendas. Ad II. R. Si damnati physice necessitantur ad blasphemias, eos formaliter non peccare. Quia tamen communius Theologi existimant, necessitatem illam non physicam, sed moralem esse, blasphemiae illorum a peccato excusari nequeunt, quamvis non amplius illis imputentur ad novam poenam, quia damnati non amplius in via, sed in termino sunt. Consuetudinarii possunt potentia physica abstinere a peccato, quamvis id non possint potentia morali. Et quamvis in illis non amplius detur indifferentia propensionis, datur tamen indifferentia electionis, quae sola libertatem constituit. Non obstante enim inclinatione ad malum, quam consuetudinarii experiuntur, possent illi ac deberent cupiditatibus suis resistere. Praeterea haec ipsa inclinatio ad maum consuetudinario est libera, et volita, quia in eam se libere conjecit, ac in eadem libere perseverat. Ad III. D. A. Homo vitare non potest omnia peccata venialia, potentia physica, N. A. Potentia morali, C. A. N. C. Ut aliqua actio libera dicatur, sufficit si detur potentia physica illam eliciendi. Ad IV. D. A. Est dignus mercede sua propter meritum, seu propter obsequium moraliter imputabile, N. A ; hoc enim

obsequium exigit libertatem indifferentiae. Est dignus mercede sua propter ipsam utilitatem operis, ex aequitate naturali, aut etiam ex contractu, fidelitate etc. C. A. N. C. Ad VI. D. A. Est laudabilis objective, quia conformis est naturae rationali, habetque honestatem objectivam, C. A. Est laudabilis formaliter, ita ut hic amor Beato imputari possit ad meritum vel ad laudem proprie talem, quae sit praemium hujus amoris, N. A. et Conseq.

CCCLXXVII. *Objicitur IV.* Voluntarietas actionis. Si impossibilitas servandi mandata Dei est peccatori voluntaria, tunc illum non excuat a peccato, neque eximit a poena. Atqui est voluntaria. Ergo. R. D. M. Si est voluntaria ita, ut peccator possit illam impossibilitatem pro arbitrio tollere vel non tollere, N. M. Si hoc non possit, N. M. Et sic distincta minore, N. C. Haec impossibilitas, quam tamen dari constanter negamus, quamvis non foret contraria inclinationi peccatoris, necessitatem tamen inferret violandi mandata Dei, nec pro arbitrio suo eam a se propulsare posset peccator, adeoque liberum arbitrium everteret.

CCCLXXXVIII. *Dices.* Peccator quamvis necessario agat, habet tamen potentiam faciendi oppositum. Ergo haec impossibilitas non tollit liberum arbitrium. P. A. Peccator, si vellet, poneret oppositum. Ergo habet potentiam faciendi oppositum. R. D. A. Habet potentiam ligatam et impeditam, C. A. Completam et expeditam, quae requiritur ad liberum arbitrium, N. A. et Conseq. In Systemate Janseniano impossibile est, ut stante delectatione terrena superiore homo velit bonum. Ergo ad bonum non habet potentiam expeditam, sed ligatam. Ad *probat.* C. A, sed nego suppositi-

tum, quod peccator in systemate Jansenii possit velle oppositum; simpliciter enim impossibile est, ut in illis circumstantiis, possit homo velle oppositum illius quod necessario facit. Ergo homo non habet veram potentiam faciendi oppositum: nam quod non est possibile nisi sub conditione impossibili, est absolute et simpliciter impossibile.

CCCLXXXIX. *Objicitur V.* Libertas in causa. Quamvis homo necessario peccet: peccatum tamen merito illi imputari potest, quia liberum erat in voluntate Adami, quae est moraliter nostra. Ergo ad merendum vel demerendum non requiritur personalis libertas indifferentiae, sed sufficit libertas in causa. R. N. A. Replica haec quam Jansenistis familiaris, tam absurda est, ac merito proscripta ab Alexandro VIII, qui propositionem hanc ordine I. damnavit: *In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium et liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.* Nam I. peccata personalia debent procedere a libertate propriae voluntatis, quae sit physice nostra; ac per hoc praecipue personale differt a peccato originali, ad quod committendum sufficit voluntas physice aliena, ac moraliter tantum nostra. II. Deus non potest praecipere impossibilia, etiam cum haec impossibilitas oritur ex aliqua nostra culpa personali, si non est in nostra potestate, ut pro arbitrio impedimentum tollamus vel non tollamus. Sic si quis sibi eruat oculos, ne Breviarium recitet: aut si mancipium pedes sibi amputet, currere ne cogatur ab hero; Deus atque herus poterunt quidem illi imputare, quod oculos sibi eruerit, aut pedes amputarit, et eruendo oculos, atque amputando

pedes recitationem Breviarii, aut cursum sibi impossibilem effecerit; at non poterunt exigere ab eo, eique praecipere, ut erutis oculis Horas Canonicas legat, aut amputatis jam pedibus currat.

CCCXC. Praeterea plura alia ex Janseniano hoc commento sequerentur absurda. Primo siquidem non posset Deus posteris Adae praecipere, ut ab aliis peccatis abstineant, sicuti non potest ipsis praecipere, ut abstineant a motibus indeliberatis concupiscentiae rebellis, quamvis motus isti fuerint posteris liberi in causa, in peccato nempe originali, et in Adami libertate. Deinde si non requireretur in posteris libertas indifferentiae, sed satis esset libertas ejusmodi in causa, sive in Adamo, similiter non requireretur in posteris usus rationis ad peccandum; sed satis esset usus rationis, qui fuit in Adamo, quando commisit peccatum originale, et in ipso peccarunt posteri; unde etiam mentis inopes, et phrenesi abrepti blasphemando vel furando peccarent. Demum deleto peccato originali per baptismum posteri evaderent impeccabiles; eorum siquidem actiones materialiter malae non haberent unde traherent formalem malitiam, cum post deletum per baptisma originale peccatum nihil damnationis in eis supersit, atque adeo in iis nulla supersit formalis malitia contracta in Adamo: nisi dicere velint, quod Deus ficte tantum in baptismo homini condonet peccata, eumque in filium suum simulate tantum adoptet, atque ad amicitiam suam admittat. Insuper ipse Adam amisso per peccatum inobedientiae statu integritatis, etiamsi centies et millies peccasset, nullam contraxisset novam malitiam, praeter illam quam contraxit comedendo pomum vetitum.

CONTROVERSIA III.

AN SIMPLEX NECESSITAS VOLUNTARIA ET MUTABILIS, QUAE JUXTA MENTEM JANSENII ORITUR EX DELECTATIONE SUPERIORI RELATIVA ET INDELIBERATA, TOLLAT LIBERTATEM QUAE IN STATU NATURAE LAPSAE REQUIRITUR AD MERENDUM VEL DEMERENDUM?

Contra Jansenianos.

CCCXCI.

Primum Janseniani Systematis fundamentum est, naturam humanam Adami peccato vitiatam non aliter bonum operari posse quam impulsu delectationis coelestis praevalentis; nec aliter malum, quam praevalentis terrenae delectationis impulsu, eo ferme pacto, quo homo viribus penitus destitutus ac semivivus non aliter quam alieno impulsu ad sinistram vel dexteram verti potest. Hoc fundamento praejacto Jansenius explicat, quomodo voluntas a praedictis delectationibus moveatur ac determinetur; idque fieri docet lege quasi mechanica, atque adeo delectationem illam, quae vividior est, pluresque habet virtutis gradus, movere ac determinare voluntatem ad prosecutionem objecti vel boni, vel mali, quod magis delectat; eo ferme pacto, quo in bilance pondus plus habens gravitatis movet ac determinat lancem cui superincumbit, ad descensum: et sicuti non potest non descendere lanx illa cui pondus gravius superincumbit, quia ponderi graviori nequit pondus minus grave prae-

ponderare : ita non posse voluntatem non operari id, ad quod a majori delectatione inclinatur, quia delectatio minor praeponderare nequit delectationi majori. Docet insuper delectationem vividiorem, pluresque habentem virtutis et activitatis gradus, inevitabiliter ac insuperabiliter voluntatem movere et determinare: *inevitabiliter*, quia est actus indeliberatus, advertentiam omnem et consensum antevertens: *insuperabiliter*, quia tam impossibile est voluntatem non operari id quod magis delectat, quam impossibile est majori delectationi minorem praeponderare.

CCCXCII. Delectatio coelestis major ac vividior terrena delectatione opposita juxta Jansenium est gratia Christi Reparatoris sufficiens simul et efficax, ultra quam nullam in statu naturae lapsae gratiam pure sufficientem admittit. Nam nisi coelestis delectatio sit major delectatione terrena, est vel minor vel aequalis. Si minor: non est sufficiens; quia impossibile est voluntatem non amplecti quod magis delectat, atque adeo amplecti quod delectat minus. Si vero sit aequalis, voluntas nihil operari potest, eamque suspensam haerere necesse est, non aliter ac necesse est bilancem haerere suspensam, si pondera utrinque sint aequalia. Delectatio major ac vividior appellatur a Jansenio *victrix*, et ideo victrix, quia gradibus superior; qua docet non indiguisse Adamum in statu integritatis, etiam ad recte operandum, quia tunc concupiscentia non dominabatur voluntati: peccatum enim Adami sine impulsu terrenae delectationis indelibe ratae perpetratum est, cum opposita delectatio terrena nihil aliud sit, quam concupiscentia carens fraeno, quo illa coercebatur in Adamo nondum lapso.

CCCXCIII. Delectatio illa Janseniana, indelibera-

ta, superior ac relativa, centrum est ex quo quinque illae Jansenii propositiones ab Ecclesia proscriptae, quasi totidem lineae necessario derivantur. Ex hoc enim principio necessario infertur I. aliqua Dei praecepta a justis etiam volentibus et conantibus, impleri non posse secundum praesentes quas habent vires: in justis enim non raro major est indeliberata delectatio terrena quam coelestis, etiam tunc quando praeceptum urget: atque hinc transgressio erit necessaria, cum impossibile sit juxta Jansenium, ut minor delectatio coelestis superare possit in his circumstantiis terrenam majorem.

CCCXCIV. Infertur II. interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resisti. Si enim coelestis delectatio major fuerit terrena, plenum suum effectum ac perfectum obtinebit, scilicet opus bonum, ad quod ex natura sua ordinatur, et ex natura sua tendit. Si vero minor fuerit terrestri, inefficaces solum et imperfectos ad bonum motus excitabit, effectumque obtinebit imperfectum, ad quem solum a Deo ordinatur. Neque enim Deus gratiam parvam seu delectationem coelestem terrena minorem ordinare potest ad plenum effectum in his circumstantiis obtinendum, quod impossibile esse Deus cognoscit. Ergo gratia interior semper est efficax, quia semper aliquid efficit, et numquam frustratur eo effectu; ad quem a Deo proxime datur. Ergo illi numquam potest resisti, quia semper est efficax, licet non semper sit victrix, quando nimirum minor est terrena delectatione.

CCCXCV. Infertur III. ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione; eoquod delectatio illa superior, indeliberata ac

relativa, necessitatem agendi inducat quidem, non tamen advertentiam tollat, judicium rationis, et approbationem voluntatis. Secus si libertas indifferentiae ad meritum vel demeritum requireretur, homo in statu naturae lapsae hac libertatae spoliatus, nec mereri nec demereri posset.

CCCXCVI. Infertur IV. Semipelagianos in hoc haereticos fuisse, quod vellent interiorem gratiam talem esse, cui posset humana voluntas pro libito suo resistere vel obtemperare. Si enim voluntas eo semper necessario trahitur, quo major delectatio eam ducit; et si fieri non potest, ut minor delectatio indeliberata superiorem vincat, omnino consequens est, ut delectatio superior motione insuperabili et indeclinabili voluntatem ad unum determinet, nec possit voluntas eo in statu tali determinationi non consentire.

CCCXCVII. Infertur V. Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum non esse, nec sanguinem fudisse, ut nimirum omnibus hominibus gratias vere sufficientes mereretur, quibus salvari possent. Vel enim delectatio coelestis major est terrena, vel minor, vel aequalis. Si major; necessario plenum ac perfectum effectum obtinet: si minor; impossibile est voluntatem amplecti illud quod minus delectat: si aequalis; voluntas suspensa haeret. Ergo juxta Jansenium nulla datur gratia vere sufficiens, sed tantum efficax. Ergo Christus mereri non potuit reprobis gratias vere sufficientes, multoque minus promeritus illis fuit gratias efficaces ad obtinendam salutem. Ergo pro illorum salute mortuus non est.

CCCXCVIII. Janseniani ut a solidissimo, sibique molestissimo Catholicorum argumento se expediant, quo

illi invicte probant, hominem justum sola gratia parva, seu delectatione coelesti minore instructum, veram et expeditam non habere potentiam ad superandam tentationem, sed irresistibiliter ad peccatum necessitari: reponunt, necessitatem illam quam infert praeponderans delectatio, non absolutam esse et totalem, sed relativam et partialem; quatenus nimirum homo gratia parva instructus posset quidem absolute sequi delectationem coelestem, nisi adesset delectatio terrena praeponderans, adeoque *relate* tantum ad illam necessitari hominem. *Partialem* vocant hanc necessitatem, quia haec vincit quidem, at non tollit omnem potentiam. Duplici huic necessitati duplex pariter juxta Jansenianos respondet potentia, absoluta nimirum, et relativa, quibus duobus vocabulis innumeras fraudes ac fallacias tegunt. Per *absolutam* intelligunt illam, quae a circumstantiis, ac subjecti praesentibus dispositionibus praescindit; per *relativam* vero eam intelligunt, quae hic et nunc datur, attendendo ad praesentes circumstantias. Jam vero hominem parva gratia instructum absolutam dicunt habere potestatem et potentiam superandi tentationem, non vero potentiam relativam. Atque hac unica potentiae aequivocatione se involuentes, quinque proscriptas Jansenii propositiones verbis damnant, at re ipsa tuentur. Si enim rogas, an justis impossibilia sint Dei mandata: respondent, non esse impossibilia, intelligendo impossibilitate absoluta, non autem relativa. Si quaeris an possit gratiae interiori resisti: respondent, posse; scilicet quod effectum ulteriorem, quem habere potest absolute, at non relative. Si rogas, an a libertate excludant necessitatem: respondent se excludere; at absolutam, non relativam: item voluntatem resistere posse gratiae vel

obtemperare, si absolute spectetur, non si relative, hoc est, si coelestis delectatio gradibus inferior sit terrena. Denique Christum mortuum esse pro omnibus, et Deum velle omnes homines salvos fieri, ob gratias illas parvas et sufficientes, quae quidem absolute possent homines ad salutem perducere, non vero relate ad praesentes hominum dispositiones. Ex quo vides quam facile etiam solo potentiae vocabulo incautis fucum faciant Jansenia-ni, videanturque verbis idem docere, quod Catholici. Atque inde est, quod potentiam absolutam, quae totius mysterii iniquitatis arcanum est, ac quasi nucleus, Janseniani multis aliis nominibus involvant et implicent. Vide *Tournely* de Gratia Christi, Parte I. Quaest. III. *Jos. Carpani* in Disputatione Polemica de Delectationibus coelesti ac terrena, Sectione II. Nos in praesentiarum omissis aliis, quae suo loco ac tempore plenius discutientur, hoc unum examinabimus, num simplex ac relativa haec necessitas, quae oritur ex delectatione superiore indeliberata, liberum tollat voluntatis arbitrium, quod ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae requiritur.

CCCXCIX. *Conclusio.* Necessitas, licet voluntaria et mutabilis, quae juxta Jansenium oritur ex delectatione superiore relativa et indeliberata, tollit libertatem, quae in statu naturae lapsae requiritur ad merendum vel demerendum. Prob. Haec necessitas, quae in systemate Janseniano oritur ex delectatione superiore relativa et indeliberata, tollit libertatem indifferentiae. Atqui libertas indifferentiae, ut priore Controversia ostendimus, requiritur etiam in statu naturae lapsae ad merendum vel demerendum. Ergo haec necessitas tollit eam libertatem, quae etiam in statu naturae lapsae requiritur ad

meritum vel demeritum. Major propositio a Jansenio facile admittitur, qui libertatem indifferentiae seu electionis Adami peccato deperditam fuisse contendit, solamque ad liberum arbitrium sufficere ac requiri immunitatem a coactione. At praefracte negatur ab aliis, qui vel bona fide, sed incaute, Jansenianum hoc principium adoptant, putantes id Augustini doctrina fundari; vel ab iis, qui occultis id cuniculis agunt, ut et Jansenii systema erroresque renovent, et Catholicis Catholici videantur, dum proscriptas quinque Jansenii propositiones, quas ex hoc principio tamquam ex fonte promanare ostendimus, damnare se fingunt: utque se a Jansenio differre ostendant, nescio quae doctrinae commenta illi falso affingunt.

CD. Probatur itaque major illa propositio I. In hoc systemate delectatio indeliberata relative superior, insuperabiliter et inevitabiliter trahit secum unum extremum libertatis, atque aeque insuperabiliter et inevitabiliter impedit extremum oppositum. Ergo tollit libertatem indifferentiae et arbitrii. Consequentia est certa, quia libertas indifferentiae est facultas voluntatis, quae positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere. Quod si vero voluntas ab alio necessario determinetur, evidens est voluntatem facultate hac agendi vel non agendi spoliari. Prob. itaque Antecedens. Delectatio illa non potest a voluntate evitari, quia indeliberata est, omnem advertentiam rationis antecedens, atque independens a libito voluntatis, et cum uno extremo libertatis inseparabiliter connectitur; nimirum delectatio coelestis superior cum actu bono, praevalens vero terrena cum actu malo, adeo ut impossibile sit superiorem delectationem vinci ab inferiore. Ergo delecta-

tio indeliberata relative superior infallibiliter atque inevitabiliter trahit secum unum libertatis extremum, atque alterum impedit.

CDI. Prob. II. Id quod in voluntatem inducit necessitatem antecedentem ad unum extremum libertatis, tollit libertatem indifferentiae. Atqui delectatio relativa superior inducit in voluntatem necessitatem antecedentem ad unum extremum libertatis. Ergo. P. M. Stante necessitate antecedente ad unum, voluntas non est proxime expedita ad utrumlibet. Ergo stante necessitate ad unum non datur libertas indifferentiae. Prob. etiam minor prioris syllogismi. Delectatio relative superior est causa, cur sit et ponatur unum libertatis extremum, estque inevitabilis et inseparabiliter connexa cum uno extremo libertatis. Ergo inducit necessitatem antecedentem ad unum extremum.

CDII. Prob III. Extremum libertatis, quod ex delectatione relative superiore infallibiliter sequitur, est a voluntate inimpedibile. Ergo manifeste sublata esset libertas indifferentiae; quia voluntas ad unum libertatis extremum coarctata esset, nec amplius haberet proximam et expeditam potentiam ad utrumlibet, in qua tamen consistit libertas indifferentiae. P. A. Quod sequitur per necessariam consequentiam ex inimpedibili, est inimpedibile. Sed extremum, quod infallibiliter sequitur ex delectatione relative superiore, per necessariam consequentiam sequitur ex inimpedibili. Ergo tale extremum est a voluntate inimpedibile. Minor propositio est certa; voluntas enim creata in systemate Jansenii impedire non potest delectationem indeliberatam et inseparabiliter connexam cum uno extremo libertatis. Major est evidens, ulterius tamen sic demonstratur. Quod per necessariam

consequentiam ex inimpedibili sequitur, impediri non potest, quam vel impediendo id ex quo sequitur, vel impediendo id quod sequitur, vel impediendo ne sequatur. Sed nihil horum potest a voluntate fieri. Ergo. P. m. Non potest fieri primum; quia in terminis implicat impediri id quod est inimpedibile: non secundum; quia impediri non potest id quod neeessario sequitur, nisi impediatur id, ex quo necessario sequitur: non tertium; quia si impediri posset ne sequatur, non per necessariam consequentiam sequeretur, eoquod posset non sequi.

CDIII. Altero, eoque non minus decretorio argumento Conclusio nostra stabilitur. Patres, praecipue S. Augustinus, Manichaeos tamquam violatae et extinctae libertatis reos damnabant, eoquod in homine dari libertatem a necessitate negarent, quamvis eam quae a coactione est, admitterent. Contendebant enim Manichaei duo esse domestica principia, quae actus suos necessario quidem, sed sponte depromerent, animam bonam alteram, alteram malam: Bonam animam eadem necessitate virtutem amplecti, qua Deus ipse, cujus illam fragmentum esse delirabant, bonum amat: item malam animam eadem necessitate in vitium ruere, qua malum principium, a quo decisam esse fingebant, in malum fertur. At vero necessitas illa, qua Deus necessario bonum amplectitur, et qua malum principium, si quod daretur, necessario malum amaret, non est interna coactio, sed necessitas duntaxat simplex, et ad unam partem determinatio. Manichaei igitur non coactionem, sed simplicem tantum necessitatem induxerunt. Jam vero Janseniana haec necessitas, quamvis a Manichaica discrepet causa et origine; eo quod non ex concreta malitia vel bonitate, sed ex dominio gratiae

vel concupiscentiae oriri dicatur; quoad effectum tamen et modum determinationis invincibilis ad unum, illi omnino simillima est. Neque enim magis fieri potest, ut voluntas sub dominio gratiae vel concupiscentiae in alteram partem flectatur, quam ut anima mala ex Manichaeorum mente flectatur ad bonum. Parum vero refert unde ea sit necessitas, modo vera sit, antecedens, et ineluctabilis, ut revera est Janseniana, quae ex delectatione indeliberata relative superiore oritur.

OBJECTIONES.

CDIV. *Objicitur I.* Iniquitas accusationis. Necessitas quae oritur ex delectatione indeliberata relative superiore, facillime conciliari potest cum libero arbitrio. Ergo systema Jansenii non evertit libertatem. P. A. Delectatio illa relative superior inducit tantum necessitatem infallibilitatis, aut tantum consequentem, quia necessitas haec oritur ex praedicta delectatione, quae se tenet ex parte actus secundi. Ergo non evertit libertatem. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Inducit tantum necessitatem infallibilitatis, absolutam tamen et antecedentem, C. A. Hypotheticam et consequentem, N. A. et Conseq. Omnis necessitas, sive antecedens sive consequens, est necessitas infallibilitatis: prior tollit liberum arbitrium, non vero secunda, quia haec supponit liberum exercitium voluntatis. Jam vero delectatio relative superior veram infert necessitatem antecedentem, quia haec necessitas oritur ex motione praevia et indeliberata, cui voluntas in iis, quibus versatur circumstantiis, plane resistere non potest. Ratio addita optimo jure negatur; delectatio enim praevalens ex parte actus primi se te-

net, eoquod voluntas per illam potentiam et vires ad operandum acquirat. Quod si etiam Jansenianis daretur, eamdem ex parte actus secundi se tenere, negatio saltem delectationis relative superioris, tamquam impedimenti ad agendum vel non agendum a voluntate inauferibilis, actum primum proximum constituet. Cum igitur in eodem instanti, quo voluntas operatur, totus actus primus proximus completus dari debeat, neque simul duo contradictoria, affirmatio nempe et negatio ejusdem rei dari queant; si delectatio relative superior ex parte actus secundi se tenet, actus primus proximus completus non erit, ideoque potentia non dabitur proxime expedita ad agendum vel non agendum, sed ad unum necessario determinata. Ergo voluntas libero spoliabitur arbitrio.

CDV. *Dices I.* Necessitas haec a delectatione relative superiore inducta, non est nisi accidentalis voluntati humanae, quae non nisi propter aegritudinem contractam ex peccato originali indiget moveri ad operandum a delectatione praevalente. Ergo non laedit liberum arbitrium. P. C. Oculus, licet hic et nunc ad videndum aliquo adjumento indigeat ob aliquam accidentalem aegritudinem, potentiam videndi retinet. Ergo etiam voluntas retinet nativam suam libertatem, licet per accidens hic et nunc indigeat delectatione ad operandum. R. T. A. N. C. Necessitas amandi Deum inducta per visionem beatificam, accidentalis est voluntati Beatorum; neque tamen idcirco Beati in statu beatifico retinent libertatem indifferentiae ad amandum vel non amandum Deum. Ergo necessitas voluntati inducta, sive essentialis sive accidentalis fuerit, tollit libertatem indifferentiae, siquidem voluntas in his circumstantiis

illam tollere, aut ei resistere nequeat. Ad *probat.* C. A. N. C. et paritatem. Oculus ponitur in digere adjumento, ut melius et facilius videat: At vero in systemate Janseniano voluntas absque delectatione relative superiore absolute et simpliciter agere nequit. Quod si vero aequa ponatur esse utriusque conditio, paritas haec nobis subserviet. Sic enim ratiocinamur: Quamvis oculum habeam optime a natura formatum, et Sol lucidissimos radios spargat; si tamen ex infirmitate, vel alia quacumque de causa palpebras aperire non valeo, verum est quod videre non possim, atque hanc impotentiam mihi in his circumstantiis vitio vel culpae verti non posse, quamvis sit mere accidentalis. Ergo etiam si terrena delectatio indeliberata relative superior est, nec potentiam accidentalem habeo ei resistendi, id nullo pacto mihi imputari poterit.

CDVI. *Dices II.* Juxta Jansenium datur indifferentia flexibilitatis in alterutram partem: et necessitas quam infert delectatio relative superior, est mutabilis. Ergo non tollitur per illam liberum arbitrium. R. D. A. Datur indifferentia flexibilitatis, et necessitas illa est mutabilis hic et nunc in occurrentibus circumstantiis, N. A. In aliis circumstantiis, C. A. N. C. Voluntas in occurrentibus circumstantiis, sive hic et nunc, tam param potest operari oppositum, quam parum opposita delectatio inferior juxta Jansenium praevalere potest delectationi cui opponitur, gradibus superiori. Ergo voluntas nullo modo potest operari oppositum; sed solum posset, nisi obstaret impedimentum insuperabile. Cum tali igitur flexibilitate successiva stat actualis necessitas determinans sive ad bonum per gratiam, sive ad malum per concupiscentiam; ita

ut tota libertatis humanae praerogativa in eo sit, ut una necessitate excussa, jugum alterius subeat. Pari modo mutabilitas illa successiva Janseniana non importat immunitatem a necessitate, sed mutationem dumtaxat necessitatis; cum nempe voluntas a jugo cupiditatis transit ad dominium gratiae, cui necessario servit, sicut servierat cupiditati: adeoque mutabilitas illa successiva non tollit a praesenti voluntatis actione necessitatem, quam tamen removendam esse Ecclesia definivit, ut salva et incolumis sit actionis humanae libertas. Et profecto, si necessitas, quantumcumque mutabilis independenter a libito voluntatis, liberum arbitrium non tollit, absolvendi erunt etiam Manichaei, juxta quos homo non semper bonum, aut semper malum operabatur, sed modo unum, modo aliud, prout ex bona vel mala agebat anima: Liber etiam ad ambulandum dici poterit ille, qui vinculis constrictus ab illis expedire se nequit, eo quod remota praesenti hac necessitate, potentiam haberet expeditam ambulandi.

CDVII. *Dices III.* Voluntas praevalente delectatione affecta, habet potestatem dissentiendi, si velit. Ergo non amittit libertatem. R. D. A. Ita tamen, ut juxta Jansenium voluntas id non possit velle, C. A. Ut hoc ipsum possit velle, N. A. et Conseq. Ad salvandam libertatem requiritur ut voluntas possit velle dissentire gratiae, vel delectationi. Hinc Tridentinum quando contra Lutherum et Calvinum definivit voluntatem posse dissentire gratiae, eamque abjicere si velit, utrumque affirmavit ac definivit; voluntatem scilicet posse dissentire gratiae, eamque abjicere, et posse id ipsum velle. Nam juxta communem loquendi modum, quando quis dicit se posse hoc vel illud si velit, simul

affirmat se posse velle. Alioquin definitiones illae Tridentini Concilii contra Novatores ineptae fuissent ac supervacaneae. Neque enim Calvinus et Lutherus negabant, posse voluntatem dissentire et resistere sub conditione impossibili quod velit. Caeterum quod juxta Jansenium impossibile fit, ut voluntas possit velle dissentire, patet ex eo; quia voluntas impeditam habet facultatem, eoquod destituatur opposita superiore delectatione, quae plane necessaria est, ut voluntas possit velle oppositum.

CDVIII. *Dices IV.* Necessitas agendi oritur ex delectatione praevalente. Ergo est necessitas mere consequens, quae libertati non repugnat. P. C. Necessitas consequens dicitur illa, quae datur ex suppositione. Atqui haec necessitas datur ex suppositione delectationis praevalentis. Ergo. R. C. A. N. C. ad *probat.* D. A. Quae datur ex suppositione libera illi qui necessitatem subit, C. A. secus, N. A. Tali enim pacto nulla daretur necessitas antecedens, sed omnis foret mere consequens, ut patet exemplo vinculis ligati, qui necessitatem habet omnino antecedentem omittendi ambulationem, quamvis haec necessitas oriatur ex suppositione, quod vinculis sit constrictus.

CDIX. *Dices V.* Voluntas potest praevalenti delectationi resistere, non quidem in sensu composito sed diviso. Ergo voluntas libere agit. R. N. C. Talem libertatem ineptam omnino et ridiculam Calvinus, Lutherus, aliique omnes liberi arbitrii hostes ultro admittunt; numquam enim v. g. Calvinus negavit, quod voluntas humana possit omittere amorem in absentia gratiae necessitantis ad amorem. Ut igitur voluntas possit resistere delectationi relative superiori, requiritur

potentia conjungendi dissensum cum illa; nemo enim proprie resistit hosti non existenti. Ergo si voluntas habet potentiam resistendi delectationi praevalenti, debet eam habere in sensu composito. P. C. Actu obedire praecepto, atque actu dissentire delectationi, dicit conjungi actionem cum praecepto, et conjungi dissensum cum delectatione. Ergo etiam potentia dissentiendi delectationi relative superiori dicit potentiam conjungendi seu componendi dissensum cum delectatione praevalente. Atqui hoc juxta Jansenium est impossibile. Ergo in systemate Janseniano voluntas nullam habet potentiam resistendi delectationi superiori.

CDX. *Dices VI.* Omnes Theologi etiam Catholici, fatentur ad libertatem sufficere potentiam operandi vel omittendi operationem in sensu diviso. Ergo cum voluntas superiori delectatione affecta retineat potentiam omittendi operationem in sensu diviso, si nimirum delectatio praevalens hic et nunc non daretur, hoc ipso voluntas ponendo actionem illam libere agit. R. D. A. Si simul sit potentia ad faciendum sensum divisum, hoc est, si ipse operans possit se ab hoc dividere, et impedire sensum compositum, C. A. Seeus, N. A. et Conseq. Justus habet libertatem ad peccandum, quia licet peccare non possit in sensu composito gratiae sanctificantis: potest tamen pro suo libito se dividere a gratia sanctificante, et impedire sensum compositum. Sedens habet libertatem ad ambulandum, quia licet non possit sedere simul et ambulare, potest tamen pro suo libito relinquere sessionem. Contra Beati licet possint non amare Deum, si Deus auferat ab ipsis visionem beatificam, liberi tamen non sunt ad Deum amandum vel non amandum: ligatus vinculis ab ipso insolubilibus,

licet currere posset, si vincula removerentur, libet tamen non est ad currendum; quia nec Beati, nec vinculis ligatus sensum divisum facere, seu a visione beatifica aut vinculis dividere se possunt. Jam vero in systemate Jansenii voluntas sub delectatione relative superiori constituta dividere se nullo modo potest a delectatione, aut illam impedire, eoquod illa sit indeliberata, atque independens a libito voluntatis. Ergo voluntas nullo modo erit libera.

CDXI. *Dices VII.* Necessitas quae oritur ex delectatione relative superiore, non est absoluta, sed relativa tantum. II. Non est necessitas physica, sed moralis tantum. Ergo non laedit liberum arbitrium voluntatis. R. ad I. O. A. N. C. Necessitas haec, sive absoluta sive relativa vocetur, est talis naturae, ut voluntas in his circumstantiis constituta, atque hac relative superiore delectatione affecta resistere ei non possit, aut illam impedire. Ergo voluntas in his determinatis circumstantiis constituta, non habet libertatem indifferentiae, quia potentia non est proxime expedita ad alterum membrum contradictionis. Caeterum dixi, O. A. quia haec necessitas absoluta vocari potest, si per hanc vocem intelligatur necessitas propria, vera ac realis, cui voluntas non potest non obtemperare. Ad II. R. nisi terminis abuti velint Janseniani, N. A. Necessitas quae oritur ex delectatione praevalente, est omnino physica, quia voluntatem ita physice movet, et applicat ad unum, ut expedita non sit relative ad oppositum. Quod si vero Janseniani eam moralem vocent, quia delectando operatur, vel quia ad mores pertinet, fucum incautis faciunt: siquidem necessitas moralis nil aliud esse passim definitur, quam potentia naturaliter quidem ad

agendi, sed cum magna difficultate: quae definitio profecto non convenit necessitati ortae ex praevalente delectatione. Nam I. Deus in delectatione praevalente infallibiliter cognoscit actus bonos et malos creaturarum futuros. Ergo delectatio praevalens inseparabiliter conjuncta et connexa sit oportet cum actu bono vel malo creaturarum, ita ut voluntas simpliciter et absolute in praesentibus circumstantiis oppositum eligere aut facere nequeat; secus infallibilis non foret Dei cognitio, qua Deus actus nostros futuros cognoscit, cum saepe voluntas nostra necessitati morali resistat. II. Voluntas a superiore delectatione ita rapitur et ligatur, ut actum contrarium in illis circumstantiis omnino elicere nequeat. Ergo necessitas illa non est moralis, sed physica, et libertatis humanae eversiva.

CDXII. *Objicitur II.* Infirmitas argumenti a nobis Num. CDII. propositi. Quamvis extremum libertatis, quod ex delectatione relative superiore infallibiliter sequitur, sit inimpedibile, non tamen idcirco tollitur libertas. Ergo. P. A. Haec propositio Petri de Rivo [Doctoris Lovaniensis, *Quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam, est inimpedibile*, damnata fuit a Sixto IV. A. 1476, ut refert Franciscus Sylvius in I. Part. Quaest. XIX. Art. VIII. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* iterum N. A. Card. de Lugo de Incarnat. Dominica. Disput. XXVI. Sect. VI. ex Archivo Academiae Lovaniensis luculenter ostendit, non priorem illam, quae ipso lumine naturae evidenter innotescit, sed illam Petri de Rivo propositionem a Dominico Domenichi Episcopo Brixiensi, Papae Vicario in Urbe, ex commissione et mandato ipsius Pontificis Sixti IV. damnatam fuisse, nimirum istam: *Quod ex praecedenti, ordine successivae*

durationis, *per necessariam consequentiam sequitur*; *est necessarium et inimpedibile*. Quo falso principio deceptus Petrus de Rivo negavit in Deo dari praescientiam nostrorum actuum liberorum, eoquod cum haec praecesserit ab aeterno, et ad praeteritum non detur actio, adeoque voluntas humana impedire nequeat ne fuerit id quod fuit, sequeretur hominem non habere libertatem ad impediendos suos actus, eosque omittendos. Caeterum quod, delecta adeo perspicue veritate, aliqui Doctores etiam Catholici damnationem propositionis illius, *Quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam, est inimpedibile*, adeo frequenter oggerant, causam quidem facile divinavero: at qui id fieri possit absque imprudentiae nota, sane non perspicio.

CDXIII. *Objicitur III.* Indifferentia judicii. Ubi datur indifferentia judicii, datur etiam libertas indifferentiae, seu indifferentia potentiae liberae. Atqui quando voluntas afficitur delectatione superiore, datur indifferentia judicii. Ergo. *Confirmat.* Actus elicitus dependenter a cognitione necessaria, non est liber. Ergo vicissim actus elicitus dependenter a cognitione indifferente non est necessarius. R. D. M. Datur etiam indifferentia potentiae liberae, ordinarie lòquendo, et si adsint etiam reliqua requisita ad libertatem, C. M. Semper, et si reliqua absint, N. M. Judicium indifferens est radix libertatis, atque haec ad illud consequitur, nisi aliunde impediatur, ut de facto impeditur a delectatione victrice in systemate Jansenii. Ad *confirmat.* C. A. N. C. Ad libertatem indifferentiae non tantum requiritur cognitio indifferens, verum etiam negatio omnis impedimenti inauferibilis a voluntate: quorum unum si desit, non dabitur amplius libertas indifferen-

tiae, seu potentia proxime expedita ad agendum vel non agendum, ut patet exemplo hominis vinculis ab ipso insolubilibus ligati, qui licet cognitionem habeat indifferentem de ambulatione, motivaque pro et contra illam consideret, numquam tamen liber dici poterit ad eam ambulationem ponendam vel omittendam. Quamvis igitur in casu nostro voluntati non desit libertas ex defectu judicii indifferentis, deest tamen ex alio capite nimirum per delectationem relative superiorem et victricem, quae insuperabiliter et inevitabiliter trahit secum unum libertatis extremum, atque insuperabiliter et inevitabiliter impedit alterum. Profecto si ad salvandam libertatem sufficeret judicium indifferens, facillimum foret explicare concordiam libertatis cum gratia efficaci; quod tamen Augustino difficillimum explicatu semper visum est. Praeterea facillimum fuisset SS. Patribus, ac Theologis impugnare Fatalistas, Manichaeos, Calvinum, Lutherum, caeterosque liberi arbitrii hostes, qui numquam negarunt dari in homine judicium indifferens: potuissent enim ex judicio indifferenti ab ipsis admisso inferre contra ipsos evidenter libertatem arbitrii quam negabant: hanc viam tamen numquam illi tentarunt, optime gnari, ex sola judicii indifferentia liberum arbitrium neutiquam evinci posse.

CDXIV. *Objicitur IV.* Authoritas Catholicorum. Systema utriusque delectationis relative victricis traditur ac defenditur a multis Catholicis. Ergo hoc systema innoxium est, nec libertati actuum humanorum derogat. R. id fieri ab aliquibus fide non quidem mala, sed parum prudenter, minusque caute; quia principium adoptant, ex quo quinque damnatae propositiones Jansenii tamquam ex fonte profluunt necessario: at vero

doctiores ex illis, qui hoc principium defendunt, jure merito Jansenismi suspecti sunt, quamvis forte magnificentius quam verius glorientur, Jansenistarum tela a se contrita fuisse, in multis dissidere se a Jansenii doctrina, et quae sunt ejusmodi ad fucum imperitis faciendum peropportuna. Verum quiquid sit de antecedente, absque ullo scrupulo negamus consequentiam, donec adversarii rationes a nobis in probatione allatas solida responsione enervarint.

CDXV. *Dices. I.* Quamvis damnatae fuerint a Sede Apostolica quinque Jansenii propositiones; non tamen damnatum fuit systema utriusque delectationis relative victricis. Ergo frustra huic systemati ex eo capite conflatur invidia. R. D. A. Non fuit damnatum explicite, eoque modo, quo quinque propositiones, C. A. Implicite et aequivalenter, N. A. et Conseq. Cum Ecclesia quinque propositiones illas damnaverit in sensu Jansenii, vel ostendi debet, Jansenium ex principio delectationis relative superioris perperam intulisse quinque propositiones, velut totidem conclusiones: vel necesse est illas damnatas fuisse in ipso Jansenii systemate, delectationis scilicet superioris ac relative victricis, quae totius systematis basis, clavis, ac fundamentum est. Prius dici non potest, eoquod quam optime cohaereant et necessario fluxu dimanent ex illo principio, ut ostendimus Num. CCCXCIII. et seq. Ergo dicendum est posterius, implici te nimirum reprobatum fuisse principium, ex quo damnatae propositiones tamquam totidem corollaria necessario deducuntur.

CDXVI. *Dices. II.* Catholici praetensi illius Augustiniani systematis Patroni, rejiciunt et damnant proscriptas quinque Jansenii propositiones, licet principium illud

admittant. Ergo propositiones illae ex eo principio non deducuntur necessario. R. D. A. Damnant re ipsa, ex qualicumque demum ignorantia id contingat, vincibili vel invincibili, aut etiam affectata, de qua re certam ferre sententiam nostrum non est, N. A.; et Conseq. Damnant nimirum et admittunt quinque propositiones, quo eas damnant vel admittunt ipsi Janseniani Nam I. praetensi hujus Augustiniani systematis patroni ut plurimum docent, transgredienti praecepta divina conferri gratiam parvam, quae dat quidem potentiam resistendi, sed impeditam a terrena delectatione, quacum impossibile est conjungi consensum salutarem. II. Hominem non posse resistere gratiae magnae, sed parvae tantum; nec in hominis potestate esse gratiam magnam obtinere, aut impedire. III. Ad merendum vel demerendum necessarium esse libertatem indifferentiae, quae excludat necessitatem essentialem tantum et absolutam, non vero accidentalem et relativam. IV. Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, quia nec meruit nec obtinuit omnibus per mortem suam gratiam magnam, qua ipsis aeterna salus reddatur possibilis: ut patet in reprobis, qui ad finaliter perseverandum non habent ex meritis Christi praedictam gratiam, consistentem in coelesti delectatione relative superiore, sine qua voluntas non potest superare oppositam concupiscentiam, illique resistendo salutariter operari. Atqui haec omnia etiam Janseniani admittunt, neque alio modo quinque propositiones defendunt. Ergo eadem est horum Theologorum et Jansenianorum doctrina. Verum est equidem, quod Jansenius ferme numquam, ac non nisi valde raro gratiam parvam *gratiam* vocaverit: quamquam hac in re non incongrue egit; capi enim difficulter potest,

quod tale auxilium, quocum impossibile est homini ponere actum bonum, sit donum misericordis ac liberalis divinae manus, pretio sanguinis sui a Christo emptum. Attamen, praeterquam quod perinde sit ad rei substantiam, sive gratia parva sive gratia coelestis relative inferior nuncupetur, agnovit tamen Jansenius gratiam parvam, eamque aliquando vocavit *gratiam*. Scribit enim Lib. II. de Gratia Christi, Cap. XXVII. *multos divinitus mente collustrari, immo vero et in ipsa voluntate motibus divinae gratiae percelli, qui tamen ab interna ejus suasione et inclinatione dissentiunt*; Et paulo post: *Videmus plurimos, qui necdum ab immunditiis carnis se abstinere possunt, vehementer optare continentiam: cujusmodi vota divinae gratiae sunt munera, et majoris gratiae provocativa*. Ex quibus verbis colligitur falsum esse, quod quidam asserunt, Jansenium docuisse, has gratias parvas a Deo conferri, ut ille cui conferuntur, fiat pejor, magisque inexcusabilis.

CONTROVERSIA IV.

AN ETIAM IN STATU NATURAE LAPSAE DETUR LIBERTAS INDIFFERENTIAE?

Contra Manichaeos, Praedestinatianos, Lutherum, Calvinum, Jansenium.

CDXVII.

Primus contra liberum hominis arbitrium vexillum erexisse dicitur Simon Magus, haereticorum omnium coryphaeus, quem longo ordine Novatores secuti sunt communi consilio, sed ex causa diversa: Bardesanes Syrus syderum influxus obtendebat: Marcion, Manichaei, Priscillianus, aliaeque Manichaeorum propagines, concreatam animae duplici bonitatem vel malitiam. Praedestinatiani, quos inter Lucidus erat in Galliis Presbyter, Gothescalcus Monachus Orbacensis, aliique, homines ex aeterna Dei praedestinatione ineluctabiliter ad bonum vel malum rapi asserebant. Petrus Abailardus docuit omnia ex absoluta rerum necessitate evenire, et Deum, ne dicam hominem, non posse res aliter facere quam facit: dementiae hujus sectatorem habuit Joannem Wicklefum Anglum. Nostrorum temporum Sectarii, Calvinus, Bucerus, Oecolampadius, aliique, hominem in statu naturae lapsae nulla in re liberum habere arbitrium contendunt, ne in civilibus quidem et indifferentibus, rerum omnium quae fiunt necessitatem rejicientes in praescientiam Dei, et efficaciam gratiae. Id ipsum docuerant Melanchton et Lutherus in Lib. adversus Regem Angliae, et in Assertione Arti-

culi XXXVI. haec scribens : *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, et titulus sine re, quia nulli est in manum quidpiam cogitare boni vel mali; sed omnia ut Wickleffi articulus Constantiae damnatus recte docet, de necessitate absoluta eveniunt. --- Non est dubium, Satana magistro, in Ecclesia venisse hoc nomen, liberum arbitrium.* Uterque tamen postmodum sententiam suam mutavit, admisitque libertatem arbitrii in actionibus civilibus tantum et externis; ut patet ex Lutheri libro de Visitatione Saxonica, Melanchtonis Locis communibus, ac Confessione Augustana in articulis fidei, Cap. XVIII. *De libero arbitrio docent*; (Confessionistae) *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et ad deligendas res rationi subjectas; sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendae justitiae Dei, seu justitiae Spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritu Dei.*

CDXVIII. De libero arbitrio praeterea, quod nova et inaudita phrasi *servum arbitrium* vocabat, absone prorsus et incomposite scripsit Lutherus, asserens in libro, cui titulus: *Operationes in Psalmos*, hominem ad regenerationem: seu conversionem mere passive se habere. *Error est*, inquit, *quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. -- Ecce* Jerem. XVIII. *Sicut lutum in manu figuli ita et domus Israel in manu mea. Quid, obsecro, activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne mera passio ibi cernitur?* Durum hunc atque incompositum loquendi modum temperarunt Melanchton et Kemnitius, Lutheri verba in alium sensum detorquendo. Et profecto ni-

hil hac Lutheri sententia absurdius excogitari potest? Velle enim est actus immanens et vitalis, sicut intelligere et videre: proinde principium activum ejus actus debet esse ipsa voluntas. Ergo voluntas non mere passive se habet, sicut lutum in manu figuli.

CDXIX. Bajus et Jansenius liberum arbitrium verbis admittunt, mutatis nimirum illius notionibus jam receptis, ut errorem suum occultent; re ipsa autem negant, eoquod hominem a sola coactione, non vero a necessitate antecedente et inimpedibili liberum esse velint. Admittunt quidem indifferentiam ad bonum et malum; sed per illam intelligunt indifferentiam passivam, quae juxta illos est coeacitas quam habet voluntas, ut a gratia intensiore ad bonum, vel a motu concupiscentiae intensiore ad malum insuperabiliter determinetur: at constanter negant voluntati veram indifferentiam activam, et potentiam eligendi libere et absque necessitate bonum aut malum.

CDXX. *Conclusio.* Etiam in statu naturae lapsae habet homo liberum arbitrium, seu libertatem a quacumque antecedente et inimpedibili necessitate, tam quoad actiones civiles, quam morales, pias et salutares. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Nam I. Scripturae multa continent praecepta, quibus omnes in conscientia obligantur, qualia sunt praecipue illa Exodi Cap. XX. ab ipso Christo dein in nova lege confirmata: *Non habebis Deos alienos: non assumes nomen Domini Dei tui in vanum etc.* Atqui praecepta non imponuntur a Legislatore, nisi iis qui liberi sunt, ut illa observent. P. m. quia omnium consensu Legislator ille tyrannus esset vocandus, qui subditis suis sub poena mortis impossibilia praeciperet, v. g. ut cursum Solis sistant.

II. In Scripturis Deus nobis aliqua promisit sub conditione si voluerimus. Amos. Cap. V. *Quaerite bonum, et non malum, ut vivatis.* Matth. Cap. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ergo cum sine blasphemia dici nequeat, has promissiones esse irrisorias, conditio sub qua fiunt, vere est in potestate hominis. III. Scriptura saepius aperte testatur, per hominem stare ac stetisse, quo minus bonum egerit, vel agat. Jerem. Cap. II. *Haec est gens, quae non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam.* Isaiae Cap. V. *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?* Matth. Cap. XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Ergo cum per hominem steterit, quo minus bene ageret, potuit ille malum vitare: ergo habet liberum arbitrium. IV. Scripturae docet, Deum quasi recedere et explorare quid homines faciant. Deuteron. Cap. XIII. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra.* At frustra quasi exploraret Deus, quid homines facere velint, nisi possent illi rem eamdem facere, aut non facere; nemo enim prudens explorat eventum rei determinatae ad unum, v. g. an ignis sit calidus, vel frigidus. V. Scriptura ait, hominem sui actus dominium habere et potestatem: posse bonum vel malum eligere: nulla ipsum necessitate ad hoc vel illud agendum impelli Gen. Cap. IV. ait Deus ad Cain: *Quare iratus es, et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Quibus verbis post peccatum Adami, atque in statu naturae lapsae praedicatur liberum arbitrium. Ecclesiastici Cap. XV. *Deus ab initio*

constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te – – – Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi. His verbis significatur, non modo Adamum cum libero arbitrio conditum fuisse, sed etiam idem liberum arbitrium in posteris remansisse. Ecclesiasticus enim l. c. monet homines, ne causam sui peccati in Deum rejiciant: *Non dixeris per Deum abest; quae enim odit ne feceris. Non dicas: ille me implanavit.* Et continuo rationem adjungit: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui etc.* Si autem solus Adamus ante lapsum habuisset liberum arbitrium, inepta foret hortatio Ecclesiastici; hunc enim sensum haberet: Adamus ante lapsum, quia liberum habebat arbitrium, non potuit rejicere causam sui peccati in Deum. Ergo etiam homines in statu naturae lapsae causam peccati sui in Deum rejicere nequeunt, quamvis libero arbitrio sint spoliati. Quid autem ineptum magis hac argumentatione?

CDXXI. Prob II. Authoritate Patrum. S. Justinus M. Apologia I. ad Antoninum Imp. *Supplicia et cruciatus, nec non remunerationes optatas, pro operum meritis unicuique retribui, per Prophetas edocti, id quod in vero est, constituimus. Nam si hoc non fit, sed fato omnia fiant, nihil etiam plane in nostra fuerit potestate situm. Si enim fatale sit hunc quidem esse bonum, illum vero malum; neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus. Ac nisi arbitrio libero, et ad turpia fugienda, et ad honesta diligenda*

facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in causa sive culpa qualiumcumque demum factorum. Sed enim libero id delectu, tum recte per virtutem vivere, tum per peccatum labi, ad hunc demonstramus modum. Athenagoras in Apologia ad Antoninum Imp. *Liberi arbitrii in ipsis quoque Angelis in utramque partem constituerat Deus, sicut et in hominibus liberam et pravitatis et virtutis diligendae potestatem habentibus cernere est.* Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum: *Quae cum ita sint; et liberari ab ignoratione, et a mala et delectabili electione, et ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasiis et visis, situm est in nostra potestate.* S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. LXXII. *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, et suae potestatis arbitrium homini servavit Dominus, dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem homini ostendens, quoniam suam habet sententiam.* S. Basilius Serm. de Lib. arbitrio: *Quod in hominis potestate situm est liberum arbitrium, in eligendo et non eligendo situm est.* S. Chrysost. Hom. LV. in Matth. explicans illud, *Necesse est ut veniant scandala*, scribit: *Necessitatem dicit, non quia libertatem voluntatis, potestatemque liberi arbitrii tollat: nec quia necessitati rerum humanarum vitam subjiciat; sed quod omnino venturum est, pronuntiat.* Et infra: *Non quia futura scandala praedixit; idcirco veniunt, sed quoniam futura erant, idcirco praedixit.*

CDXXII. Graecis suffragantur communi consensu Latini Patres. Tertullianus Lib. contra Marcionem, Cap. VI. *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi* (homini) *ut sui Dominus constanter occurreret, bono sponte servando, et*

malo sponte vitando. S. Cyprianus Epist. LV. ad Cornelium de Christo a quibusdam suorum Discipulorum deserto ait: *Et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est; sed magis conversus ad Apostolos suos dixit, Nunquid et vos vultis ire? servans scilicet legem, qua homo libertati suae relictus, et in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Lactantius Lib. IV. Divin. Instit. Cap. XXIV. *Qui dat praecepta, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem; non vi aliqua, sed pudore; et tamen libertatem relinquat, ut et praemium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent.* S. Optatus Milevitanus Lib. VII. adversus Parmenianum: *Quidquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari. Voluntas habet poenam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest et non facere: adulterium moechus potest admittere, potest et non admittere, et caetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* S. Ambrosius in Psal. XL. *Homini dedit eligendi arbitrium quod sequatur. Ante hominem vita et mors. Si deliqueris, non natura in culpa est, sed eligennis affectus.* S. Gaudentius Brixiensis Tract. III. *Homini concessa semel voluntatis libertas non auferetur, ne nihil de eo judicari possit, qui liber non fuerit in agendo.* S. Hieronymus Dial. III. adv. Pelagianos: *Hoc est, quod tibi in principio dixeram, in nostra esse potestate peccare vel non peccare, ut liberum servetur arbitrium.* Profecto clarioribus verbis liberum arbitrium exprimi non poterat a Patribus Graecis et Latinis, adeo ut Calvinus ipse Lib. II. Institut. Cap. II. fateatur, se in praesenti materia aliud sentire, quam Graeci Latinique Patres hactenus senserint.

CCCXXIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum et Pontificum. Arausicanum II. Cap. XXV. ait: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere* Constantiense Joannis Wickleffi propositionem ordine XXVII. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*, proscripsit, hancque Constantiensium Patrum censuram ratam habuit Martinus V. Tridentinum Sess. VI. Canone IV. ait: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Can. V. *Siquis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.* Can. VI. *Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, – anathema sit.* Leo X. articulum Lutheri XXXVI. damnavit: *Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: et dum facit* (homo) *quod in se est, peccat mortaliter.* Baji, Jansenii, et Quesnelli propositiones proscriptae fuerunt solemni decreto a Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Clemente XI.

CDXXIV. Prob. IV. Ex constanti ac universali omnium ferme hominum consensu, qui merito vox naturae appellari potest, et fundamentum omnis probitatis. Omnes enim nationes senserunt, hominem in a-

ctionibus suis ab omni inimpedibili necessitate immunem esse, quamquam id pauci flagitiosi homines inficiati sint, ut sine conscientiae remorsu vitiis indulgerent, et concupiscentiam tamquam regulam moralitatis sequerentur. Horum tamen paucorum impudentia non officit sensui communi: Sicut Deum existere, animamque immortalem esse res dicitur universali omnium gentium consensu firmata, licet pauci quidam sceleribus infames tum Dei ipsius existentiam, tum animae rationalis immortalitatem in dubium vocaverint.

CDXXV. Prob. V. Ratione, eaque multiplici. I. Si in homine non esset libertas arbitrii, nullus foret praemio aut poenae locus, ut ostendimus Num. CCCLXXVI. II. Homo teneretur ad impossibile, et quidem sub reatu aeternae damnationis. III. Deus prohibendo malum sub gravissimis poenis, hominemque inermem sine culpa sua ad illud necessitando, crudelius ageret cum creaturis suis, quam saevissimi Tyranni cum mancipiis. IV. Omnes deliberationes, consilia, praecepta, hortationes, monita, frustra et inepte adhiberentur, siquidem homo aliud facere non posset quam quod facit. V. Homines projecti ac profligati pudoris, gravissimis peccatis onerati, rationabilem ac legitimam haberent excusationem. VI. Deus frustra homini dedisset judicium indifferens, seu potentiam comparandi unum cum alio. VII. sensus intimus, et quotidiana experientia, quae libertatis nostrae nos certos reddunt, in errorem turpissimum nos inducerent. VIII. Omnis virtutis cura et studium, tamquam prorsus inutile, esset intermittendum. Quae omnia tam absurda, impia, ac fatua sunt, ut nihil magis

OBJECTIONES.

CDXXVI. *Objicitur* Authoritas Scripturarum. Jerem. Cap. X. dicitur: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus: nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Proverb. Cap. XVI. *Hominis est animam praeparare: et Domini gubernare linguam.* Proverb. Cap. XX. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?* II. Ad Rom. Cap. XI. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, sunt omnia.* I. ad Cor. Cap. XII. *omnia in omnibus operatur.* Ad Ephes. Cap. I. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* III. Proverb. Cap. XXI. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Psal. CXVIII. *Inclina cor meum in testimonia tua.* IV. Isaiae Cap. XLI. *Bene quoque aut male, si potestis, facite.* V. Joan. Cap. VIII. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* II. ad Timoth. Cap. II. *Et resipiscant a diaboli laqueis a quo captivi tenentur ad ejus voluntatem.* VI. ad Rom. Cap. VII. *Video aliam legem in membris meis — — — captivantem me in lege peccati.* II. ad Cor. Cap. III. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis.* VII. Ezechielis Cap. XXXVI. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.* VIII. I. Joan. Cap. III. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Matth. Cap. VII. *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.* Ergo juxta Scripturas homo

non habet liberum arbitrium. R. ad I. Scriptura locis citatis indicat, magis in potestate nostra esse cogitationem et voluntatem, quam ipsam operis excusationem; quamvis enim homo mature deliberet et proponat, progressus tamen negotii non est plene in ejus potestate, cum multis variisque modis impediri possit. Deus itaque dirigit gressus nostros, non tamen ita, ut non etiam nos divina gratia adjuti eos dirigamus, juxta illud Proverb. Cap. XV. *Vir prudens dirigit gressus suos.* Ad II. R. Deum operari omnia in omnibus, sed non sine nobis: operari omnia secundum consilium voluntatis suae; sed ita suaviter, ut sinat etiam res creatas agere motus suos, neque cooperando tollat aut destruat, sed adjuvet perficiatque naturam. Ad III. R. Deum inclinare corda et voluntates hominum, non eas necessitando, sed vocando eas et movendo, quomodo scit congruere ut vocantem non respuant, sed Deo libere consentiant. Ad IV. R. Isaiam l. c. non loqui de hominibus, sed de idolis et simulacris gentium, quae oculos habent, et non vident: aures habent, et non audiunt. Ad V. R. sensum esse, quod peccator necessario subjectus sit poenis peccati, nec possit sine gratia a peccato ejusque poenis se liberare, et justitiam adipisci. Apostolus asserit, impios captivos teneri ad voluntatem diaboli, non quia ab illo ad peccatum necessitantur; sed quia ob pravos habitus difficillime eis resistunt. Ad VI. R. hominem captivari in lege peccati improprie dicti, seu concupiscentiae, quae ad peccatum inclinat, atque effectus est peccati. Homo enim rebellis concupiscentiae motus etiam contra voluntatem suam saepe experitur; numquam vero invitus, ac contra voluntatem suam, concupiscentiae obsequitur. Alter

Apostoli locus non negat nos esse sufficientes, sed affirmat tantum sufficientiam nostram non ex nobis esse, sed ex Deo, qui gratia sua nos roborat. Ad VII. R. ex verbis illis Ezechielis inferri tantummodo gratiam congruam quae a Deo praevidetur conjungenda cum consensu, ita ut sensus sit: Dabo vobis auxilia congrua coelestis gratiae, quae praevideo conjungenda cum consensu libero a vobis ponendo, atque adeo cum innovatione cordis, et observatione meorum praeceptorum. Ad VIII. R. Justum peccare non posse in sensu composito justitiae; eoquod peccatum conjungi non possit cum gratia sanctificante. Sic etiam homo habens efficacem voluntatem bonam, quae hic per arborem bonam intelligitur, quamdiu illam habet, non potest malum agere, et vicissim.

CDXXVII. *Objicitur II.* Authoritas Conciliorum et Pontificum. Milevitanum Can. IV. ait. *Utrumque donum Dei est, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus.* II. Arausicanum II. Cap. XIII. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde veritas ipsa dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* III. Idem Arausicanum Cap. XXII. *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Siquid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo; ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.* S. Coelestinus I. in Epistola ad Episcopos Galliarum, credere jubet cum Catholicis, et dicere, *in praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbi-*

trium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Ergo homo in statu naturae lapsae non habet liberum arbitrium. R. C. A. N. C. Et ad I. quidem Milevitanum, aut potius Carthaginense A. 418, cui Canon ille est adscribendus, ait contra Pelagianos, non tantum cognitionem divinae legis, ut illi fatebantur, verum etiam ac longe magis ipsam Dei dilectionem, quod Pelagiani negabant, liberale esse donum Dei gratia sua nos adjuvantis. Ex quo minime inferri nequit, Deum libere a nobis non diligi; sed tantum liberum hominis arbitrium absque gratia Dei expeditum non esse ad Deum amandum. Ad II. R. Arausicanum non loqui de libero arbitrio, ut est facultas naturalis, quae positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere; sed ut est potentia iis omnibus instructa, quae necessaria sunt ad operandum supernaturaliter, et sicut oportet ad salutem. Haec autem potentia operandi ad salutem restituitur nobis in prima justificatione, quae fit per baptismum vel in re, vel saltem in voto susceptum, Deo infundente gratiam sanctificantem, aliosque habitus supernaturales. Ad III. R. Arausicanum non negat liberum arbitrium posse actus moraliter bonos elicere, aut a peccato etiam abstinere, quando in contrarium tentatio urget, idque fieri posse viribus naturalibus tantum; sed solum asserit contra Semipelagianos, qui admittebant quaedam salutis initia ex solis naturae viribus profecta, hominem, quantum ad aeternam salutem obtinendam attinet, et ad salutariter operandum, de suo nihil habere nisi mendacium et peccatum, nihilque omni ex parte bonum operari posse sine adjutorio divinae gratiae. IV. R. per possibilitatem naturalem non intelligi a S. Coelestino potentiam quomodocumque libere agendi, sed

potentiam salutariter agendi, quae amissa est per Adae peccatum, et per Christum reparata. Haec autem potentia *naturalis* dicitur, quia eam Adamus, si a peccato abstinuisset, cum natura ad posteros transmisisset.

CDXXVIII. *Objicitur III.* Ratio. Si daretur in homine libertas indifferentiae, tunc maxime daretur, quando homo actu operatur. Atqui tunc non datur. Ergo. P. m. In eo instanti, in quo homo actu operatur, tollitur haec indifferentia, quia per ipsum actum causa operans determinatur ad unum extremum libertatis. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Tollitur indifferentia in actu secundo, sive sumpta secundum negativum, C. A. Tollitur indifferentia positiva, et in actu primo, N. A. Indifferentia in actu secundo dicit negationem actus, quae negatio utique tollitur per ipsum actum. Indifferentia in actu primo dicit tantum actum primum proximum liberum, sive ipsam potentiam proxime expeditam ad agendum vel non agendum: haec autem potentia remanet, etiam dum actus ipse ponitur, eoquod actus non destruat potentiam suam.

CDXXIX. *Dices I.* Humana voluntas vel bonum prosequitur, vel malum aversatur. Atqui utrumque facit necessario. Ergo. P. m. Voluntas bonum ita prosequitur, ut illud aversari non possit; malum vero ita aversatur, ut illud non possit velle. Ergo utrumque agit necessario. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Vult bonum ita, ut illud aversari nequeat sub ratione boni; atque ita malum aversatur, ut non possit illud velle sub ratione mali, C. A. Ut bonum aversari nequeat sub ratione mali, et malum non possit velle sub ratione boni, N. A. et Conseq. Bonum ferme semper propoñi-

tur voluntati ut mixtum aliquo malo, ac vicissim malum ut mixtum aliquo bono, v. g. virtus ut honesta, sed tamen simul ardua: vitium ut turpe, simul tamen delectabile.

CDXXX. *Dices II.* Saltem voluntas tunc non est libera, quando pro una parte plura ac graviora dantur motiva, quam pro altera. Ergo. P. A. Si bilanx quae est indifferens ad producendum motum sursum vel deorsum, inaequali pondere prematur, majus pondus determinat lancem cui incumbit, ad motum deorsum; oppositam vero lancem una cum minori pondere ad motum sursum. Ergo etiam voluntas a majori pondere motivorum necessario determinatur: ergo non est libera. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Bilanx non est causa agens ex electione arbitrii, sed passive se habet, estque tantum determinabilis. At vero voluntas, quamvis motivo indigeat ut agat, est tamen indifferens indifferentia activa, quae non ex defectu, sed abundantia virtutis nascitur; estque principium suae volitionis, ac se ipsam movet. Praeterea voluntatis est motiva ponderare, quae afferuntur, potestque voluntas motivis suum pondus adimere, ita ut non adeo gravia et convincentia videantur; mentem nimirum avertendo ab intuitu majoris boni, eamque inducendo ad contemplandam amabilitatem minoris boni, utpote minus ardui. Quo fiet, ut bonum in se minus majori praeferat.

CDXXXI. *Dices III.* Cum voluntas sit potentia caeca, necessario debet illam praecedere dictamen aliquod intellectus. Ergo voluntas necessario illud sequitur. R. C. A. D. C. Voluntas necessario sequitur aliquod dictamen intellectus, nempe vel hoc, vel illi oppositum, C. C. Sequitur necessario hoc potius dictamen

intellectus, quam huic oppositum, N. C. Cum nihil sit volitum nisi praecognitum, ut voluntas libere agat hoc vel illud, aut actionem omittat libere ac meditato, requiritur cognitio motivorum in utramque partem, ac dictamen aliquod intellectus, quo judicat hanc vel illam actionem ponendam aut omittendam esse. Igitur voluntas, posito quod libere agat, vel actionem omittat, necessario sequi debet vel hoc dictamen intellectus, vel huic oppositum. Haec tamen vaga necessitas sequendi hoc vel illud dictamen intellectus, non obstat libertati; quia voluntatis est eligere cui prae altero velit obtemperare.

CDXXXII. *Dices IV.* Voluntas non tantum qualecumque dictamen intellectus, sed ultimum etiam dictamen practicum intellectus necessario sequitur, quo intellectus voluntati indicat, in his determinatis circumstantiis hoc vel illud esse faciendum, vel omittendum. Ergo voluntas non est libera. R. N. A. Intima cujusque experientia ostendit, bonum ex se mere finitum tantam ex se non habere efficaciam, ut voluntatem necessario ad operandum determinet. R. II. D. A. Necessario sequitur, ita tamen ut illud ipsum judicium practicum in potestate voluntatis sit, haecque qualiscumque necessitas sit impedibilis a voluntate, ac mere consequens, T. A. Ut illud ipsum judicium practicum non sit in potestate voluntatis, atque ab ea impediri non possit, non sinendo se ab illo moveri, aut mentem ad alia convertendo, N. A.

CDXXXIII. *Dices V.* Ultimum judicium practicum, quod voluntati dictat ita hic et nunc esse agendum, indicat illud esse voluntati in his circumstantiis melius. Ergo voluntas se non potest determinare ad op-

positum, seu ad bonum minus. P. C. Bonum minus cum majore comparatum habet rationem mali. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Bonum minus etiam in comparatione majoris retinet rationem boni, potestque a voluntate majori bono praeferri, vel ut voluntas sua libertate utatur, vel quia illud minori difficultate se sperat consecuturam: vel denique quia mentem ab attenta majoris boni consideratione avertit.

CDXXXIV. *Objicitur IV.* a Calvino Praescientia Dei. Deus infallibiliter cognoscit ac praevidet actus nostros futuros. Ergo homo non habet libertatem. P. C. Quidquid Deus praevidet esse futurum, necessario est futurum. Sed Deus omnes actus voluntatis humanae, qui aliquando sunt futuri, praevidet esse futuros. Ergo. P. M. Si talis actus non esset necessario futurus, praescientia Dei vel posset falsificari, vel mutari, vel tolli. Atqui illa nec potest falsificari, nec mutari, nec tolli, cum sit esentialiter vera, immutabilis, atque aeterna. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* D. M. Est necessario futurum, necessitate semper antecedente, N. M. Necessitate consequente, quae a libero exercitio creaturae dependet, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Nimirum quia voluntas humana in tempore existens libere ponet hunc actum, Deus ob infinitam perfectionem intelleetus sui, vi cujus est essentialiter determinatus ad cognoscendam omnem veritatem, actum illum futurum praevidet, non praevisurus actum, sed omissionem illius, si voluntas humana in tempore hanc potius quam illum esset electura. Hinc sicut praescientia Dei logice praesupponit actum libere futurum tamquam objectum, quo non posito non daretur praescientia illa: ita logice praesupponit liberam determina-

tionem voluntatis humanae, atque inducit necessitatem mere consequentem. Sane quam ineptum sit hoc Calvini sophisma, patet in re obvia. Vel enim Deus v. g. praevidet hunc morbum fatalem fore aegroto, vel non. Si praevidet fatalem fore, omnia medicamenta nihil proderunt, atque ita moriendum erit aegroto: si praevidet morbum non fore fatalem, sanabitur aegrotus etiam absque medicamentis. Ergo in nulla aegritudine advocandus est medicus, aut ulla adhibenda sunt medicamenta. Ad hujus *probat.* N. M. Praescientia Dei nec falsificari, nec mutari, nec tolli, sed impediri potest.

CDXXXV. *Dices I.* Quod est ab aeterno, impediri nequit ab eo quod primum est in tempore. Sed praescientia Dei est ab aeterno, et actus voluntatis primum est in tempore. Ergo. P. M. I. Antichristus non potest impedire peccatum Judae, quia illud extitit pluribus saeculis ante Antichristum. Ergo multo minus homo impedire potest praescientiam Dei, quae tota aeternitate est prior. Prob. eadem major propositio II. Si id quod primum est in tempore, impedire potest praescientiam ab aeterno existentem, deberet habere ad hanc aliquam prioritatem. Atqui homo nullam habere potest prioritatem ad praescientiam Dei. Ergo. R. D. M. Impediri non potest physice per existentiam rei physicam et actualem, C. M. Impediri non potest logice per existentiam rei objectivam, seu cognoscibilitatem illius, quae cognoscibilitas ab aeterno jam extitit, cum logice prius sit esse cognoscibile, quam cognosci, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Voluntas humana vi libertatis a Deo sibi concessae potest facere, ut non detur objectum hujus praescientiae, utque illud ab aeterno non fuerit cognoscibile. Si autem voluntas directe facere potest, ut non detur objectum hujus

praescientiae, hoc ipso indirecte etiam facere potest, ut data ab aeterno non fuerit haec praescientia. Voluntas igitur indirecte et logice impedire potest praescientiam Dei; non quod removeat scientiam in Deo semel datam, sed quod faciat ne illa data umquam ab aeterno fuerit in Deo. Ad I. *probat.* C. A. N. C. Praescientia Dei habet connexionem consequentem et impedibilem cum actione ab homine ponenda, tamquam objecto suo, quam non habet peccatum Judae cum Antichristo; ac proin ab hoc nec directe, neque indirecte impediri potest. Ad II. *probat.* D. M. Debet habere prioritatem physicam et realem, N. M. Logicam et objectivam C. M. Et sic dist. minore, N. C.

CDXXXVI. *Dices II.* Saltem de facto homo actu existens non poterit amplius impedire praescientiam Dei de suo peccato. Ergo non amplius est liber. P. A. Quidquid in Deo semel datur, semper datur. Ergo cum in Deo jam detur haec praescientia, homo actu existens non poterit illam amplius impedire. R. B. A. Non potest illam amplius impedire potentia antecedente, N. A. Potentia consequente, C. A. N. C. Ad *probat.* C. A. D. C. Non poterit illam amplius impedire, hoc est, non potest efficere ut scientia quae dale semel est, non amplius detur, C. C. Ut numquam data fuerit haec praescientia, N. C. Prius illud non dicit impedire, sed tollere praescientiam Dei: atque hoc tam parum homo potest efficere, quam parum potest peccare simul et non peccare. Posterius vero tantum dicit, quod in homine illo actu existente detur plena et completa potentia omittendi peccatum: adeoque non ponendi objectum illius praescientiae, quo non posito, data ab aeterno numquam fuisset illa praescientia.

CDXXXVII. *Dices III.* Si homo stante nunc praescientia Dei de peccato posset adhuc omittere peccatum, posset praescientiam falsificare. Atqui hoc efficere nequit. Ergo. P. M. Si homo nunc stante praescientia Dei de peccato, omitteret peccatum, praescientiam Dei actu falsificaret. Ergo si stante praescientia Dei de peccato, potest omittere peccatum, potest illam falsificare. R. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. vel D. C. Potest praescientiam falsificare, si stante illa posset omittere peccatum in sensu composito praescientiae, et potentia consequente, C. C. Si tantum in sensu diviso praescientiae, et potentia antecedente, N. C. Si homo posset nunc facere, ut dum jam datur praescientia Dei de peccato, simul non detur peccatum, tunc posset praescientiam falsificare: si autem efficere tantum potest, ut non detur peccatum, eoque non dato etiam data non fuerit praescientia de peccato, non quidem falsificare, sed impedire hanc praescientiam potest. Quare hoc tantum sensu potest homo praescientiam non verificare, quod antecedenter possit non ponere objectum praescientiae, non autem quod cum praescientia possit conjungere objectum eidem difforme.

CDXXXVIII. *Dices IV.* Si praescientia Dei posset impediri a libertate creata, tunc impediretur in tempore, vel ab aeterno. Neutrum horum dici potest. Ergo. P. m. Non ab aeterno, quia liberum arbitrium hominis ab aeterno non extitit: non in tempore, quia, quod datur ab aeterno impediri non potest ab eo quod est in tempore. R. C. M. N. m, et dico, praescientiam impediri posse indirecte et logice a libertate creata in tempore, quatenus homo omittendo peccatum pro illo instanti potest efficere, ut Deus pro illo instanti non praeviderit peccatum, sed potius illius omissionem.

CDXXXIX. *Dices V.* Praescientia Dei antecedit actum futurum, quia est ab aeterno. Ergo infert necessitatem antecedentem, adeoque nequit impediri. P. C. Si posset impediri, tunc quod factum est, posset fieri infectum. Atqui hoc implicat. Ergo. R. D. A. Antecedit tempore, C. A. Causalitate, determinatione, aut prioritate naturae, ita ut sit illius causa, N. A. Praescientia Dei non determinat ad actum v. g. peccaminosum futurum; sed hic actus est conditio, sine qua non datur praescientia peccati. Sicut igitur objectum hujus praescientiae impediri potest: ita etiam praescientia ad peccatum extiturum, tempore prior, ab homine impediri potest potentia antecedente. Ad *probat.* N. M. et suppositum, quod si praescientia illa impediatur, factum fieret infectum; sed dumtaxat id quod factum est, factum non fuisset: id est, si praescientia de peccato impediretur, numquam illa in Deo data fuisset.

CDXL. *Dices VI.* Praescientia Dei non potest determinari ab objecto futuro. Ergo non potest impediri. P. A. Si praescientia Dei posset determinari ab actu libero futuro, tunc actus liber creaturae foret causa praescientiae. Atqui hoc fieri nequit. P. m. Praescientia Dei est ipse Deus. Atqui nullus actus liber creaturae potest esse causa Dei, qui est Ens necessarium. Ergo nullus actus liber creaturae potest esse causa praescientiae divinae. R. D. N. Non potest determinari physice, et in sensu proprio, ac si objectum futurum praestaret influxum physicum in praescientiam Dei, C. A. Non potest determinari logice, quatenus actus liber creaturae in tempore futurus per suam cognoscibilitatem terminat praescientiam Dei, N. A. Ad *probat.* D. M. Si praescientia Dei posset physice determinari ab actu libero futuro,

C. M. Si logice tantum potest determinari, N. M. Peccatum v. g. futurum non influit physice in praescientiam Dei, non est causa, non dat suum esse praescientiae divinae; sed est tantum purus illius terminus, sive praecise tantum terminat praescientiam divinam, estque ratio logica, cur Deus ex natura sua determinatus ad cognoscendam omnem veritatem, concipiatur a nobis cognoscere peccatum potius quam omissionem peccati.

CONTROVERSIA V.

AN S. AUGUSTINUS HOMINEM OB PECCATUM ADAMI LIBERO ARBITRIO SPOLIATUM FUISSE DOCUERIT?

Contra Jansenianos.

CDXLI.

Antiqua est ac pervulgata Haereticorum fraus, ut Vincentius Lerinensis Commonitorii Cap. XI. testatur, *Qui cum sub alieno nomine haeresin concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita, quae pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico: vel eo, quod haereseos venenum propinare aliis non pertimescunt: vel eo etiam, quod Sancti cujusque viri memoriam tamquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, quae silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant.* Horum vesti-

giis strenue institere posteriorem temporum Sectarii. Confidentissime jactabat olim Wickleffus apud Waldensem Tomo I. Lib. I. Art. II. Cap. XXXIV. *A modernis dissentio; sed cum multis Sanctis antiquis, et specialiter Augustino convenio.* Si Luthero credimus, Augustinus totus Lutheranus est; ait enim Lib. de servo arbitrio contra Erasmum Roterodamum: *Fateor, mi Erasme, non immerito te istis omnibus moveri. - - - Videbam omnium illorum authoritatem, quos recenisti, super caput meum velut diluvium inundaturum. Verum Augustinus, quem praeteris, totus meus est.* Calvinus initio libri de aeterna Dei Praedestinatione scribit: *S. Augustinus adeo totus noster est, ut si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abunde mihi sufficiat. -- Constabit, quam solide omni ex parte mihi suffragetur.* Michael Bajus identidem repetebat, se semper atque ex animo facere cum Augustino. Cornelius Jansenius, Iprensis postea Episcopus, teste Valerio Andreae in ejus Vita, *unum fere e SS. Patribus vitae suae ducem, studiorumque Magistrum Sanctum delegerat Augustinum, cujus Opera omnia fere decies, libros vero de gratia divina et libero arbitrio plus quam trigesies, a capite ad calcem evolverat.* Hinc famosum opus suum non alio insigniri voluit titulo, quam *Augustinus Cornelii Jansenii.* Sectatores ac pedissequi Jansenii non alio cupiunt appellari nomine, quam *Discipulorum S. Augustini*, illud sibi quasi proprium antonomastice vendicantes. Quesnellus in praefatione explicationis apologeticae ait, se doctrinam in Observationibus moralibus expressam ex SS. Augustino et Thoma hausisse, ratus se sub talium umbra Magistrorum adversus quaslibet Pontificum censuras sat esse tutum.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam, ajebat Macarius Havermans Doctor Lovaniensis, Jansenianae factionis Theologus, author propositionis ordine XXX. ab Alexandro VIII. proscriptae.

CDXLII. Verum enimvero etiamsi Jansenianis daretur, (quod nullo tamen pacto ipsis conceditur,) Sanctum Augustinum de libero arbitrio duriuscule scripsisse, aut etiam in errorem lapsum esse; neutiquam tamen sequeretur, solum Augustinum praeponendum esse authoritati Ecclesiae, ac Tridentinae Synodi decretis, nisi Janseniani ipsius Augustini ac Thomae doctrinam eversam velint. S. Thomas II. Quaest. XI. Artic. II. ad III. scribit: *Postquam autem essent authoritate universalis Ecclesiae determinata, siquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, haereticus censeretur. Quae quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice – – – contra cujus authoritatem nec Hieronymus nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* S. Augustinus Epist. CXLVIII. alias CXI. ad Fortunatianum scribit: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.* Et Lib. de vera Religione, Cap. X. *Quae vera esse perspexeris, tene, et Ecclesiae Catholicae tri-*

bue; quae falsa, respue, et mihi qui homo sum, ignosce: quae dubia, crede; donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse vel ratio doceat, vel praecipiat authoritas. Si Augustinus unus ille irrefragabilis est Magister, quid demum causae est, quod Janseniani non omnibus subscribant Augustini pronunciatis, seseque authoritati Ecclesiae, ejusque supremo Capiti submittant, quando id toties docuit, fierique praecepit Augustinus? Exploratum est, causam ipsum existimasse absolutam, cum suam de ea Sedes Apostolica sententiam ferebat. Pelagianis, qui Innocentii anathemate irritati coelum terramque miscebant, ora obturavit Serm. CXXXI. de verbis Evangelii S. Joannis, Cap. X. verbis illis: *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est.* Ad Julianum vero identidem obstrepentem ait Lib. II. Operis imperfecti, Num. CIII. *Quid adhuc quaeris examen quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?* Epist. CLXXIII. alias CCIV. ad Donatum scribit: *Foris ab Ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis et vinculo charitatis, aeterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incenderetis.*

CDXLIII. Quod si Janseniani dicant, doctrinam Augustini approbatam fuisse a Conciliis, Ephesino in causa Pelagianorum, CPolitano II. Arausicano II. Romano sub S. Gelasio I. atque ab ipsis Romanis Pontificibus, Coelestino I. in Epist. ad Episcopos Galliarum: *Augustinum Sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantae scientiae olim fuisse memini-*

mus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis Decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt utpote qui utique cunctis et amori fuerit et honori. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Item S. Hormisda in Epist. ad Possessorem, et Joanne II. Epist. III. *Hujus* (Augustini) *doctrinam, secundum Praedecessorum meorum statuta, Romana sequitur, et servat Ecclesia.* R. I. Si Pontifices in materia fidei falli possunt, ut volunt Jansenistae, cur in commendando Augustino infallibiles erunt? R. II. a Conciliis et Pontificibus non Augustini libros tantum, verum etiam aliorum Patrum, Hieronymi, Ambrosii, Basilii etc. approbatos fuisse, ut liquet ex V. Synodo, sive CPolitana II. quae Collatione III. ait: *Super haec sequimur per omnia et Sanctos Patres et Doctores Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem CPolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum. Et suscipimus omnia, quae de recta fide, et condemnatione haereticorum exposuerunt.* Neque ex verbis Pontificum plus evinci potest, quam quod Augustinus irreprehensibiliter fidem Catholicam docuerit, praecipue contra Pelagianos; quin tamen omnia, quae Augustinus scripsit, ad fidem Catholicam pertineant. Profecto si Ecclesia tam quam fidei articulum definire voluisset, quidquid in Augustini libris continetur, ad fidem Catholicam pertinere, iisdem ferme verbis usa fuisset, quibus Patres Concilii Romani sub S. Gelasio I. A. 494. S. Leonis Epistolam commendarunt. *Item* (Ecclesia suscipit) *Epistolam Beati Leonis Papae ad Flavianum CPolitanum, de cujus textu quispiam si usque ad unum jota di-*

sputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

CDXLIV. Verum quamvis Ecclesia de libris S. Augustini ita locuta fuisset, ut Patres Synodi Romanae de Epistola S. Leonis ad Flavianum, ne tum quidem Janseniani Augustini authoritatem authoritati Ecclesiae praeferre possent. Nam I. si Ecclesia fallitur juxta Jansenianos, dum definit in libro Jansenii impias haeresis contineri, cur Ecclesia falli non poterit Augustini libros approbando? Si falluntur Innocentius X. Alexander VII. et Clemens XI. cur falli non potuere Joannes II. Hormisdas, et Coelestinus? II. Quamvis Ecclesia declarasset, omnia verba Augustini infallibilem, immo divinam habere authoritatem, confugiendum tamen nihilo secius foret ad Ecclesiam, tamquam columnam veritatis, ut illa doceat ac declaret, quo sensu Augustini verba intelligenda sint; eaque loca, quae nobis favere ipsi Janseniani non inficiantur, cum aliis in speciem oppositis quomodo sint concilianda. Numquid enim Evangelia divinam habent authoritatem? Nihilo tamen minus Nicaenum I. litem cum Arianis exortam dirimere debuit statuendo, quis gemini loci in speciem oppositi, *Pater major me est. Ego et Pater unum sumus*, sit sensus, et quo pacto inter se conciliari debeant? Jam vero Ecclesia tum in Pontificum Constitutionibus, tum in Tridentina Synodo aperte docuit, haeresin esse asserere, quod gratiae divinae in statu etiam naturae lapsae resisti non possit, aut quod nullus libero arbitrio locus in hoc statu relinquatur, et quae sunt hujusmodi. Ecclesia propositionem hanc per Alexandrum VIII. publico decreto proscripsit: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute po-*

test tenere et docere, non respiciendo ad illam Pontificis Bullam.

CDXLV. Neque dicant Janseniani, Magistrum suum a Pontificibus tantum damnatum fuisse. Ut enim nihil dicam de infallibili Romanorum Pontificum in quaestionibus fidei et morum authoritate, Tridentinum aperte gratiam necessitantem, ac libero hominis arbitrio exitialem, ut haereticam damnavit. II. Decretum Innocentii X., ac Bulla *Unigenitus* Clementis XI. accepta-ta sunt ab universa Ecclesia, cui Christus non eo tantum exiguo tempore, quo in Concilio congregata est, sed etiam dispersae inerrantiam promisit. III. Etiamsi Oecumenicum Concilium convocaretur, non alia tamen expectari posset sententia, quam ea, quae a tot Pontificibus, et Episcopis per orbem dispersis lata est. Janseniani vero Conventum illum Ecclesiae, tamquam a Christo Sponso suo derelictae, pari audacia ac temeritate spernerent, qua olim Lutherus, aliique Saeculi XVI. Novatores Tridentinam Synodum.

CDXLVI. Haec quae de Augustini authoritate disseruimus, non praesenti modo, verum etiam aliis materiis inservire poterunt, in quibus de mente Augustini disceptatur. Maximi haud dubie est ponderis authoritas Augustini, etiam in illis quae ab Ecclesia clare non sunt decisa; attamen non est infallibilis, aut tanta, ut authoritati Ecclesiae praeponi possit, aut debeat, maxime si Ecclesia opinionem aliquam damnaret, quae in Augustino satis expressa ac tradita videretur. Qui Augustini authoritatem altius extollunt, aut decipere amant solito haereticorum more, aut splendide deci-piuntur, fortassis zelo quidem ducti, sed non secundum scientiam. Verumtamen ne Janseniani haec a Catho-

licis ex desperatione dici autument, quod Augustinum sibi ereptum cernant, solide ac perspicue ostendemus, Jansenianos pessima fide, atque inani conatu Augustinum sibi vindicare.

CDXLVII. *Conclusio.* S. Augustinus constanter docuit, homini etiam in praesenti statu naturae lapsae inesse libertatem ab omni necessitate simplici et antecedente. Praeter ea, quae Controversia I. et II. ex Augustino deprompsimus, probatur Conclusio ex aliis libris et locis S. Doctoris, quibus mentem suam perspicue hac de re aperuit. Ac I. quidem Lib. de duabus Animabus, Cap. XI. ait: *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* Ergo ab homine exclusit omnem necessitatem simplicem, antecedentem; hac enim posita jam non amplius liberum esset abstinere.

CDXLVIII. II. Libro de Natura et Gratia, Cap. LXV. approbans verba S. Hieronymi: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas nec corona est*, subjungit illico: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Lib. contra Faustum, Cap. V. *Liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicamus.* Lib. III. de Libero arbitrio, Cap. XX. affirmat, *animam in ignorantia et difficultate natam, nulla tamen necessitate comprimi ad permanendum in eo, quo nata est.* Lib. I. Retractationum Cap. IX. istos de libero arbitrio libros censoria virgula reco-

gnoscens, non retractat quod de immunitate a necessitate et indifferentiae libertate dixerat; sed monet dumtaxat necessitatis gratiae mentionem esse faciendam, de qua pauca tunc dixerat, quod institutae contra Manichaeos disputationis ratio plura non postularet.

CDXLIX. III. Libro de Spiritu et litera, Cap. III. scribit: *Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut praeter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, praeterque doctrinam qua ei praecipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni quod Deus est.* Epist. CLXXVII. alias XCV. ad Innocentium: *Ad non peccandum, id est, ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.* Lib. II. de Nuptiis et Concupisc. Cap. III. Juliano querenti, quod si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum nascentium esse Conditorem dixerit, illico Coelestianus aut Pelagianus vocaretur, Augustinus ita respondet: *Non est ita ut loqueris, quicumque ista dixisti, non est ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium. — — Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium Conditorem, utrique dicimus; non hinc estis Coelestiani et Pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei, et non erui parvulos a potestate tenebrarum, et sic transferri in regnum Dei hoc vos dicitis; hinc estis Coelestiani et Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogma-*

tis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen? Ergo Augustinus agnovit communem esse secum Pelagii et Juliani sententiam de libero arbitrio, nisi quod ad bene ac salutariter agendum necessitatem divinae gratiae adstrueret, quam inficiabantur Pelagiani. Certe id ipsum innumeris fere locis testatur Augustinus, admittere se pariter cum illis liberum hominis arbitrium; non posse tamen sine gratia actum poni salutarem. Quod si Augustinus libertatem a coactione, non vero a necessitate simplici et absoluta admisisset, ut Jansenius contendit, et Pelagianos et totam Ecclesiam decepisset scribendo: *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium utrique dicimus.* Quanam enim aetate aut saeculo liberum arbitrium aliud umquam significavit, quam libertatem ab omni necessitate simplici et antecedente? Ergo Augustinus in eo sensu admisit liberum arbitrium, quo id admittebant Pelagiani, et quo ipse Augustinus id defendit contra Manichaeos, qui non negabant liberum arbitrium a coactione, sed tantum a necessitate. Vide dicta Controversia I. hujus Articuli.

CDL. IV. Lib. II. de Actis cum Felice Manichaeo, Cap. IV. ait: *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quae mala sunt, et esse arbor mala.* Lib. X. de Genesi ad litteram, Cap. XIV. *Potest* (homo) *per voluntatem bonam eligere vitam bonam; quod quidem non poterit, nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem.* Enarratione in Psalm. LI. *Benignitas ante te, iniquitas ante te: compara et elige.* Atqui verbum *eligere* juxta omnes significat indifferentiam ad opposita:

neque enim electionem habet, qui inimpedibili necessitate ad unum determinatur. Ergo.

CDLI. V. Lib. I. Retractat. Cap. XXII. *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur.* Lib. de diversis Quaestionibus LXXXIII. Quaestione LXVIII. *Ad illam coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Lib. de Spiritu et littera ad Marcellinum, Cap. XXXI. examinat, utrum fides ipsa in nostra constituta sit potestate: et postquam explicavit, quid sit rem aliquam in nostra esse potestate: *Hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestatem habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit;* affirmat fidem in nostra esse potestate, quamvis ad fidem necessario requiratur donum liberale gratiae; hancque affert rationem, quia qui vult, credit, qui non vult, non credit: *Vide nunc, utrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est: quid enim est credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem utique volentis est: profecto fides in potestate est.* Ac paulo post Cap. XXXIV. subjungit: *His ergo modis* (suasionibus) *quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine,*

et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. Ubi notandum est, Augustinum dixisse *propriae*, non alienae voluntatis esse, quod ad Simplicianum Lib. I. Quaest. II. Num. X. adhuc clarius explicat. *Ut velimus, et suum voluit esse et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Inspiratio, quamvis et ipsa sit actus voluntatis nostrae, non tamen ab Augustino nobis tribuitur, sed Deo, qui solus eam infundere potest: sequi vero inspirationem vel non sequi, nobis imputatur; quia quamvis in alicujus arbitrio non sit credere sine inspiratione, praesente tamen inspiratione liberum est credere, vel non credere. Denique Lib. V. Operis imperfecti, Num. XLVIII. scribit adversus Julianum S. Doctor: *Tam bonum certe quam malum ex propria homo, sicut dicis, voluntate facit, et utriusque in illo possibilitas aeque lance libratur; et ad bene faciendum Deus adjutorium subministrat.* Vide plura apud *Petavium* Theolog. Dogmatum Tomo III. de Opificio sex dierum, Lib. IV, *Nicolaus Ghezzi* Principj della Filosofia, Tomo I. Parte II. Illustrissimum *Scipionem Maffei* Historiae Theologicae Lib. IX. et XIV. *Natalem Alexandrum* Dissertat. XXVI. in Hist. Eccles. Saeculi III. *Laurentium Alticotium* Summae Augustinianae Parte I. Quaest. VII. et Parte IV. Quaest. II. Artic. IV.

OBJECTIONES.

CDLII. *Objicitur I.* contra I. probat. Definitio peccati, quam dedit S. Augustinus Lib. de duabus Animabus, Cap. XI. spectat Adami peccatum, non vero personalia, in quae homines prolabuntur. Ergo ex illa definitione nihil evincitur. P. A. S. Doctor Lib. I. Ope-

ris imperfecti contra Julianum, qui hac ipsa definitione peccati Augustinum premere, ac parvulos sine peccato Originali nasci probare conabatur, Num. XLIV. ita scribit: *Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena peccati. De hoc quippe agendum fuit quando mali origo quaerebatur: quale commissum est a primo homine ante omne hominis malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* Et Num. XLVII. ait: *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quae tibi placuit, intuebatur, cum dicerem, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, et propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: ac per hoc id egit peccando, quod justitia vetabat, et unde liberum illi fuerat abstinere. Nam et qui dicit, Quod nolo malum hoc ago, abstinere inde, liberum non est.* Ergo cum definitio illa ad illud peccatum pertineat, quod tantummodo peccatum est, non autem poena peccati, definitio illa Augustiniana se non extendit ad peccata hominum personalia, quae non modo peccata sunt, sed etiam poena peccati. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Quamvis Augustinus l. c. cum Manichaeis disputans ad peccatum Adami praecipue respexerit, unde omnis mali origo fluxit, in libris tamen contra Julianum editis numquam ab illa definitione exclusit peccata hominum personalia vere ac proprie talia; sed tantum peccatum originale, ac motus indeliberatos concupiscentiae, qui sunt quidem poena peccati, at non peccata vere, proprie ac formaliter talia, modo eis resistatur, ut dictum

fuit Art. I. hujus Tractatus, Controversia II. eoquod liberum nobis non sit iis carere.

CDLIII. *Dices.* S. Augustinus ab illa definitione peccati excludit illud, quod est peccatum et poena peccati. Atqui omnia personalia hominis lapsi sunt peccata, et poena peccati originalis. Ergo ab illa definitione excludit omnia personalia peccata hominis in statu naturae lapsae. R. D. M. Quod est poena peccati immediate, qualis est ignorantia invincibilis, et indeliberati motus concupiscentiae, C. M. Quod est poena peccati mediate, qualia sunt peccata hominum personalia, quae sunt effectus rebellis concupiscentiae, N. m. Et D. m. Personalia peccata hominum sunt poena peccati Originalis immediate, N. m. Mediate, Transeat min. Dixi, *Transeat*; universaliter enim verum non est, omnia personalia peccata hominis lapsi poenas esse peccati originalis, etiam mediate tantum. Non infrequenter enim accidit, ut homo ex mera malitia peccet, quamvis legem Dei optime perspectam habeat, nullisque concupiscentiae stimulis, aut certe modicis urgeatur, quod expresse agnovit Augustinus Lib. I. Operis imperfecti Num. CV. *Cum igitur et illa fateamur in hominibus esse peccata, quae committuntur, non necessitate, sed voluntate, quae tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere.* Quare per peccatum, quod etiam poena peccati est, et a quo S. Augustinus negat liberum esse abstinere, non intelliguntur peccata personalia, quae deliberate in hoc statu a nobis committuntur; sed ea solum, quae ex omnium opinione caveri non possunt, videlicet originale peccatum, quod proprie peccatum est, et concupiscentia cum motibus ejus indeliberatis, atque ea pec-

cata, quae ex ignorantia invincibili committuntur; quae licet proprie peccata non sint, vocantur tamen peccata, quod primi peccati fructus sint et poenae.

CDLIV. *Objicitur* II. contra reliquas probationes. Libros de Libero arbitrio, aliosque contra Manichaeos S. Augustinus scripsit ante suum Episcopatum: aetate autem provectior hanc suam de libero arbitrio doctrinam damnavit in Libris contra Pelagianos, et in libris suarum Retractationum. II. Sermones illius, et Enarrationes in Psalmos levioris sunt momenti, quod alius omnino a se fuerit, dum pro concione diceret. Ergo ex illis solidum argumentum instrui nequit. R. ad I. Libros quidem de Libero arbitrio, et quaedam alia contra Manichaeos ante Episcopatum suum scripsit Augustinus; plura tamen contra eosdem scripsit jam Episcopus, ut v. g. librum contra Epistolam Manichaei, de Natura boni, contra Faustum et Felicem Manichaeos, Petilianum, Secondinum etc. Quae vero contra Manichaeos tum, ante tum post Episcopatum suum scripsit, tantum abest ut in libris Retractationum damnaverit, ut etiam ea confirmaverit Lib. I. Retractat. Cap. IX. Num. VI. scribens: *Ecce tam longe antequam Pelagiana haeresis extitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus.* Pro modestia sua et veritatis amore damnat S. Doctor Lib. I. Retract. Cap. XXIII. quae olim ante exortos Semipelagianos incautius scripserat, docetque ipsum etiam initium fidei non ex nobis, sed ex Deo esse. At vero dum libros de libero arbitrio, aliaque quae contra Manichaeos scripsit, iacudi iterum subjicit Augustinus, numquam negat liberum hominis arbitrium etiam in statu naturae lapsae ab omni necessitate inimpedibili immune esse; quod singuli fere

versus horum librorum tam luculenter docent, ut nec Augustinus aliter illos explicare potuisset; sed eos integros spongia, ut dicitur, delere, aut omnino igni tradere debuisset, siquidem mentem suam quam in libris illis tam manifeste prodiderat circa liberum hominis arbitrium, postea mutasset. Ad II. R. has esse de causa sua desperantium voces, quae sine luculenta Sancti Doctoris injuria proferri nequeunt. Enarrationes in Psalmos Cassiodorus aliique Veteres caeteris omnibus Augustini lucubrationibus anteponunt; Sermones vero ad populum habuit jam Episcopus, plena utique illo tempore a Deo collustratus: neque fas sibi esse putavit vir Sanctissimus a suggestu verba faciendo disseminare dogmata minus sana ac periculosa.

CDLV. *Objicitur III.* S. Augustinus expressis ac clarissimis verbis ait, liberum arbitrium per peccatum Adami periisse. Ergo. P. A. I. Lib. contra Fortunatum, Disput. II. Num. XXII. scribit S. Doctor: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei praecepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* Et Lib. de Perfectione justitiae, Cap. IV. *Respondetur, per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; sed jam poenalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem.* II. In Enchiridio Cap. XXX scribit: *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum. — — — Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium.* Lib. de Perfect. justitiae, Cap. IV. *victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit liber-*

tate naturae. Hinc alia Scriptura dicit: A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Et Epist. CCXVII. alias CVII. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* III. Sermone CLVI. Num. XI. ait, *nos non agere, sed agi.* R. D. A. Periisse per peccatum Adami liberum arbitrium, id est, periisse libertatem indifferentiae, oppositam necessitati, seu inimpedibili determinationi ad unum, N. A. Periisse libertatem, seu immunitatem a peccato, ejusque poenis, morte nimirum et concupiscentia, C. A. N. C. Fatemur ultro libertatem hanc a peccato periisse, neque posse nos ab ea servitute liberari, nisi per Christum liberatorem nostrum, juxta illud Joan. Cap. VIII. *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

CDLVI. Ad I. R. C. A. N. C. Per liberum arbitrium non intelligitur ibi simpliciter libertas indifferentiae; sed libertas sana ac robusta, seu facultas prompte facile, et hilariter se determinandi ad bonum, quacum primus homo conditus fuit, et quam Augustinus dicit nos amisisse per Adami peccatum. Per necessitatem illam intelligitur necessitas patiendi motus inordinatos concupiscentiae ad peccatum inclinantes, nascendi in peccato originali, et manendi sub captivitate daemonis, donec per baptismum liberemur: aut etiam necessitas peccandi, non vere ac proprie talis, nempe inimpedibilis et physica, sed moralis tantum, quae consistit in magna difficultate aliquid agendi vel omittendi. Porro certum est, necessitatis nomen, cui hominem subesse dicit Augustinus, vario sensu ab illo usurpari. Aliquando loquitur S. Doctor de necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, quaeque ab ipso homine impediri potest: quandoque de necessitate, non

absoluta quidem et plena, sed tantum secundum quid: modo necessitatem sumit pro simplici molestia, aut difficultate in operando, ita ut vocis hujus significatio ex subjecta materia, atque aliis clarioribus textibus desumi debeat.

CDLVII. Ad II. Respondet ipse S. Augustinus Lib. I. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. II. *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia.* Ex quibus verbis manifeste sequitur, Augustinum non negasse libertatem a necessitate, sed tantum immunitatem a peccato ac poenis peccati, et praecipue a concupiscentia, cujus rebelles motus saepe inviti experimur. Citatis itaque in objectione locis arguit S. Doctor Pelagianos, qui asserebant liberi arbitrii virtute concupiscentiam exstirpari atque aboleri posse: hominem ex se suisque viribus absque interioris gratiae adjutorio fidem obtinere, ac Deum supernaturali amore diligere posse: liberum arbitrium hominis post peccatum Adami tam plenum esse, ac fuerat ante peccatum, adeoque pari facilitate hominem operari bonum, ac illud antea operabatur, et quae plura alia sunt Pelagianae doctrinae flagitia. Demonstrat itaque Augustinus, homines per Adami peccatum gratia supernaturali spoliatos fuisse, sine qua liberum arbitrium nihil omnino potest in ordine ad salutem; atque hinc liberum arbitrium ad bonum supernaturale amissum esse dicit, non quod ipsa naturalis facultas volendi aut non volendi sublata sit; sed quia liberum arbitrium gratia

supernaturali spoliatum fuit, tamquam complemento necessario, ut salutariter possit operari. Hunc sensum clarissime indicat ipse S. Augustinus Lib. II. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. V. *Peccato Adae liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Sexcentis repetit Augustinus, hominem non esse liberum, nisi liberetur; liberatio autem, quae per primam nobis gratiam obvenit, sublevat, extollit, et perficit arbitrium, non evertit. Epist. CLVII. alias LXXXIX. ad Hilarium ait: *Non enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur.* Et Lib. de Correptione et Gratia, Cap. XII. *Per secundum Adam Dei gratia liberati, et ista liberatione habentes liberum arbitrium, quo serviant Deo.*

CDLVIII. Ad III. R. Id non sine incredibilis impudentiae nota a Jansenianis nobis objici. Verba Augustini haec sunt Sermone CLVI. Num. XI. *Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo immo et agis, et ageris; et tunc bene agis, si a bono ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris praescribit, quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas; agnosce quid confitearis. Quando dicis, Adjutor meus esto, ne derelinquas me, Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. — — Si non esses operator, ille non esset cooperator.*

CDLIX. *Dices I.* Juxta S. Augustinum in statu naturae lapsae homo peccator est subjectus servituti dae-

ad Marcellinum, Cap. XXX. scribens: *Liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur*: potestque paritate non incongrua illustrari. Certum est, quod sine luce nullum objectum videri possit; neque tamen idcirco ullus asseret, a lucis necessitate potentiam visivam destrui: quin immo ultro omnes fatebuntur, corroborari illam magis a luce, atque expeditam reddi ad videndum, ac visionem ipsam liberrimam esse, quia homo etiam praesente luce videre potest objecta, aut si nolit, ea non videre, oculos nimirum non aperiendo. Pari modo gratia divina ad salutariter operandum necessaria non aufert, sed complet ac perficit libertatem humanam; illa enim praesente liberum est homini consentire piae inspirationi ac motioni, vel dissentire: atque ideo gratia dicitur ab Augustino sanare voluntatem, ut possit, quod antea sine gratia non poterat, libero amore in justitiam ferri.

CDLXI. *Dices III.* Juxta S. Augustinum homo in statu naturae lapsae indiget potentiore gratia ad salutariter operandum, quam indiguerit in statu naturae innocentis. Atqui ideo indiget potentiore gratia, quia homo per peccatum Adami indifferentiam activam amisit. Ergo. R. C. M. N. m. Homo quamvis indifferentiam activam seipsum determinandi retinuerit, tantam tamen aegritudinem ac infirmitatem per peccatum Adami contraxit propter rebellionem concupiscentiae, ut sine gratia medicinali, qua sanatur et corroboratur, neque ad bonum agendum sicut oportet, neque ad malum meritorie fugiendum seipsum ulla ratione determinare valeat. Ergo in statu naturae lapsae potentiore indiget adjutorio, quam in statu innocentiae, in quo,

utpote firmo et robusto propter donum integritatis, sufficiebat gratia illustrationis. At vero in praesenti statu indiget homo non solum illustratione, sed etiam inspiratione, seu adjutorio interno voluntatem ejus immediate afficiente, sine quo non amplius potest velle bonum, aut nolle malum, sicut oportet ad salutem.

CDLXII. *Dices IV.* Saltem peccatores et infideles juxta Augustinum non habent liberum arbitrium. Ergo. P. A. Peccatores et infideles nec ex se ipsis habent quod ad volendum vel non volendum requiritur, nec possunt pro libito illud obtinere. Ergo non sunt liberi ad bene operandum, quia gratiam non habent ex se, nec illam pro libito obtinere possunt; cum gratia donum sit gratuitum et liberale. Hinc S. Augustinus Lib. de Spiritu et littera, Cap. XXX. scribit: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati; quid se jactant de libero arbitrio?* R. N. A. Ad *probat.* N. C. Quando actus salutaris a Deo praecipitur, vel malus prohibetur, cum nemo ad impossibile obligetur, ut sexcenties Augustinus monet, certum est, quod Deus cuilibet auxilium det sufficiens, cui posset homo cooperari, si vellet. Ergo in illo casu peccatores et infideles libere peccant, quamvis non sine magna difficultate a peccato abstinere possint. Augustinus citatis verbis loquitur de libertate a peccato, et Pelagianos arguit, qui ad bene et salutariter operandum necessitatem divinae gratiae exeludebant.

CDLXIII. *Dices V.* Juxta Augustinum homo non fit liber ad bonum faciendum, aut malum vitandum, nisi per gratiam liberantem. Atqui infideles et peccatores non habent gratiam liberantem, quia non habent gratiam justificantem. Ergo. R. D. M. Homo non nisi

per gratiam liberantem, id est, justificantem fit liber libertate majore et potentiore, quacum facile vincit concupiscentiam, C. M. Libertate sufficiente et idonea ad vincendam concupiscentiam, N. M. Homo, etiam sine gratia justificante, habet libertatem per alia minora auxilia vere sufficientia, quibus adjutus concupiscentiam vincere posset, si vollet, quamvis non sine difficultate. Quod si vero homo gratia sanctificante sit ornatus, longe facilius resistit concupiscentiae; quia gratia sanctificans confert homini jus ad auxilia frequentiora, ac potentiora.

CDLXIV. *Objicitur IV.* S. Augustinus Lib. I. Operis imperfecti, Num. C. definitionem libertatis, quam Julianus ita statuerat: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum et malum*, his verbis impugnat: *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, et bonum et malum; liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, Deus esse nisi justus non potest: Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Ergo juxta S. Augustinum ad liberum arbitrium non pertinet libertas indifferentiae. R. C. A. D. C. Libertas indifferentiae; id est, agendi bonum vel malum non pertinet ad liberum arbitrium generice spectatum, C. C. Non pertinet ad liberum arbitrium, quale habent homines viatores, N. C. Quia Julianus, ut scribit S. Augustinus Lib. III. contra eumdem Cap. VII. amabat *Dialecticorum quasi jaculis oneratus in certamen procedere*, ideo illum tamquam ineptum Dialecticum explodit S. Doctor, quod definitionem liberi arbitrii statuerit, quae non omnibus liberum arbitrium habentibus, nimirum Deo et Beatis convenit. Ostendit igitur Augus ti-

nus plures libertatis species distinguendas esse, Deumque ac Beatos habere libertatem ac potestatem, quatenus libertas et potestas sunt perfectio, non quatenus includunt ac supponunt imperfectionem: Liberum arbitrium, si sumatur generaliter, ac secundum rationem essentialem, nihil aliud esse, quam facultatem eligendi hoc vel illud, hoc eligendi vel non eligendi, servato ordine finis. Verumtamen quamvis Augustinus Deum et Beatos liberos esse asseruerit, licet peccare non possint, nequaquam tamen ex eo intulit, homines quoque viatores liberos fore, meriti aut demeriti capaces, licet unum tantum ex duobus possent. In eodem enim libro, in quo Juliani definitionem rejecit, nempe Lib. I. Operis imperfecti, Num. XCVIII. saepius docet, *hominem, ex quo incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare et non peccare posse.* Et Num. LXXIV. contra definitiones et argumenta, quibus evincere se putabat Julianus esse etiam in homine potestatem actus boni et meritorii, responsio Augustini alia non fuit, quam non negare se liberum arbitrium; sed dicere, quod esset in homine per Filium Dei liberantem: dixisse se tantum, neminem esse liberum ad bene operandum sine adjutorio Dei.

CONTROVERSIA VI.

DE STATU NATURAE PURAE.

AN HOMO POTUERIT A DEO CREARI, QUIN PER GRATIAM SANCTIFICANTEM ELEVARETUR AD FINEM SUPERNATURALEM?

Contra Lutheranos, Calvinistas, Rajanos, Jansenianos.

CDLXV.

Ut facilius intelligantur, quae de statu naturae purae dicturi sumus, notiones quaedam necessario praemittendae sunt. *Status* prout hic a Theologis considerasatur, est certa quaedam conditio seu modus se habendi naturae humanae, relate ad ultimum finem, secundum divinae providentiae ordinationem. Duplex generatim distinguitur, nimirum *status viae*, quo tenditur ad beatitudinem, et *status patriae*, in quo beatitudo possidetur. Status viae, do quo solum in praesentiarum agimus, dividitur in statum naturae purae, integrae, ac lapsae, per Christum tamen reparatae. *Status naturae purae* foret ille, in quo homo conderetur cum proprietatibus et facultatibus sibi debitis, absque ordinatione ad finem supernaturalem per dona supernaturalia, et absque corruptione naturae per peccatum originale. Certum est hunc statum nec fore umquam, nec fuisse. Nam primi parentes nostri cum dono integratis creati fuerunt, et in ipsa creatione, vel saltem

paulo post creationem acceperunt a Deo dona supernaturalia gratiae sanctificantis, fidei, spei, et charitatis ad consequendam beatitudinem supernaturalem, ad quam a Deo fuerant gratuito ordinati, ut constat ex communi doctrina ac traditione Patrum adversus Pelagianos, qui primum hominem a Deo talem fuisse conditum asserebant, quales nunc nascimur sine virtute nimirum, et sine vitio. Hoc ipsum, quod Patres tradiderant, manifeste supponit *Tridentinum* Sess. V. in Decreto de peccato Originali, Can. I. *Siquis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; anathema sit.*

CDLXVI. *Status naturae integrae* est, qui naturae purae superaddit donum quoddam speciale ac indebitum, scilicet carentiam fomitis et effraenatae concupiscentiae, sive subjectionem appetitus sensitivi ad rationalem, ita ut inferior contra superiorem moveri, et rationem praevertere non possit. Hic status secundum se spectatus, et praescindendo ab hac providentia, non involvit necessario ordinationem ad finem supernaturalem. Unde bene subdividitur in statum naturae integrae non elevatae, et elevatae ad beatitudinem supernaturalem. *Status naturae integrae elevatae et innocentis*, in quo fuit Adamus ante peccatum, praeter negationem peccati et plura alia dona, triplex praecipue donum importat, nempe gratiam sanctificantem, subjectionem perfectam appetitus sensitivi ad rationem, et immunitatem a morte, morbis ac doloribus, quae omnia S. Thomas complectitur sub nomine Justitiae originalis. Ultimus denique status est *naturae lapsae*, et corruptae

per Adami peccatum, per Christum autem *reparatae*: atque hic status datur hodie; est enim homo ordinatus quidem ad beatitudinem supernaturalem: quoniam autem peccavit Adamus, non tantum ipse donum illud integritatis et innocentiae amisit, sed propter illud ipsum peccatum, quod in Adamo morali posterorum omnium capite commisimus, his privilegiis spoliati nascimur. Reparavit autem hunc statum Christus, per cujus merita liberamur a noxa peccati originalis, caeterisque personalibus, et restituimur gratiae sanctificanti, ac primaevo illi juri ad aeternam felicitatem; ita tamen, ut non omnia per peccatum Adami inflicta vulnera sanentur, sed omnes fere poenalitates in nobis remaneant ad exercitium virtutis.

CDLXVII. Quaeritur modo, an status naturae purae fuerit possibilis? Nunquam enim extitisse, aut extiturum esse, apud omnes in comperto est. Quaestio haec sic proposita tria involvit, quae in controversiam cadunt. I. An Deus potuerit hominem creare, quin per gratiam santificantem eumdem elevaret ad finem supernaturalem. II. An homo innocens potuerit a Deo creari cum aliqua rebellione concupiscentiae. III. An obnoxius morti, morbis ac doloribus. Sive ut paucis rem conplectamur, an Deus salva justitia, bonitate, providentia, aliisque divinus suis perfectionibus potuerit hominem creare innocentem, et tamen obnoxium morti, doloribus, morbis, concupiscentiae motibus, quin illum umquam admitteret ad visionem beatificam, seu intuitivam? Possibilitatem hujus status admittunt Catholici; Novatores illam negant, contenduntque, elevationem hominis per gratiam sanctificantem ad eam felicitatem, ad quam modo est ordinatus a Deo, cae-

teraque dona justitiae originalis fuisse homini innocenti naturalia : ac proin hominem sine illis donis procreari a Deo non potuisse.

CDLXVIII. *Lutherus* in Cap. III. Genes. de originali justitia primi hominis scribit : *Quare statuamus justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum a natura hominis ; sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Et infra : *Porro haec probant, originalem justitiam esse de natura hominis ; ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant.* Calvinus Lib. I. Institut. Cap. XV. repugnantiam status naturae purae, in quo primitus homo conderetur sine originali justitia, unice repetere videtur ex justitia, bonitate, ac providentia Dei. Atque hinc tria colligunt Novatores, I. Hominem per peccatum in donis naturalibus laesum fuisse, libero in primis arbitrio, cujus non nisi vanum in nobis relictum est nomen. II. Luctam illam carnis ac spiritus, quam vel ipsi Sancti experiuntur, verum ac proprium esse peccatum. III. Hominem non potuisse talem initio creari, qualis nunc nascitur ; quia videlicet semper ac necessario ex ipsa sui institutione peccasset : unde sequeretur ejus peccata in Deum naturae authorem esse refundenda.

CDLXIX. Huic Novatorum doctrinae subscripsit *Michael Bajus* Doctor Lovaniensis, Melini in Territorio Athensi apud Belgas natus A. 1513. vir praefidentis ingenii, suique immodicus aestimator, adeo ut Ruardus Tapperus vir antiqui moris atque excellentis doctrinae, quo Magistro utebatur Bajus in Theologia,

dicere solitus fuerit, se ab illo Juvene nil nisi Schisma expectare. Institutus jam Regius Professor Sacrarum Litterarum a Carolo V, nova cum Hesselio, qui Joannes a Lovanio dicebatur, disseminare coepit dogmata, non sine animorum aestu ac tumultu, quae a Sacra Facultate Parisiensi censura notata fuerunt. Anni 1563. initio a Philippo II. Hispaniarum Rege Tridentum ad Concilium cum Hesselio Collega suo missus est, judicante Commendono Cardinale id expedire, ut illic a novitatibus uterque deterreretur. Bajus doctrina sua multos e Tridentinis Patribus ita offensos deprehendit, ut, nisi Martinus Rithovius Iprensium Episcopus obstitisset, Patresque Concilio, quod jam XVIII. annis duraverat, finem aliquando imponere properassent, Baji doctrina a Concilii Patribus damnata fuisset, ut Morillonius testatur in Epistola ad Granvellanum Cardinalem. Lovanium e Concilio redux opuscula quaedam typis vulgavit, ex quibus propositiones quasdam excerptas apud Pontificem Maximum denuntiarunt tum Minoritae, tum Lovanienses etiam Theologi. *S. Pius V.* A. 1567. data solemni Constitutione, tacito tamen Baji nomine ad preces Cardinalis Granvellani, propositiones numero LXXIX. damnavit in globo *tamquam haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes.* Quae constitutio jussu Pii V. a Maximiliano Morillonio, Granvellani Cardinalis et Archiepiscopi Mechliniensis Vicario Generali, coram Facultate Theologica Lovaniensi promulgata fuit, Doctoribus Bullae obsequentissimos se fore promittentibus.

CDLXX. Bajus A. 1569. die VIII. Januarii, ut censurae Pontificiae se subduceret, ad Pium V. litteras dedit, quibus exposuit, se nullum Bullae transumptum

neque Romae neque Lovanii obtinere potuisse: misit praeterea doctrinae suae apologiam, in qua contendebat, ex sententiis damnatis plurimas sibi falso imputari, aliquas vero ad mentem S. Augustini veras esse: Tum demum Pontificem rogat, ut perlecta attentius apologia cogitet, utrum Bullam ut legitimam et sufficienter discussam haberi vellet, an tamquam subreptitiam rescindere. Bajo rescripsit S. Pius V. die XIII. Maji ejusdem anni: *Quae super hoc ipso jam decreveramus, nisi antea a nobis decreta fuissent, eadem, prout facimus, de integro decernenda statuendaque esse judicavimus. Itaque tibi, et caeteris praedictarum propositionum assertoribus ac defensoribus pro earum assertione perpetuum silentium imponimus.* Deinde eum serio admonet, ut Apostolicae Constitutioni quantocius se submittat. Bajus a Morillonio interpellatus, num damnatas propositiones ejurare vellet, post longam tergiversationem respondit tandem, paratum se esse absolute parere, flexoque genu, ejurataque doctrina, a censuris quas incurrisse dicebatur, absolutus est: nullum tamen obtinuit tunc Bullae transumptum, quod Pontifex rem istam silentium sopiri cuperet, omnemque tumultum caveret. A. 1570 jussu Synodi Provincialis Mechliniensis, Bullam Pii V, quam coram Theologica tantum Facultate legerat, ritu solemni in scholis publicis Lovaniensibus promulgavit Morillonius, omnibus consentientibus, ac Bullae se subjicientibus.

CDLXXI. Cum vero *Gregorius XIII.* intellexisset Bajanos errores a Pio V. Praedecessore suo damnatos ab aliquibus Lovanii pertinaciter defendi, spe fretis, Pianam constitutionem aliquando revocandam fore, praefatam Pii V. Bullam sua authoritate confirmavit, damna-

tosque in illa errores iterato proscripsit Anno 1579. misso Lovanium *Francisco Toleto* Pontificio tunc Theologo et Concionatore, postea S. R. E. Cardinale, qui Bullam promulgaret. Promulgata ea fuit in frequentissimo totius Academiae consessu clara et intelligibili voce per Conradum Sylvium Universitatis Notarium A. 1580. Mense Martio, dictumque ab omnibus Doctoribus et Studiosis fuit consona voce: *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.* Bajus scripto publico dato die XXIV. Martii A. 1580. ac propria manu subscripto agnovit ac declaravit, *se plene persuasum habere, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque ac non nisi maturo judicio, ac diligentissima discussione praemissis, factam atque decretam esse. Fateri insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis a se olim et ante emanatam Sedis Apostolicae super eis censuram conscriptis, et in lucem editis contineri et defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique se in praesentiarum ab iis omnibus recedere, et damnationi a Sancta Sede factae acquiescere, neque posthac ullam earum docere, aut defendere velle.* Anno 1585. Facultas Theologica Lovaniensis, urgente *Joanne Bonhomio* Episcopo Vercellensi, et per utramque Germaniam Nuntio Apostolico, jussa est non solum a damnatis articulis abstineri, sed etiam sententias singulis quoad doctrinam contradictorias definire, quarum indicem contexuit Lensaeus, caeterique Doctores una cum Bajo probaverunt.

CDLXXII. Propositiones *Baji* a Pontificibus damnatae, quae de elevatione hominis agunt, sunt istae XXI. *Humanae naturae sublimatio et exaltatio, in consortium divinae naturae, debita fuit integritati pri-*

mae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. XXIII. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.* XXIV. *A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est; hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.* XXVI. *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* LXXIX. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.*

CDLXXIII. Bajo demortuo Anno 1589. die XVI. Septembris, non defuere Discipuli, qui Magistri doctrinam renovarent. Hos inter praecipue numerandus est Jacobus Janssonius Amstelodamus Batavus, quem constat Baji alumnum fuisse prae caeteris longe charissimum. Huic discipulus obtigit Cornelius Jansenius Leerdamensis Batavus, cui Baji, dogmatumque ejus amorem et venerationem facile instillavit adeo, ut in Augustino suo nil nisi Bajum spiret. Tomo II. Editionis Lovaniensis, columna 797. insuperhabitis Pii V. et Gregorii XIII. Constitutionibus, ausus est scribere Jansenius: *Beatitudo supernaturalis, et regnum coelorum non potest a creatura rationali innocente separari sine injustitia.* Gabriel Gerberonius Janseniano furore percitus, novam Baji librorum editionem adornavit, virulentis additis vindiciis, quibus in Pium V. Gregorium XIII. et Urbanum VIII. intolerabili petulantia debacchatur.

Paschasius Quesnellus, post Antonii Arnaldi mortem Jansenianae factionis caput, Bajanam hac in quaestione doctrinam expressit propositione XXXV. inter damnatas a Clemente XI. in Constitutione Unigenitus, quae sic habet: *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.*

CDLXXIV. *Conclusio.* Homo potuit a Deo creari, quin per gratiam sanctificantem elevaretur ad finem supernaturalem. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ad Rom. Cap. VI. ait Apostolus: *Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro.* Ergo vita aeterna, seu exaltatio hominis ad amicitiam divinam, et visionem intuitivam Dei, naturaliter eidem non debetur, sed est gratia quae omne debitum excludit, et gratuito confertur. Certe nomen *gratiae* simpliciter prolatum in Scripturis regulariter denotat gratiam stricte sumptam; alias contra Pelagianos probari amplius solide non posset, gratiam stricte dictam necessariam esse ad actus salutares. Neque officit Conclusioni nostrae, quod vita aeterna vocetur in Scripturis *corona justitiae*; Deus enim bene operantibus tenetur illam vel ex justitia, vel ex fidelitate reddere consequenter ad gratuitam promissionem, quae si non existeret, Deus ex nullo titulo teneretur illam hominibus largiri.

CDLXXV. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XVI. scribit de Angelis: *Sanctificatio non est absque Spiritu: non enim natura sanctae sunt coelorum virtutes, sed juxta proportionem eminentiae inter ipsas sanctificationis mensuram a Spiritu Sancto habent.* Ergo multo minus homo natura sua gratiam sanctificantem habuit. S. Augustinus Lib. II. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap.

VI. ait: *Dei gratia non solum omnia sidera et omnes coelos, verum etiam omnes Angelos supergreditur.* Ergo non potuit esse debita Adamo, sive ex parte Dei conditoris, sive ex parte hominis conditi, sed ex mera liberalitate Dei manavit. Haec duo enim verba *res indebita*, et *gratia* apud Augustinum expressione vocis dumtaxat discrepant, sed tamen unum idemque penitus sonant. Hinc Lib. de Gestis Pelagii, Cap. XIV. *Ipsum*, inquit *gratiae nomen, et ejus nominis intellectus auferetur, si non gratis datur. - - - Si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, debitum redditur.* Et rursus Lib. de Gratia Christi, Cap. XXIII. *Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur?* S. Cyrillus Alexandrinus Lib. I. in Joannem, Cap. IX. *Participatione luminis splendet super naturam suam glorificantis Dei gratia, et variis donorum ornamentis ascendens. - - - Misericors enim Dominus est, qui creaturam parvam atque abjectam secundum naturam, magnam atque mirabilem sua efficit bonitate.* Et Cap. XIII. *Creatura cum serva sit, nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur, non debito naturae.*

CDLXXVI. Prob. III. Authoritate Pontificum Romanorum. *S. Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Clementis XI*, qui errores Baji, Jansenii, Quesnelli damnarunt. Prob. IV. Argumento negativo. Adversarii nulla solida ratione probare possunt, ut ex solutione objectionum patebit, Deum non potuisse homini quamtumvis innocenti visionem intuitivam ac supernaturalem illam felicitatem denegare. Ergo frustra negant ejus rei possibilitatem.

OBJECTIONES.

CDLXXVII. *Objicitur I.* Authoritas *S. Augustini*, qui Pelagianis ostendit, parvulos sine baptismo decedentes excludi non posse a regno coelorum, seu visione Dei, nisi essent peccato originali infecti; ait enim Lib. III. contra Julianum, Cap. XII. *Quare nihil male merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? -- Qua justitia, quaeso, a regno Dei, a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei?* II. Idem Sermone CCXCIV. alias XIV. de verb. Apost. scribit, inauditum esse in Ecclesia, et a mente fidelium extirpandum errorem eorum, qui statuunt vitam beatam praeter regnum coelorum. Ergo Augustinus judicavit non dari aliam beatitudinem, quam visionem intuitivam Dei eamque naturae rationali innocenti deberi. R. C. A. N. C Augustinus utroque loco non loquitur de possibilitate aut impossibilitate status naturae purae, sed de parvulis in statu naturae elevatae: quo supposito, merito scribit Augustinus parvulos sine injustitia excludi non posse a visione beatifica absque eorum demerito; et contra Pelagianos concludit dari peccatum originis, ac commentitiam proin esse beatitudinem, quam illi parvulis extra coelum pollicebantur.

CDLXXVIII. *Objicitur II.* Providentia Dei. Deus pro omni statu naturae humanae debet esse providus illius Gubernator. Ergo hominem necessario elevavit ad finem supernaturalem. P. C. si Deus hominem non ordinasset ad finem supernaturalem, non ordinasset illum ad beatitudinem. Atqui Deus non potuit homi-

nem non ordinare ad beatitudinem; alias homo non habuisset medium practice sufficiens ad sectandam virtutem, et vitia fugienda. Ergo Deus non potuit hominem non ordinare ad finem supernaturalem. P. M. Sola Dei visio intuitiva est vera ac perfecta hominis beatitudo, in qua sola conquiescit et satiatur hominis desiderium, juxta illud Augustini Lib. I. Confessionum, Cap. I. *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. vel D. M. Non ordinasset illum ad beatitudinem supernaturalem et omnino indebitam, C. M. Ad beatitudinem naturalem. N. M. Et sic dist. minore, N. C. Deus tamquam providus naturae humanae gubernator non ad supernaturalem, quae omnino indebita erat, sed ad naturalem tantum beatitudinem ordinare hominem tenebatur, quam ille post vitam innocenter transactam, tempore a Deo statuto consecutus fuisset. Haec vero naturalis beatitudo nihil aliud foret, quam cognitio Dei abstractiva, in suo genere clara et perfecta ac numquam interitura, ex qua consurgeret amor Dei naturalis pariter in suo genere perfectus, cum immunitate a peccatis, ab omni dolore et tristitia, conjunctus cum plena certitudine felicitatis hujus numquam turbandae. Ad hujus *probat.* D. A. Est beatitudo supernaturalis, atque in praesenti statu, C. A. Naturalis, ac pro omni statu possibili, N. A. et Conseq.

CDLXXIX. *Dices I.* Si status naturae purae foret possibilis, homo beatitudinem suam etiam mere naturalem tantum non posset consequi. Ergo natura humana foret pessime constituta. P. A. Beatitudo non potest obtineri nisi per actus bonos et meritorios. Atqui in statu naturae purae nulli darentur actus boni et meri-

torii. Ergo. P. m. Non potest dari actus bonus et meritorius sine gratia. Sed in statu naturae purae non daretur gratia. Ergo in stat naturae purae non darentur actus boni et meritorii. Ergo vel implicat status naturae purae qui gratiam excludit; vel obtineri ab homine non posset beatitudo naturalis. R. N. A. Ad *probat.* C. M. N. m. Ad hujus *probat.* D. M. Non potest dari actus supernaturalis et meritorius praemii supernaturalis sine gratia, C. M. Praemii mere naturalis, subdist. Sine gratia ordinis supernaturalis, N. M. Sine gratia ordinis tantum naturalis, C. M. Et sic dist. minore, N. C. In statu naturae purae nulla darentur hominis merita supernaturalia, sed mere tantum naturalia; quia illa non elicerentur viribus gratiae, sed viribus liberi arbitrii in illo statu non depravati, quin influeret charitas supernaturalis, aut aliud ejusmodi principium. Porro in statu etiam naturae purae Deus contulisset gratias naturalis ordinis, necessarias et sufficientes; quia voluntas etiam in illo statu amare non potuisset honestum qua honestum, nisi per cognitionem actualem repraesentaretur ut honestum: qua cognitione praelucente potuisset pro sua libertate bonum illud honestum amare aut repudiare. Haec tamen auxilia fuissent ordinis tantum naturalis, quia Deus ea in nobis produxisset per concursum generalem, ut author naturae rationalis; fussentque gratia in sensu latiore, prout nempe gratia dicit quodcumque donum Dei gratis collatum. Quod si Deus in statu naturae purae contulisset aliqua auxilia, non mere sufficientia, sed efficacia; talia auxilia, etsi ordinis tantum naturalis, fuissent favor specialis, quia Deus etiam ut author naturae potuisset illa negare cuilibet homini in particulari.

CDLXXX. *Dices II.* In quocumque siatu sit homo, debet esse capax remissionis peccatorum; secus in desperationem actus, omnibus flagitiis se inquinaret. Sed in statu naturae purae dari non potuisset remissio peccatorum. Ergo. P. m. Remissio peccatorum obtineri non potest sine influxu gratiae sanctificantis. Sed in statu naturae purae numquam infusa fuisset gratia sanctificans. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. M. Remissio peccatorum obtineri non potest sine infusione gratiae sanctificantis in hac providentia, C. M. Etiam in alia providentia, N. M. In statu naturae purae remissio peccatorum obtineri potuisset vel per condonationem mere extrinsecam, vel per infusionem doni alicujus naturalis.

CDLXXXI. *Objicitur III.* Natura beatitudinis. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo non est possibilis status naturae purae. P. C. Vel homo in statu naturae purae sciret visionem Dei intuitivam esse possibilem, vel id ignoraret. Si primum; eam efficaciter desideraret: si secundum; tunc beatus esset ob errorem et ignorantiam. Ergo. R. Hominem probabilius cognitionem beatitudinis supernaturalis habiturum non esse: neque tamen idcirco mancam, ac positive imperfectam fore hominis beatitudinem, eoquod ille cognitione careret sibi prorsus indebita. Quod si etiam visionis intuitivae cognitionem haberet, neutiquam tamen idcirco turbaretur; quia cognito divinae voluntatis decreto eam nemini concedendi, homo facile acquiesceret, neque efficaciter illam appeteret: sicut Beati in coelis cum Christo regnantes non appetunt Unionem hypostaticam.

CDLXXXII. *Objicitur IV.* Appetitus naturalis. Illud bonum naturaliter homini debetur, quod ille na-

turaliter appetit. Atqui homo naturaliter appetit visionem beatificam. Ergo visio beatifica naturaliter homini debetur. P. m. *S. Thomas* Lib. III. contra Gentes, Cap. L. et I. Parte, Quaest. XII. Artic. I. docet inesse homini naturalem appetitum videndi Deum. R. D. M. Quod homo naturaliter appetit appetitu innato, C. M. Appetitu elicito, N. M. Et D. m. Atqui homo naturaliter appetit visionem beatificam appetitu innato, N. m. Elicito appetitu, et quidem supposita fide ac gratuita promissione Dei, C. m. Appetitus innatus est propensio vel ordinatio rei in bonum sibi naturaliter debitum, nulla praesupposita cognitione illius rei quae appetitur. Appetitus elicitus est actus voluntatis, quo homo fertur in bonum cognitum, sive hoc naturaliter debeatur, seu non debeatur. Appetitus innatus semper efficax est et absolutus; atque ideo homo necessario quaerit beatitudinem in genere, nec vult, nec potest velle esse miser: contra appetitus elicitus potest esse conditionatus et inefficax, potestque ferri quandoque in bonum chimaericum et impossibile, ut patet v. g. ex eorum Principum Ethnicorum superbia, qui inter Deos referri, ac pro Diis haberi voluerunt. Jam vero homo appetitu innato appetit beatitudinem in genere, atque eam efficaciter ac necessario desiderat; beatificam autem visionem non nisi appetitu elicito inefficaci ac conditionato appetere potest, praescindendo a notitia per fidem supernaturalem hausta, dicendo nempe, *vellem, si fieri posset, frui visione beatifica.* Rem hanc explicat S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XLIX. Quaest. I. Art. III. his verbis: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitu-*

dinem talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare. Ad *probat.* R. Appetitum illum videndi Deum a S. Thoma *naturalem* appellari, non quod per solas vires naturales eliciatur; sed quia supposita fidei notitia supernaturali, quae visionis beatificae et praestantiam et possibilitatem detegit, natura hominem efficaciter stimulat ad talem appetitum per vires gratiae eliciendum, cum sit actus spei Theologicae.

CDLXXXIII. *Objicitur V.* Necessitas amoris Dei. Homo in quocumque naturae statu fuerit, indispensabiliter tenetur diligere Deum. Atqui sine gratia Deum diligere non potest. Ergo in quolibet statu indiget gratia. Ergo status purae naturae est impossibilis. P. m. S. Augustinus ad amorem Dei super omnia sexcenties docuit necessariam esse Dei gratiam; hicque capitalis fuit error Pelagii, quod assereret, solis naturae viribus Deum super omnia amari posse. R. D. M. Tenetur diligere Deum dilectione vel naturali vel supernaturali, C. M. Dilectione supernaturali, subdist. In hac providentia, C. In statu naturae purae: N. M. Et D. m. Atqui sine gratia Deum diligere non potest super omnia dilectione supernaturali, C. m. Dilectione naturali, N. m. In statu naturae purae homo teneretur Deum amare amore naturali tantum, ad quem non supernaturalis gratia, sed naturale dumtaxat auxilium sufficeret. Ad *probat.* R. S. Augustinum loqui de amore Dei supernaturali in praesenti statu elevationis, et Pelagium in eo errasse, quod vellet amorem Dei supernaturalem, filialem et amicabilem, ad quem tenemur in hoc statu naturae elevatae haberi posse solis naturae viribus.

At vero in statu naturae purae longe alius esset amor hominis erga Deum, nimirum mere naturalis; benevolus quidem, at non amicabilis aut filialis.

CDLXXXIV. *Dices I.* Dei amor naturalis fictitius est et impossibilis. Ergo. P. A. S. Augustinus pluribus in locis docet, omnem amorem creaturae rationalis esse charitatem vel cupiditatem. Ergo Augustinus judicavit amorem mere naturalem erga Deum locum non habere in creaturis. R. N. A. Praeterquam enim, quod haec implicantia ab adversariis non possit ostendi, Pius V. et Gregorius XIII. damnarunt has Baji propositiones XXXIV. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Author naturae et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendam sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.* XXXVI. *Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex solâ Philosophia, per elevationem praesumptionis humanae, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* Ad *probat.* R. S. Augustinus nomine *charitatis* non intelligit amorem Dei super omnia propter se dilecti, sed charitatem late sumptam, quae complectitur amorem omnium virtutum moralium, seu bonam voluntatem et amorem boni, prout hic quemcumque affectum honestum significat: cupiditas ex S. Augustino quemlibet affectum inhonestum denotat; adeoque in hac latissima usurpatione ex omnibus affectibus qui ad mores pertinent, nullus est medius affectus inter charitatem et cupiditatem. Omnis enim ordinatus amor superioris boni charitas est apud S. Augustinum: et a contrario omnis amor inordinatus boni inferioris a S. Doctore cupiditas dicitur. Verum hac de re ube-

rior redibit sermo Tract. V. Num. CCCLIII. Porro cum S. Doctor asserit amorem justitiae inspirari atque indi per Spiritum Sanctum, non de quolibet amore loquitur, sed de dilectione supernaturali, ad vitam aeternam conducente.

CDLXXXV. *Dices II.* Explicari non potest, in quo amor ille naturalis differat a supernaturali. Ergo amor ille naturalis commentitius est. R. N. A. Amor supernaturalis triplici ex capite differt a naturali. Ac I. quidem ex parte principii necessarii et concurrentis; quia ad amorem Dei supernaturalem requiritur gratia actualis supernaturalis, qua adjutus homo cognoscit Deum ut authorem supernaturalium. Contra ad amorem Dei naturalem sufficit cognitio ordinis mere naturalis; neque ad illum requiritur habitus charitatis infusae, vel omnipotentia Dei specialiter praeparata. II. Ratione modi tendendi. Amor supernaturalis, quo Deus propter se super omnia diligitur, est amor amicitiae, quo bene volumus Deo tamquam intimo amico ac Patri, qui nos per gratiam in filios adoptavit. Amor naturalis non est amor amicitiae, sed solius benevolentiae, qualem habere potest servus ad Dominum. III. Ratione objecti indirecti; quia amor supernaturalis includit propositum efficax servandi omnia mandata Dei etiam supernaturalia: amor vero naturalis includeret tantum efficax propositum servandi totam legem naturalem, quae sola pro illo statu daretur.

CDLXXXVI. *Dices III.* Homo in statu naturae purae non haberet bonam voluntatem. Ergo non posset amore naturali justitiam sive Deum prosequi. P. A. Bona voluntas esse non potest sine gratia supernaturali, ut scribit *S. Augustinus* Lib. de Gratia Christi, Cap.

XXI. *Quasi vere aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et a Patre datam, ut filii ejus essemus.* Atqui in statu naturae purae non datur gratia supernaturalis. Ergo. R. D. A. Non haberet bonam voluntatem bonitate supernaturali, C. A. Bonitate morali ac naturali, N. A. et Conseq. Homo in statu naturae purae voluntatem haberet a peccato liberam, ideoque voluntas hominis foret naturaliter bona et honesta, possetque diligere justitiam naturalis ordinis, et Deum tamquam fontem omnis virtutis moralis, non vero tamquam fontem justificationis. Ad *probat.* eadem est responsio. Voluntas potest esse bona bonitate morali et naturali absque gratia supernaturali: at bona esse non potest bonitate supernaturali sine gratia supernaturali: atque de hac tantum bonitate agit l. c. S. Augustinus contra Pelagianos.

CDLXXXVII. *Dices IV.* Si homo in statu naturae purae posset justitiam naturalem diligere absque gratia, posset a se ipso fieri melior. Atqui hoc fieri nequit. P. m. S. Augustinus Lib. XII. de Civit. Dei, Cap. XXIX. docet, Angelos bona voluntate a divina gratia factos esse, nec meliores a se ipsis fieri potuisse. R. D. M. Posset absque gratia supernaturali a se ipso fieri melior in ordine supernaturali, N. M. posset absque gratia supernaturali a se ipso fieri melior in ordine naturali, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad *probat.* C. A. N. C. S. Augustinus loquitur de Angelis, qui non in statu naturae purae, sed elevatae conditi fuerunt, in quo proinde necessarium erat auxilium gratiae supernaturalis.

CDLXXXVIII. *Objicitur VI.* Infirmitas probationis ex damnatione Propositionum Baji petitae. *Gabriel*

Vasquius, de partium studio minime suspectus, testatur in I. II. S. Thomae Disp. CXC. Cap. XVIII. Num. CLXXVI. aliquas Baji propositiones non ob doctrinam, sed ob acrem censuram, qua nonnullorum Catholicorum sententiam perstringebat, fuisse damnatas, idque ipsum asseruisse sibi *Franciscum Toletum*, qui in Bajana causa a Gregorio XIII. Lovanium missus fuerat. Ergo ex damnatis Baji propositionibus evinci non potest, Deum creare potuisse hominem, quin illum per gratiam sanctificantem elevaret ad finem supernaturalem. R. C. A. N. C. Propositio Baji XXIII. et XXIV. censuram aliquam continet; at vero in XXI. XXVI. LXXIX., quibus eadem prorsus doctrina traditur, nullum omnino censurae alicujus vestigium apparet. Ergo illae damnatae fuerunt ob doctrinam, non ob censuram. Idem omnino dicendum est de propositione XXXV. Quesnelli a Clemente XI. damnata.

CDLXXIX. *Dices I. Pius V.* et *Gregorius XIII.* non damnarunt omnes propositiones Baji in rigore ac proprio verborum sensu a Bajo intento, sed prout ab aliis in sensu improprio exponi poterant. Ergo ex Bulla Piana nihil probatur. P. A. Post recensitas Baji propositiones subjungit Pontifex; *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae sustineri possent in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas etc. damnamus.* Ita ut post verba illa *sustineri possent*, nulla fuerit collocata virgula seu comma. Ergo aliquae illarum propositionum possunt sustineri in rigore, ac proprio verborum sensu a Bajo intento. R. N. A, quo nihil absurdius, aut Pontificibus injuriosius excogitari potest. Nam I. Pontifex

sine manifesta praevaricationis nota non potest sententias Theologicas in proprio sensu veras proscribere, et consequenter earum contradictorias in proprio sensu falsas approbare, atque definire. II. Tali pacto Pontifex posset etiam v. g. Epistolas Apostolicas condemnare; non quod in sensu proprio haeresin aut errorem contineant, sed quia haeretici eas prave interpretantur. III. Constans Ecclesiae praxis est, ut, quando propositiones aliquas condemnat, eas in se ipsis absolute non consideret, sed relative ad mentem authoris, et sensum libri; quia saepe absolute in se ipsis spectatae nullam videntur mereri censuram, sed tantum respective ad mentem et sensum authoris. IV. ipse Bajus semel coram Morillonio; atque iterum coram Toleto agnovit, propositiones damnatas suas esse, seque censurae subjecit. Ad *probat.* N. A. Et transmisso etiam antecedente, N. C. Etiamsi ex incuria Scribae Romani post illa verba, *sustineri possent*, omissa fuisset virgula seu comma, sufficienter tamen ex iis quae paulo ante diximus, constat de mente Pontificis, atque ex ipso contextu manifeste colligitur, post verba illa *sustineri possent*, virgulam deberi poni. Dicitur enim: *Quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas etc. respective damnamus.* Jam vero si verba illa, *in rigore ac proprio etc.* Ad priorem constructionem *quamquam nonnullae* pertinerent, non diceretur *aliquo pacto*, sed *omni pacto* sustineri, aut omnino omitti debuissent. Quis enim umquam citra risum audivit dici, propositiones aliquas sustineri posse aliquo pacto in proprio earum sensu? Profecto sustineri in sensu proprio, non est aliquo tantum pacto sustineri.

CDXC. *Dices II.* Jansenius Lib. IV. de Statu naturae lapsae, Cap. XXVII. haec habet: *Jacobus Jansonius palam contestatus est, Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis, qui distinctionem ponerent inter illa verba*, sustineri possent, *et* in proprio verborum sensu. *Nullius enim distinctionis in originali Bulla, quam tenebat manibus, et legebat, vestigium esse asserebat. Et revera nullum esse distinctionis vestigium ego ipse saepe meis oculis vidi.* II. Petrus Cuneri: adversarius Baji, in Opusculo ad Pontificii diplomatis defensionem A. 1571. elaborato, verba Bullae ita refert: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam earum nonnullae aliquo pacto in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent, tamquam erroneas tamen et haereticas etc. damnamus et abolemus.* III. In decreto Sacrae Facultatis Lovaniensis circa Bullam S. Pii V. a Morillonio intimatam die XXIX Decembris A. 1567. dicitur: *Comparuit Maximilianus Morillonus, -- qui exposuit se accepisse Bullas Apostolicas - - quibus certae sententiae - - damnantur respective tamquam erroneae, - - - quamquam earum nonnullae aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* IV. Urbanus VIII. A. 1643. rursus eamdem Bullam Romae imprimi jussit, in qua pariter famosum illud comma post ea verba, *sustineri possent*, desideratur. Ergo etiam in Bulla Piana post verba illa nulla fuit posita virgula.

CDXCI. Resp. ad I. C. A. N. C. Bulla, de qua testatur Jansenius, erat exemplar manuscriptum Roma missum ad Michaelem Bajum, in quo nec comma illud, nec aliqua alia interpunctio notabatur. Moris est

enim in Romana Curia, cum aliquid manu describitur, omnes interpunctionum notas omittere. Ergo ex illo manuscripto exemplari nihil evincitur. Ad II. N. A, Inter edita Petri Cuneri Opera non reperiuntur citata verba, sed a mendacissimo Bajanorum Operem editore Gabriele Gerberonio, solita Jansenistarum fraude, conficta fuere. Ad III. N. C. Quamvis forsitan eo tempore aliqui Doctores Lovanienses Bajo addicti in ea fuerint opinione, aliquas sententias ex damnatis in proprio verborum sensu a Bajo intento posse defendi, idque Morillonius dissimulandum esse censuerit, ut rem citius perficeret, utque lenito vulnere facilius Bajum induceret ad acquiescendum; certum tamen est, Bajum et Academiam Lovaniensem ab hac sententia recessisse, cum Franciscus Toletus Anno 1580. Bullam Gregorii XIII. Lovanii promulgavit. Ipse enim Bajus falsus est, plurimas sententias etiam in eo sensu, in quo a Pontifice reprobantur, in libellis a se editis defendi: et Academia sententias singulis Bajanis quoad doctrinam contradictorias definivit A. 1585. Ad IV. R. Comma illud tanti momenti Typographi incuria omissum fuisse; sed in altera editione Romana, jussu Urbani VIII. errorem emendatum esse. Cum enim Sinnichius et Papius, Doctores Lovanienses, apud Pontificem quererentur, Bullam illam in Belgio vitiatam fuisse, eoquod in exemplaribus illic impressis restitutum fuerit comma illud in Editione Romana omissum; jussit Urbanus ut ex Archivio generalis Inquisitionis, et ex matrice Actorum, quae in eodem Archivio conservantur, extraheretur exemplar Bullae praedictae, atque cum eo commate, prout in Archivio Congregationis Sancti Officii continetur, denuo imprimatur, impressumque exemplar

consignari mandavit Sinnichio et Papio, cum Apostolico mandato, ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur. Vide, quae de Janseniana hac cavillatione circa famosum illud comma scripserunt *Theodorus Eleutherius*, seu *Livinus de Meyer* in Hist. Controversiarum de Auxiliis Divinae Gratiae, Lib. VI. Cap. XXV. *Tournely* de Gratia Christi, Parte I. *Dominicus Viva* in Trutina ad propositionem XXXI. inter damnatas ab Alexandro VIII.

CDXCII. *Dices. III.* Condemnatio propositionum Baji, et Quesnelli, a Pontificibus facta, est omnino inutilis, contra morem Ecclesiae, et fidelibus noxia. Ergo nullius est roboris. P. A. Propositiones illae damnatae fuerunt in cumulo, seu in globo ut vocant, nulla ipsis assignata specialis censurae nota, ita ut dignosci nequeat, quodnam sit uniuscujusque propositionis singulare vitium; an nimirum haec determinata propositio sit haeretica, aut tantum temeraria; vel piarum aurium offensiva. Atqui hic modus damnandi est inutilis, contra morem Ecclesiae, ac fidelibus noxius. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. M. N. m. Modus propositiones acervatim seu in globo damnandi, non a recentioribus Pontificibus Pio V, Gregorio XIII. ac Clemente XI. in Ecclesiam invectus est, sed diu ante in Ecclesia erat usitatus. Sic *Joannes* XXII. A. 1317. in Bulla sua contra Fraticellos edita definivit, aliquas eorum opiniones esse haereticas, alias insensatas, alias fabulosas. Facultas Theologica Parisiensis A. 1347. quadraginta malae doctrinae articulos damnavit in globo tamquam erroneos, suspectos, male sonantes in fide. A. 1382. Facultas Theologica Oxoniensis in Anglia Articulos Wickleffi, et Concilium Constantiense Sess. VIII.

ejusdem Wickleffi articulos XLV. Sessione vero XV. articulos XXX. Joannis Hus in globo ac generatim damnavit, nulla ipsis singillatim inusta censurae nota. Modum hunc ferendae generalis censurae, velut communem et ordinarium, adversus libros et propositiones ex iis extractas secuti sunt *Sixtus* IV. A. 1478. contra Petrum de Osma, Leo X. A. 1520. contra Lutherum, *Alexander* VII. A. 1665. et A. 1666. atque *Innocentius XI.* A. 1679. contra laxas aliquorum Theologorum opiniones. Idem *Innocentius XI.* A. 1688. contra Michaelem Molinosium, *Alexander VIII.* A. 1690. contra Jansenianos quosdam Doctores, atque *Innocentius XII.* A. 1699. contra librum, cui titulus: *Placita Sanctorum.* Neque ullus umquam modum hunc propositiones noxias proscribendi damnavit, praeter manifestos haereticos, aut de haeresi vehementer suspectos, nimirum Marcum Anton. de Dominis, Paulum Sarpium in falsa ac mendaci Hist. Conc. Tridentini, Franciscum Le Courayer, Quesnellum, aliosque Jansenianos, qui non tam dolent a Romanis Pontificibus propositiones singulas determinata censura non fuisse confixas, quam easdem simpliciter fuisse reprobatas. Si enim illi determinatas fixasque amant censuras, cur quinque propositiones Jansenii non rejiciunt, de quibus certam, perspicuam ac determinatam censuram tulit *Innocentius X?* Utilitatem quod attinet, quae ex damnatione noxiarum propositionum in fideles redundat, ea certe maxima est; genuini enim Ecclesiae filii facile agnoscunt, doctrinas illas, quamtumvis in globo damnatas perniciosas esse in docendo, periculosas in credendo ac sequendo; admonenturque illas sollicite devitare, velut profanas novitates. Sufficit profecto pro Fidelium instructione, modo

sciatur hanc vel illam doctrinam esse malam, quamvis species ac gravitas erroris, malitiae, aut periculi in qualibet parte illius doctrinae contenti non cognoscatur. Ut enim *Sfortia Card. Pallavicinus* observat Lib. I. Hist. Conc. Tridentini, Cap. XXI. ut quis ex urbe pellatur, necessarium non est, eum declarari hostem publicum, aut peste evidenter infectum; sed sufficit eum de prava machinatione aut contagioso morbo graviter esse suspectum. Pari modo ut quis a venenato fructu abstinendum sibi esse decernat, sufficit si cibum illum veneno infectum esse resciat, quamvis veneni in eo latentis speciem ignoret. Vide Instructionem Pastoralem Illustrissimi *Archiepiscopi Parisini* A. 1756. Num. CXXXI.

CONTROVERSIA VII.

AN DEUS POTUERIT HOMINEM INNOCENTEM CONDERE, MORBIS, MORTI, ALIISQUE VITAE MISERIIS OBNOXIUM?

Contra Bajanos et Jansenianos.

CDXCIII.

Certum ac Catholicis omnibus exploratum est, ut Num. LIII. ostendimus, primum hominem a Deo ita conditum fuisse, ut moriturus numquam, aut hujus vitae miseriis obnoxius fuisset, si peccatum numquam perpetrasset. In praesenti itaque Controversia non quaeritur, quid factum fuerit, sed quid fieri potuerit: an

nimirum Deus in alia providentia, salvis Bonitatis, Justitiae, aliarumque suarum perfectionum legibus, hominem a se conditum, nulloque inquinatum peccato, morti, morbis doloribus, aliisque hujus vitae miseriis subjicere potuerit absque ullo ejus demerito? Quid *Bajus* hac de re senserit, satis produnt aliquae ejus propositiones ab Ecclesia proscriptae, nimirum VI. *Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.* LV. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* LXXII. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Job, et Martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.* LXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.* Aberrantem Bajum pro more suo secutus est *Jansenius* Tomo II. Edit. Lovaniensis, columna 938. scribens: *Ex ipsis terminis crudelitatem et injustitiam spirat, innocentem animam, nulli peccato obnoxiam, ad miserias status praesentis condemnari.* Et columna 883. *Mors corporis nequit innocenti creaturae sine merito praecedenti iniquitatis a Deo infligi.* Columna 945. *Ex miseriis purae naturae cogimus ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichaeismum.* Eodem collimat *Quesnellus* propositione LXX. damnata asserens: *Numquam Deus affligit innocentes: et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

CDXCIV. *Conclusio.* Deus potuisset hominem innocentem condere, morti, morbis, ac doloribus obnoxium. Prob. I. Auctoritate S. Augustini, qui Lib. VI.

de Genesi ad litteram, Cap. XXV. de mortalitate et immortalitate corporis primi parentis scribit: *Illud quippe* (corpus Adae) *ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: id est, mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales* (id est, Angelos humanasque animas) *creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortali ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* Jam vero auctore Augustino, immortalitas primi hominis non erat de constitutione naturae, non de conditione corporis animalis, sed de beneficio Conditoris. Contra autem auctore Bajo in damnata propositione LXXVIII. immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis ejus conditio. Ergo Bajana doctrina de primi hominis immortalitate pugnat omnino cum Augustini doctrina. Neque dici potest, primi hominis immortalitatem juxta Augustinum ex una parte mirabilem Dei gratiam fuisse; ex altera vero parte primo homini ratione aliqua debitam fuisse. Etenim apud S. Doctorem haec duo pugnant inter se quam maxime, nec conciliari simul ulla ratione possunt, id est, Dei gratiam tale quid esse, quod supra naturam est; atque illud ipsum debitum quavis ratione naturae esse, ut ex S. Augustino ostendimus Num. CDLXXV.

CDXCV. Prob. II. Authoritate Pontificum, qui propositiones Baji et Quesnelli damnarunt. III. Ratione positiva. Corpus humanum componitur ex elementis inter se contrariis. Ergo sicut cætera animalia ob hanc elementorum contrarietatem sunt morti et morbis natura sua obnoxia: ita etiam illis homo natura sua foret subjectus, nisi per indebitum privilegium a Deo rederetur immunis. IV. Argumento negativo. Adversarii nullam ostendere possunt repugnantiam sive ex parte Dei, sive ex parte hominis, ut patebit ex solutione objectionum. Ergo frustra negant hominem non potuisse a Deo creari absque ullo suo demerito morti, morbis, ac doloribus obnoxium.

OBJECTIONES.

CDXCVI. *Objicitur I.* Authoritas Patrum et Conciliorum, ac præcipue Augustini. S. Augustinus Lib. IV. contra Julianum, Cap. ult. scribit: *Quid restat, nisi ut causa istorum malorum sit iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus: restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.* Et Lib. VI. Operis imperfecti, Num. XXVII. *Ipsi* (infantes) *nullum, sicut putatis, trahentes peccatum; immeritas, si hoc ita est, procul dubio sustinent pœnas. — — Ubi est justitia Dei? quam si cogitares, numquam crederes sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascentes.* Augustino suffragatur S. Celasius I. Epist.

VII. ad Episcopos Piceni scribens : *Ideo de felicitatis suae claritate seclusus, atque ad spinas et tribulos, miseriasque multiplices coelesti voce damnatus est, quae utique poena justi judicii tam gravis et aspera in bono perseveranti nullatenus esset inflicta, et nisi malo non convenienter illata probaretur.* Et S. Anselmus Lib. II. Cur homo Deus, Cap. II. *Sapientiae et justitiae repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpa, quem justum fecerat ad aeternam beatitudinem.* Patres Africani in Sardinia exules Lib. de Incarnatione et Gratia, quem eorum nomine conscripsit S. Fulgentius, Cap. XIV. ajunt : *Qua igitur justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit poenam, in quibus poenae non invenit causam?* Arausicanum II. Cap. II. *Siquis soli Adae praevaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit.* Ergo Augustinus, Gelasius, Anselmus, Patres Africani, et Arausicani sensere, hominem innocentem a Deo, salva sua justitia ac bonitate, non potuisse creari obnoxium morti, morbis ac doloribus.

CDXCVII. R. C. A. D. C. Sensere hominem innocentem non potuisse a Deo creari obnoxium morti, morbis ac doloribus, in hac providentia, ac supposita gratuita promissione Dei hominem ab his miseriis immunem servandi quamdiu in justitia perseveraverit, C. C. In alia providentia possibili, et praescindendo a gratuita promissione Dei, N. C. Augustinus cum Pelagianis dimicans de praesenti tantum providentia loquitur, ostenditque, Adamum ex beneficio Conditoris sui

creatum fuisse in gratia, immunem a concupiscentia, atque immortalem, si non peccasset. Id tum alibi frequenter, tum Lib. I. de peccat. meritis et remissione, Cap. II, et Lib. I. contra Julianum, Cap. V. probat, scribens: *Tu interim habes in conspectu non solum Occidentis, verum etiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur plures Orientis invenimus. Omnes uno eodemque modo credunt; per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem.* Supposita hac Dei promissione, ut existentiam peccati originalis evinceret S. Doctor, Pelagianos stringit, eosque interrogat, cur infantes nullius peccati personalis rei nascuntur morti ac morbis obnoxii? aitque Deum aut impotentem fore, quia quae promiserat implere non potuit: vel iniquum fore et injustum; eoquod non sine justitiae, aut fidelitatis suae dispendio promissi stare nolit hominem tamdiu immunem servandi a morte et miseriis, quamdiu ille justitiam diligeret. Ex quo manifeste patet, supponi hic ab Augustino gratuitam Dei promissionem, sermonemque illi esse non de quacumque possibili, sed de praesenti tantum providentia. Porro eadem, quae Augustini, fuit etiam Gelasii, Anselmi, PP. Africanorum, et Arausicanae Synodi mens ac sententia.

CDXCVIII. *Dices I.* S. Augustinus Lib. XIII. de Civit. Dei, Cap. XV. scribit: *Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturae, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati.* Ergo Augustinus censuit hominem innocentem natura sua immortalem esse. R. C. A. N. C. Verbis illis S. Doctor id unum significat, moriendi necessita-

tem, quae ex natura hominis de se secutura erat, per Dei gratiam fuisse sublatam: et ideo mortem, quae nunc regnat in nobis, non lege naturae, sed merito inflictam esse peccati. Atque hanc fuisse mentem Augustini invicte probatur ex ejus Libro VI. de Gen. ad lit. Vide dicta Num. CDXCIV.

CDXCIX. *Dices II.* S. Augustinus docet, seclusa etiam Scripturarum authoritate, ex solis hujus vitae miseriis colligi posse existentiam peccati originalis: atque ex sola miseriarum hujus vitae consideratione Philosophos Gentiles peccatum aliquod toti naturae humanae commune suspicatos esse. Lib. IV. contra Julianum, Cap. ult. ita scribit S. Doctor: *Hujus evidentia miseriae Gentium philosophos, nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa nos esse natos, et animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio quo Hetrusci praedones captos affligere consueverant, tamquam vivos cum mortuis esse conjunctos.* Ergo juxta Augustinum in nulla providentia Deus potuit hominem innocentem condere obnoxium morti et miseriis. P. C. Si hoc Deus in aliqua providentia facere posset, Augustini argumentum foret ineptum. Atqui id, salva erga tantum Doctorem reverentia, dici nequit. Ergo. P. M. Pelagiani facile respondere potuissent, Deum ob alios fines sibi soli cognitos, vel etiam ad exercendam hominis virtutem, posse hominem innocentem condere obnoxium morti et miseriis: neque Augustinus solo lumine rationis ostendere potuisset, Deum promisisse homini immortalitatem, si in justitia perseveraret. Ergo Augustini argumentum

fuisset ineptum. R. D. A. Docet colligi posse existentiam peccati originalis ex solis vitae hujus miseriis, argumento probabili et conjecturali, C. A. Argumento certo et decretorio, N. A. et Conseq. Certam existentiae peccati originalis notitiam ex sola fide haberi posse ipse scribit *Augustinus* Lib. VI. contra Julianum, Cap. IV. Quia vero Julianus authoritate Philosophorum Gentilium delectabatur, ideirco Augustinus eos contra Julianum adducit, atque ex illorum sententia argumentum formal, non palmare ac demonstrativum, sed mere conjecturale. Caeterum Philosophi illi Gentiles originale peccatum suspicati sunt vel ex intimo primaevae hominis felicitatis sensu ac desiderio, vel ex lectione librorum Moysis, aut ex commercio cum Judaeis. Ad *probat*. N. M. Ad hujus *probat*. N. C. Argumentum conjecturale ac probabile, quamvis non sit certum ac demonstrativum, non ideo ineptum est.

D. *Dices III.* Si argumentum Augustini probabile ac conjecturale est, certum amplius non est, Deum posse hominem innocentem subjicere morti ac miseriis; neque certum est propositionem Baji LXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*, damnatam esse eo sensu, quia nobis assignatur; Ergo. R. N. A. Augustinus non vult eo argumento evincere, Deum non posse hominem innocentem subjicere morti et doloribus; sed probabiliter tantum ac conjecturaliter infert, Deum conditurum non fuisse hominem morti et miseriis obnoxium, si a peccato semper abstinuisset. Posterius hoc valde probabile esse fatemur; prius autem illud omnino improbabile est, falsum, erroneum, atque a Pontificibus in Bajo damnatum. Neque argumentatio haec ullo modo legiti-

ma est: Deus probabiliter, praescindendo etiam a gratuita promissione illi facta, innocentem hominem non subjecisset morti ac miseriis, si in justitia perseverasset. Ergo Deus non potuit hominem innocentem condere morti et miseriis obnoxium.

DI. *Dices IV.* Non absque injuria S. Doctoris dicitur, eum contra Pelagianos usum fuisse argumento conjecturali. Ergo. R. N. A. Importunus atque immodicus Augustini laudator dicendus est, qui omnia Augustini argumenta, quibus Donatistas, Manichaeos, Pelagianos, aliosque haereticos, aut etiam Catholicos aliter sentientes in materiis dubiis impugnat, demonstrativa ac decretoria esse contendit. In praesenti itaque materia contra Pelagianos utitur potissimum Augustinus argumentis certis, ex Scriptura, traditione ac consensu Ecclesiae petitis; quandoque vero argumentum adhibet conjecturale ac probabile, quale illud est, quod superius objiciebatur. Sane *S. Thomas* Lib. IV. contra Gentes, Cap. LII. absque injuria Augustini docet, miserias humanae naturae esse peccati Originalis signa quaedam probabilia, non autem manifesta, certa, aut evidentia.

DII. *Objicitur II.* Infirmitas argumenti, quod ex damnatione propositionum Baji ducitur. Propositio Baji LV. et LXXVIII. damnatae fuerunt a Pontificibus, quia in illis id denegatur Omnipotentiae divinae. Ergo qui docent vel de sola justitia, vel de sola sanctitate, vel etiam de sola bonitate sua, potuisse Deum talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur, cum Bajo minime sentiunt, neque proscriptam propositionem tuentur. II. Multae propositiones Baji damnatae fuerant, non ob falsitatem doctrinae, sed ob acerbitatem

censurae. Ergo ex damnatione illarum propositionum solidum argumentum instrui non potest. R. ad I. Replica haec quam familiaris quibusdam, tam absurda est. Dei attributa unum quid simplex et idem reipsa sunt: nec aliter quam propter plures diversasque perceptiones, quibus summam infinitamque Dei perfectionem cognoscimus, plura illa et diversa nostris mentibus, parvis admodum et augustis, apparent. Quam ob rem manifestum est, si Dei potentiae non repugnat creare hominem morti, morbis, ac doloribus obnoxium sine suo demerito, neque id ipsum a Dei justitia, bonitate, aliisve Dei perfectionibus alienum esse. Sin autem a Dei justitia esset alienum, a Dei quoque potentia illud abhorrere necesse foret. Hinc S. Anselmus Lib. I. Cur Deus homo, de rebus divinis magnifice scribens ait: *In Deo quamlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas.* Ad II. N. C. Propositio Baji LV. et LXXVIII. nullam Pelagianae haereseos accusationem exprimunt, nullamque continent censurae acerbitatem. Ergo propositiones illae non sunt ex earum numero, quae propter acerbitatem censurae; sed ad earum pertinent classem, quae propter falsitatem doctrinae a Sede Apostolica sunt damnatae. Porro ex LXXIX. damnatis propositionibus Baji, non plures quam VIII. enumerantur, quae acerbam Pelagianismi censuram exhibent. Quod si semel licentia haec concedatur interpretandi suo cujusque arbitratu damnatas Baji propositiones, poterit unusquisque pro libito totam doctrinam Baji propugnare, ac tueri. De singulis enim in Bajo proscriptis ab Apostolica Sede propositionibus simili licentia affirmari poterit, illas non propter falsitatem doctrinae, sed propter acerbitatem dumtaxat censurae

fuisse damnatas. Vide hac de re plura apud *Laurentium Alticotium* Summae Augustinianae Parte IV. Quaest. I. Artic. VI.

DIII. *Objicitur III.* Ratio. Deus, quando homines affligit, non alium sibi praefigit finem, quam ut praeterita peccata congruis poenis castiget. Ergo cum in statu purae et innocentis naturae Deus hunc finem sibi praefigere non potuerit, pariter neque potuit hominem innocentem morti et doloribus subjicere. R. N. A., quod in Bajo et Quesnello damnatum fuit a Pontificibus, quodque manifestae falsitatis arguunt afflictiones B. Virginis Mariae, Sancti Josephi ejusdem Sponsi, Jobi, aliorumque piorum hominum, quorum eximiam sanctitatem commendant divinae Scripturae et Patres. Fines quos Deus homines affligendo sibi praefigit, varii ac diversi sunt. Ut enim Ven. Beda apud Cornelium a lapide Comment. in Cap. II. Marci ait: *Affliguntur homines corporis molestiis aut ad augmentum meriti, ut Job et Martyres: aut ad humilitatis conservationem, ut Paulus: aut ad correctionem peccati, ut soror Moysis, et hic paralyticus: aut ad Dei gloriam, ut caecus natus: aut ad initium damnationis, ut Herodes.* Atque hi sunt praecipui fines, quos in diversorum hominum afflictionibus divina providentia sibi praefigit; ita ut non in omnibus sint aut punitio peccati, aut peccatoris purgatio. Sic Tobiae Cap. XII. ait Angelus ad eumdem: *Ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Neque dicit, quia peccator eras, necesse fuit ut immissa caecitas esset punitio tuorum peccatorum, vel ab iisdem purgatio. Similiter de Jobo loquens *S. Augustinus* Lib. II. de peccatorum meritis et remissione,

Cap. XII. scribit: *Novimus non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum.*

DIV. *Dices I.* Sapientiae Cap. XII. dicitur: *Cum ergo sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua virtute.* Ergo juxta Scripturas, Deus non potuit hominem innocentem miseriis hujus vitae subjicere. P. C. Miseriae hujus vitae sunt poenae. Atqui homo innocens non est dignus poena. Ergo. R. C. A. N. C. Magnum est afflictionem inter et condemnationem discrimen; condemnatio supponit culpam; non item afflictio, quae a Deo dirigente longe ob alias causas obvenire potest, quam ob peccata. *S. Thomas* Parte III. Quaest. LXIX. Artic. III. ex Sacris litteris ostendit, convenientius non auferri per baptismum poenalitates hujus vitae: quod tribus confirmat argumentis, inter quae neque punitio peccati est, neque peccatoris purificatio. *Primo quidem*, inquit, *quia per baptismum homo incorporatur Christo, et efficitur membrum ejus, ut supra dictum est. Et ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate: habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gratiam consequitur, quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. --- Secundo hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo victoriae coronam acciperet. --- Tertio hoc fuit conveniens, ne*

homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae. Ad *probat.* D. M. Miseriae hujus vitae sunt poenae in hac providentia, saltem saepissime, quamvis non semper; C. M. In omni providentia, N. M. In statu naturae purae miseriae hujus vitae non essent poenae, quae necessario supponunt peccatum; cum poena nihil aliud sit, quam malum inflictum propter peccatum: sed forent meae poenalitates naturales, quae naturae humanae conditionem sequerentur, sicut rubigo sequitur naturam ferri. Ex quo colligitur male ab adversariis opponi nobis Augustinum, qui Lib. III. de Libero arbitrio, Cap. XVIII. scribit: *Omnis poena si justa est, peccati poena est, et supplicium nominatur.* Patet enim S. Doctorem loqui de poena, non de poenalitate naturali: de praesenti providentia, non de alia.

DV. *Dices II.* S. Augustinus Lib. I. Operis imperfecti, Num. XXXIX. scribit: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest.* Ergo homo innocens subjici non potest morti et doloribus. P. C: Homo innocens morti et doloribus obnoxius foret miser. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Nemo sapiens, et Christianae perfectionis aestimator Apostolum tunc miserum fuisse affirmabit, quando in tribulationibus et persecutionibus pro Dei gloria toleratis superabundare se gaudio fatebatur. Neque caeteros Apostolos quis jure miseros vocaverit, de quibus dicitur Act. Cap. V. *Ibant* (Apostoli) *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ipse Christus Dominus Matth. Cap. V. non miseros, sed beatos pronuntiat, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum*

coelorum. Miseria igitur proprie ac vere talis est malum beatitudini oppositum, quod ea nos privat, vel ab ea nos abstrahit: aut saltem afflictio, in qua sistitur absque relatione aut utilitate ad bonum superius. Tales autem non essent afflictiones hujus vitae, innocenti homini a Deo immissae ad charitatis et tolerantiae, aliarumque virtutum probationem. Vide plura apud *Jacobum Fontaine* in Constitutione *Unigenitus* Theologice propugnata Tomo III. ad Proposit. LXX.

CONTROVERSIA VIII.

AN DEUS POTUERIT HOMINEM INNOCENTEM CONDERE CUM ALIQUA SALTEM REBELLIONE CONCUPISCENTIAE?

Contra Bajanos et Jansenianos.

DVI.

Concupiscentia in sensu latiore sumpta, est appetitus sensitivus, sive inferior, qui concupiscere potest objecta sensibilia, quae ipsi remote per sensus externos, et proxime per phantasiam proponuntur. Quod si hic appetitus versetur circa bonum et malum sensibile secundum se consideratum, et non prout conjunctum est cum difficultate, dicitur *concupiscibilis*. Si autem versatur circa bonum et malum sensibile ut arduum, sive cum aliqua difficultate obtinendum aut amovendum, vocatur *irascibilis*. Porro uterque appetitus, tam irascibilis quam concupiscibilis, sumi potest vel pro potentia appetendi, vel pro ipso actu. Potentiae appetendi importat ipsam

animam, et organum corporeum, in quo eliciuntur et recipiuntur actus qui procedunt a tali appetitu. Actus appetitus sensitivi vocantur passiones, quas comitatur certa aliqua, et passioni proportionata corporis immutatio, seu motus sanguinis.

DVII. Per rebellionem concupiscentiae intelliguntur actus illi inordinati appetitus inferioris tam irascibilis quam concupiscibilis, quibus incitamur ad malum, aut retardamur a bono, et qui in nobis oriuntur citra advertentiam rationis, atque accedente etiam ea advertentia perdurant, tametsi voluntas eisdem positive resistat. Haec rebellis concupiscentia sumi potest vel pro potentia, vel pro actu. Si pro ipsa potentia sumatur, involvit duo, I. ipsum appetitum sensitivum, qui de se prodire potest in actus rectae rationi, et appetitui rationali reluctantes. II. dicit negationem doni indebiti, per quod appetitus sensitivus ex imperio rationis posset impediri a suis actibus alias necessariis. Si vero appetitus rebellis pro actu sumatur, dicit ipsos motus rationi et voluntati reluctantes.

DVIII. Ut ad praesentem quaestionem propius accedamus, noto I, sermonem non esse de praesenti in qua vivimus providentia; certum est enim, Adamum in gratia conditum, eumque Conditoris beneficio immunem fuisse ante lapsum a rebellione concupiscentiae; quae proinde in statu naturae lapsae est poena peccati originalis, orat non a Deo, sed a peccato, ut Augustinus contra Pelagianos invicte ostendit, nosque ipsi docuimus Num. LVI. II. Quaeri hic tantum, num Deus salvis divinis suis perfectionibus, potuerit innocentem hominem creare cum *aliqua* saltem rebellione concupiscentiae. Certum est enim, quod haec rebellio et inclinatio ad

malum de facto sit multo major, quam fuisset in statu naturae purae, partim ob proprios habitus vitiosos, partim ob habitus vitiosos parentum, qui non raro suas propensiones aeque ac morbos in prolem transfundunt. III. Juxta omnes certum esse, quod concupiscentia qua rebellis, atque ipsi etiam motus appetitus sensitivi rectae rationi reluctantes, non possint esse a Deo ut specialiter eos procurante aut intendente: secus Deus esset author mali moralis, saltem materialis, si nimirum consensus creaturae non accederet; sed hoc tantum Catholici contendunt, posse esse in statu naturae purae a Deo motus illos permittente ex imperfectione naturae exortos, atque ad illos concurrente concursu generali ex officio causae primae, non aliter quam nunc ad entitatem actus mali concurrit.

DIX. Bajani et Janseniani negant innocentem hominem potuisse a Deo creari cum aliqua rebellione concupiscentiae, aut cum ignorantia; quia juxta eorum principia ignorantia juris naturae quamtumvis invincibilis, et concupiscentia quamvis non victrix, sunt peccata mortalia; ideoque si Deus hominem cum aliqua rebellione concupiscentiae, aut ignorantia crearet, Deus esset author peccati. Hinc damnatae fuerunt a S. Pio V. et Gregorio XIII. Baji propositiones XXVI. *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Et LV. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Quarum propositionum sensus a Bajo intentus, ipso fatente Jansenio Lib. III. de Statu purae naturae, Cap. ult. non alius est, quam non potuisse hominem aliter creari quam creatus est, scilicet in justitia originali cum immunitate a rebellione concupiscentiae: neque potuis-

se creari; uti nunc nascitur, absque justitia originali, et cum infirmitatibus hominem nunc comitantibus.

DX. *Conclusio.* Potuit Deus hominem innocentem condere cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae. Prob. I. Authoritate *Pii V.* et *Gregorii* XIII. qui Baji propositiones XXVI. et LV. paulo ante citatas, in sensu ab eodem intento damnarunt, non ob censurae acerbitatem, cum nullam omnino censuram contineant; sed ob doctrinae falsitatem. Praeterea damnatio unius propositionis est definitio alterius contradicentis. Ergo cum propositio Baji LV. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur*, damnata fuerit, definita fuit a Pontificibus tamquam vera et Catholica propositio illi contradicens: *Deus potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.* Atqui si Deus non potuisset hominem innocentem condere cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae, propositio Bajana foret verissima, altera vero ei contradicens manifestam contineret falsitatem, ut patet consideranti; cum nullus ex Adae posteris, praeter B. Virginem, ab omni rebellis concupiscentiae motu immunis fuerit. Ergo ex mente Pontificum et Ecclesiae, Deus potuit hominem innocentem condere cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae.

DXI. Prob. II. Authoritate S. Augustini, qui Lib. IV. contra Julianum, Cap. XVI. scribit: *Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nuditatum quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ubi erat, terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operire deberet.* Lib. I. de peccat. meritis et re-

miss. Cap. XVI. *Quod ergo peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale et mortale, gratiam perdidit, qua ejus animae omni ex parte obediebat.* Lib. XIV. de Civit. Dei, Cap. XVII. *Patebant ergo oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti, ut cognoscerent quid eis indumento gratiae praestaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut poena reciproca inobedientia plecteretur, exstitit in motu corporis quaedam impudens novitas, unde esset indecens nuditas. – – – Cognoverunt ergo quia nudi erant: nudati scilicet ea gratia, qua fiebat ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* Ergo juxta S. Augustinum obedientia illa et subjectio, quae et integritas dicitur, donum Dei mere gratuitum fuit, gratis omnino a Deo datum, quavis ratione indebitum, quod ex nulla decentia, sive ex parte Dei Conditoris, sive ex parte hominis conditi, sed ex mera Dei bonitate et liberalitate manavit; cum *res indebita* et *gratia* expressione vocis dumtaxat discrepent, ut ostendimus Num. CDLXXV. Idem S. Doctor Lib. III. de Libero arbitrio, Cap. XX. ex hypothesi, quam utique impossibilem non judicavit, impugnat Manichaeos, qui ignorantiam et difficultatem non esse in homine nisi ab aeterna quadam natura mala asserebant; aitque, quod si ignorantia et difficultas, non praecedentis ullus peccati supplicium, sed naturae primordia forent, non parvum bonum haberet homo, unde Conditori suo gratias ageret, Deumque has ob causas non culpandum, sed laudandum fore. I. Quia anima a Deo sic creata, id est, cum naturali ignorantia et difficultate, adhuc vi et natura sua quovis perfecto corpore longe perfectior esset.

II. Quia anima hujusmodi vim facultatemque a Deo haberet, qua Creatore suo eam naturaliter adjuvante, apta et idonea esset ad comparandas sibi virtutes illas, quibus ignorantiam difficultatemque magis magisque in dies proficiendo minueret, ac superaret. III. Quia naturalis ignorantia et difficultas tali animae forent et proficiendi admonitio, et perfectionis exordium. IV. Quia anima hujusmodi sic creata, nulla obstricta esset necessitate permanendi in ea ignorantia et difficultate, in qua exorta esset: utramque enim naturalibus auxiliis sui Conditoris adjuta, paulatim debilitare et vincere posset, et ad sapientiam justitiamque, ac naturalem quamdam beatitatem pervenire. Confirmat hanc suam doctrinam S. Augustinus Lib. I. Retractat. Cap. IX. *Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia; nec sic culpandus sed laudandus esset Deus sicut in eodem tertio libro disputavimus. Quae disputatio contra Manichaeos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris instrumenti, in quibus originale peccatum narratur; et quidquid inde in litteris Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus Scripturarum tamquam non fuerit ab Apostolis dictum.* Et Lib. de Dono perseverantiae, Cap. XI. *Etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse naturae, vincerentur tamen Manichaei, qui volunt duas, boni scilicet et mali coaeternas esse naturas.* Atqui manifestum est, Manichaeos non fore vincendos, neque Deum ideo laudandum fore, siquidem Deus, salvis divinis suis perfectionibus, hominem creare

non posset absque dono integritatis cum ignorantia illa ac difficultate. Ergo manifestum est juxta Augustinum, Deum salvis divinis, suis perfectionibus, posse hominem condere cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae.

DXII. Prob. III. Authoritate S. Thomae, qui I. Parte, Quaest. XCV. Art. I. ait: *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis: alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint. -- Unde manifestum est, quod et illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam. sed secundum supernaturale donum gratiae.* Et in II. Sentent. Dist. XXXI. Quaest. I. Art. II. ad III. *Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione suae naturae relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens: in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpae aut poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus fuisset.*

DXIII. Prob. IV. Ratione. I. est. Nihil Omnipotentiae divinae denegandum est, nisi manifesta ostendatur implicantia. Atqui, ut ex solutione objectionum patebit, nulla ostendi potest implicantia, quod Deus hominem innocentem creare possit cum aliqua saltem rebellione concupiscentiae. Ergo. II. Concupiscentia in statu naturae purae foret causa pugnandi et admonitio non superbiendi: homo enim admoneretur suae infirmitatis, ejusque virtus in infirmitate perficeretur; quia clare animadverteret, divino auxilio se indigere, sicque

justam Deo daret gloriam obedientia et precibus. Ergo concupiscentia in statu naturae purae foret utilis, hancque utilitatem posset Deus intendere. III. Homo ex una parte naturaliter impedire non potest, ne phantasiae unquam occurrat bonum sensibile ac delectabile, inhonestum aut prohibitum: ex altera parte non potest naturaliter impedire, quo minus appetitus sensitivus moveatur a tali objecto sufficienter proposito; quia appetitus sensitivus non est minus potentia necessaria, quam sensus externi: nec minus est determinatus ad amandum objectum sensibile ac delectabile, quam v. g. oculus sit determinatus ad videndum. Ergo appetitus sensitivus etiam in statu naturae purae saepius insurgeret adversus potentiam superiorem, nisi aliunde impediretur: Atqui ostendi non potest, quomodo aliunde impediri debuerit semper: neque enim magis credibile est in statu naturae purae Deum id impedire debuisse, quam quod Deus debuisset omnes causas naturales impedire, ne homini ullam molestiam inferrent.

OBJECTIONES.

DXIV. *Objicitur I.* Perfectio Dei. Si Deus posset creare hominem cum aliqua rebellione concupiscentiae, tunc concupiscentia rebellis esset a Deo. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. m. Concupiscentia rebellis est peccaminosa, et ex mundo, juxta illud I. Joan. Cap. II. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est.* Ergo. R. D. M. Concupiscentia quae est rebellis, esset a Deo, prout est potentia concupiscendi bo-

na sensibilia, C. M. Concupiscentia ut rebellis esset a Deo, et sumpta pro actu concupiscendi mala, subdist. Esset a Deo ut authore, illam volente ac procurante, N. M. A Deo ut permittente illam ad majus meritum hominis, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Concupiscentia, prout dicit potentiam concupiscendi bona sensibilia, esset a Deo ut authore etiam in statu naturae purae: sic enim sumpta non est mala, nec pugnat contra sanam rationem: immo est perfectio et bonum naturae, quatenus est principium actuum ad naturae functiones et conservationem necessariorum, ac rectae rationi non adversantium; licet quatenus erumpere potest in motus inordinatos et rectae rationi dissentaneos, non sit perfectio, sed defectus naturae connaturalis, et a Deo permissus, quemadmodum voluntas est perfectio naturae, si spectetur secundum suam entitatem, et in quantum prosequi potest objecta licita et honesta; in quantum vero objecta illicita et inhonesta prosequi potest, est defectus perfectionis. At vero concupiscentia sumpta pro ipso actu inordinate concupiscendi, Deum authorem habere non potest; quia ad malum incitat, et Deus ad illam mere permissive se habet, ad concursu tantum generali ex officio causae primae ac illam concurrit. Ad *probat.* D. A. concupiscentia rebellis est peccaminosa, si adjunctum habeat voluntatis consensum, C. A. Secus, N. A. vel subdist. Est peccaminosa in sensu proprio, N. In sensu improprio, quia in hac providentia ex peccato originali oritur, et ad peccatum inclinat, C. A. N. C. Pari modo concupiscentia carnis sumpta pro actu concupiscendi objecta inhonesta dicitur a S. Joanne non esse ex Patre, sed ex mundo;

sumpta vero pro potentia concupiscendi illicita, est defectus naturalis.

DXV. *Dices I.* Si Deus hominem crearet cum aliqua rebellione concupiscentiae, homo absque aliqua inordinatione non prodiret e manibus sui Conditoris. Atqui id repugnat divinis perfectionibus. P. M. Est inordinatum, quod potentia inferior non subjiciatur superiori, et quod Deus condat hominem cum stimulo ad peccatum. Ergo. R. D. M. Homo non prodiret e manibus sui Conditoris absque inordinatione tenente se ex parte Dei, et proveniente a Deo, N. M. Proveniente ex defectibilitate et nihilo creaturae, C. M. Omnis creatura, ut pote ex nihilo producta, est per se defectibilis, multaeque imperfectionis; idcirco ei conveniunt. Ad *probat.* D. A. ita tamen, ut haec inordinatio proveniat a Deo. N. A. Ut proveniat ex nihilo, et imperfectione creaturae, C. A. N. C. Alterum membrum pariter Dist. Est inordinatum ut Deus condat hominem cum stimulo efficaci, physice vel moraliter necessitante ad peccatum, C. A. Cum stimulo inefficaci, neque physice neque moraliter necessitante ad peccatum subdist. Si Deus id faceret eo fine, ut inde sequatur peccatum, C. A. Si id faciat eo fine, ut referatur victoria, N. A. et Conseq. Propterea quod Deus hominem conderet cum aliqua rebellione concupiscentiae, defectus aliquis in Deum non caderet; quia Deus author quidem foret rebellantis concupiscentiae, at non author foret rebellionis illius: quemadmodum Deus producit quidem fatuos homines, nec tamen est author fatuitatis, cum sit sapientissimus, ut scribit *S. Augustinus* Lib. III. Operis imperfecti, Num. CLX.

DXVI. *Dices II.* Est impossibile ut Deus producat aliquid, quod est obex sapientiae et virtutis. Atqui concupiscentia est obex sapientiae et virtutis. Ergo est impossibile ut Deus producat concupiscentiam. R. D. M. Si illud sit per se obex sapientiae et virtutis, vel ex intentione operantis, vel ex conditione operis, C. M. Si est obex per accidens tantum, praeter conditionem operis, et intentionem operantis, N. M. Et sic dist: minore, N. C. Concupiscentia de se, ut dictum fuit superius, in quantum est potentia prosequendi objecta honesta et licita, est perfectio naturae, Deumque habet authorem: in quantum vero est potentia prosequendi objecta illicita et inhonesta, est defectus perfectionis, naturae rationali connaturalis, ac malum aliquod naturale, non tamen culpabile nisi in actum exeat cui voluntas consentiat: neque Deum habet authorem, sed a Deo tantum permittente existit.

DXVII. *Dices III.* Si [concupiscentia prout est potentia prosequendi objecta illicita, non esset a Deo, esset a natura. Atqui a natura esse non potest. P. m. Causa efficiens omnium rerum est Deus. Ergo. R. C.M. N. m. Ad *probat.* D. A. Deus est causa efficiens omnium rerum quae perfectionem aliquam involvunt, C. A. Prout illae imperfectionem includunt, N. A. et Conseq. Concupiscentia sumpta pro potentia prosequendi objecta illicita, est imperfectio ex conditione naturae consequens: imperfectio autem proprie non efficientem, sed deficientem causam habet; et idcirco non in Deum Creatorem, sed in ipsam creaturam rejicitur. Bonitas responsionis patet in peccato, quod certe Deum non habet tamquam causam efficientem.

DXVIII. *Dices IV.* Si concupiscentia in statu naturae purae non esset malum morale, sed tantum naturale, liceret consentire motibus concupiscentiae. Atqui hoc aperte falsum est. Ergo. Prob. M. I. Morti et morbis licet consentire, quia malum sunt mere naturale. Ergo etiam liceret consentire concupiscentiae. Prob. eadem M. II. In statu naturae purae licerent ea omnia, ad quae naturaliter propenderet natura. Atqui natura in eo statu propenderet ad turpia. Ergo. P. M. Omnis propensio naturalis naturae bonae est bona. Sed propensio ad illicita, esset propensio naturae bonae, utpote non depravatae per peccatum. Ergo. R. N. M. Ad I. *probat.* C. A. at nego rationem additam. Idcirco licet consentire morti ac morbis, quia consensus iste nullum ex sese adjunctum habet peccandi periculum, dum natura ab illis malis vehementer abhorreat: at vero periculum illud praesentissimum est in motibus concupiscentiae propter fragilitatem hominis, et propensionem in res sensibiles. Ad II. *probat.* D. M. Ad quae naturaliter propenderet natura qua bona est, C. M. Qua defectibilis est, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad hujus *probat.* simili modo D. M. Omnis propensio naturalis naturae bonae a defectu immunis; est bona, C. M. Naturae bonae, ut defectu haec vitiatur, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Propensio naturae in puris naturalibus conditae ad turpia, quamtumlibet naturalis, non esset bona: sed defectus quem homo etiam in illo statu teneretur quantum posset cohibere.

DXIX. *Dices V.* Saltem in statu naturae purae homo nullam juxta nos haberet causam erubescendi ob concupiscentiam. Atqui hoc dici nequit, quia concupiscentia semper est opus pudendum. Ergo. P. M.

opus Dei non potest esse causa justi pudoris. Atqui concupiscentia in statu naturae purae esset opus Dei. Ergo non posset esse causa justi pudoris. R. N. M. Concupiscentia, prout est potentia prosequendi objecta illicita, in omni statu esset opus pudendum; non quidem in ordine mali moralis culpabilis; quamdiu voluntas his motibus non consentit, sed in ordine mali naturalis. Ergo in statu naturae purae deretur aliqua necessitas erubescendi ob concupiscentiam. Ad *probat.* C. M. D. m. Concupiscentia in statu naturae purae esset opus Dei, sumpta pro potentia prosequendi objecta honesta et licita, C. m. Sumpta pro potentia prosequendi objecta inhonesta et illicita, N. m. Concupiscentia prout dicit potentiam prosequendi objecta honesta, esset a Deo, nec causa foret illius pudoris, quia perfectio esset naturalis: prout vero dicit potentiam prosequendi objecta illicita, non esset a Deo, sed foret defectus naturalis, proveniens ex nihilo creaturae, et causa justi pudoris. Homo igitur idcirco erubescens, non erubesceret de opere Dei, neque ingratus esset erga Deum; sed solum suam naturalem imperfectionem, suumque in regendis ejusmodi motibus defectum agnosceret.

DXX. *Dices VI.* Si homo in statu naturae purae creari potuisset a Deo cum aliqua rebellione concupiscentiae, creari etiam potuisset cum pravo aliquo habitu. Atqui id dici nequit. Ergo. P. M. Habitus peccaminosus, quem Deus homini infunderet, non magis esset stimulus ad peccandum, quam concupiscentia. Ergo. R. I. Multi, iique graves Theologi admittunt, quod Deus absolute loquendo posset hujusmodi habitum, vel qualitatem, ut vocant, infundere eo fine ut homo eam superando victoriam referat. R. II. N. M.

Ad *probat* N. A. Habitus peccaminosus ex natura sua inclinat animam directe atque unice ad culpam; quia eam inclinat ad repetendos illos actus, ex quibus contractus est habitus, vel ad quos excitat habitus infusus. At vero naturalis concupiscentia animam per se et directe tantum inclinat ad prosequenda objecta sensibilia, quae saepe honesta sunt et licita.

DXXI. *Objicitur II.* Paritas. Deus non potuit hominem innocentem condere in eo statu, in quo laboraret ignorantia invincibili. Ergo neque potuit creare hominem obnoxium concupiscentiae. Prob. A. I. Ignorantia invincibilis est causa multorum peccatorum. II. Ignorantia et notitiam tollit et potentiam ea adhibendi media, quae necessaria sunt ad obtinendum finem, ad quem natura rationalis creata est. Ergo natura humana in tali statu esset pessime constituta, quod sine injuria Creatoris dici nequit. *Confirm.* Ea quae tunc fierent ab hominibus ex ignorantia invincibili, merito tribuerentur Deo ut authori. Ergo. R. N. A. Ad I. *probat.* D. A. Esset causa multorum peccatorum materialium, C. A. Formalium, N. A. Ad II. *probat.* iterum D. A. Ignorantia totalis, perpetua, et ita caeca, ut nullum prorsus lumen praebeat, quo anima suas tenebras cognoscat, et quo exstimuletur ad quaerendam lucem, haec, inquam, ignorantia, et notitiam tollit et potentiam, C. A. Ignorantia tantum quoad aliqua, eaque nec perpetua, nec ita caeca, N. A. et Conseq. Ignorantia illa superius descripta, non tantum locum non habuisset in statu quidem naturae purae, sed ne in statu quidem naturae lapsae invenitur. Quamvis enim haec ignorantia initio sit maxima; postea-quam tamen homo ad usum rationis pervenit, minun-

tur tenebrae illae, et veritates morales clarius ac luculentius percipiuntur. Profecto nec Bajus nec Jansenius facile dicent, quod in statu naturae integrae quilibet homo primo nativitatis momento, vel quando anima corpori infusa est, perfectam habiturus fuisset scientiam et cognitionem omnium, quae ad consequendum ultimum finem, Deumque cognoscendum pertinet; sed eo modo rerum harum scientiam acquivisset, quo nunc, hoc tamen discrimine, quod in acquisitione illius summum gaudium expertus fuisset, omni labore ac taedio liberum. Ad *confirm.* N A. Cum homo intellectum habeat ex natura sua valde limitatum, ignorantia foret naturalis. Quae igitur ab homine fierent ex ignorantia invincibili, non essent a Deo nisi ut permittente et concurrente concursu generali ex officio causae primae; ideoque Deo ut authori tribui non possent.

DXXII. *Dices.* S. Augustinus saepissime in suis libris contra Pelagianos scribit, ignorantiam esse poenam peccati. Ergo innocens homo non potuit a Deo creari ignorantiae obnoxius. R. S. Augustinum non loqui de statu possibili, sed de praesenti, in quo certum est tum ignorantiam tum concupiscentiam effectus esse et poenas peccati originalis; cum Deus ex mera liberalitate sua, non ex debito, primum hominem creaverit a rebellione concupiscentiae immunem, atque omnigena scientia ornatum: ex quo ipso contendit Augustinus contra Pelagianos dari peccatum originis, eoquod posteri Adae iis donis destituti nascantur.

DXXIII. *Objicitur III.* Pelagianismus. Julianus Eclanensis, Pelagianae factionis signifer, id ipsum de concupiscentia docuit, quod a nobis superius traditum

fuit. Ergo doctrina nostra merito Pelagianismi accusatur. P. A. Julianus docuit, concupiscentiam, prout est inclinatio in bonum sensibile, esse bonam, ac perfectionem naturalem; libidinem vero ipsam, seu excessum concupiscentiae esse malum. Hinc illae voces Juliani: *Concupiscentiae naturalis qui modum tenet, bono bene utitur; qui modum non tenet, bono male utitur: qui autem etiam ipsum modum sanctae virginitatis amore contempserit, bono melius non utitur.* Contra Augustinus novam hanc insaniam irridens, concupiscentiam vocat *pulcherrimam Pelagianorum famulam*, et Lib. III. contra Julianum, Cap. XXI. Adversario suo ita respondet: *Ego vero sic ad tua ista respondeo: Concupiscentiae carnalis qui modum non tenet, malo bene utitur; qui modum non tenet, malo male utitur; qui autem etiam ipsum modum Sanctae Virginitatis amore contempserit, malo melius non utitur. — — In hac controversia de bene utendo isto, utrum bono an malo, tota inter nos causa versatur.* Ergo doctrina nostra Palagianae simillima est, et Augustino contraria. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Praeterquam quod Julianum inter et Augustinum lis numquam fuerit de concupiscentia in statu naturae purae, sed tantum de eadem in statu naturae lapsae, per Christum reparatae, multiplex doctrinam inter Juliani et nostram datur discrimen. Ad I. quidem Julianus in concupiscentia potentiali, seu in ipsa facultate concupiscendi illicita nullum defectum, nullum vitium agnoscebat, modo illi ratio non consentiret extra matrimonium; in hoc enim solo consensu reponebat ejus excessum, quem damnabat. Hinc inferebat, primum hominem, quem rectum a Deo conditum fuisse profitebatur, fuis-

se a Deo creatum cum effraenata concupiscentia, qualis nunc est. II. In laudes concupiscentiae, praesertim carnalis, impudentius se effundebat, ut ipsi saepius exprobat Augustinus. III. Non satis distinguebat inter concupiscentiam et libidinem; unde utramque bonam esse videbatur affirmare, ut patet ex Augustino Lib. IV. contra Julianum, Cap. XIV. Contra fatemur nos, concupiscentiam, non actualem modo, verum etiam potentialem, quoties ratione non regitur, seu prout dicit potentiam prosequendi objecta inhonesta, esse malam, neque Deum habere authorem, sed ab imperfectione naturae proficisci: rebellionem concupiscentiae originali peccato tribuimus; libidinem a concupiscentia secernimus neque in illius laudes excurrimus. Ergo doctrina nostra toto coelo a Juliani doctrina distat, et intimo nexu cum Augustiniana conjungitur.

DXXIV. *Objicitur IV.* Ratio. Si homo in statu naturae purae a Deo creatus fuisset cum rebellione concupiscentiae, habuisset moralem impotentiam servandi totam legem naturalem, saltem diu et constanter. Hoc dici non potest, quia natura rationalis pessime fuisset constituta, utpote morali necessitate adacta ad excidendum fine suo ultimo. Ergo. P. M. Homo in statu naturae lapsae ob rebellionem concupiscentiae non potest viribus suis absque gratiae auxilio moraliter servare totam legem naturalem, saltem diu et constanter. Ergo etiam homo in statu naturae purae, siquidem concupiscentiae foret obnoxius, non haberet potentiam moralem diu et constanter servandi totam legem naturalem. P. C. In statu naturae purae non daretur gratia; solae autem animae vires non sufficerent ad totam legem diu et constanter implendam. Ergo. R. N. M.

Ad *probat* C. A. N. C. Ad hujus *probat.* D. A. In statu naturae purae non daretur gratia supernaturalis, quae in praesenti providentia datur, C. A. Non daretur gratia ordinis naturalis, N. A. et Conseq. In hac providentia cum ex divina liberalitate evecti simus ad statum adoptionis; atque ad finem supernaturalem ordinati, dantur etiam nobis auxilia supernaturalia, vi quorum actiones non tantum moraliter honestas, sed salutares etiam et vitae aeternae meritorias eliciamus. In statu autem naturae purae, quia finis esset mere naturalis, auxilia etiam forent inferioris ordinis ac mere naturalia.

DXXV. *Dices I.* Hanc gratiam ordinis naturalis vel libere Deus cuilibet hómini in statu naturae purae conferret, vel necessario. Quidquid dicatur, data a nobis responsio evertitur. Ergo. P. m. Si libere a Deo confertur; Deus posset illam negare, adeoque innocentem hominem in necessitatem moralem conjicere excidendi fine suo ultimo, quod sane barbariem sapit Deo indignam: Si necessario confertur; auxilium illud ordinis naturalis non esset gratia, eoquod gratia omne debitum excludat. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* dico, Deum vi divinarum perfectionum suarum teneri homini innocenti conferre auxilium, quo ille per aliquod tempus legem Dei servare posset: hocque ipsum auxilium sufficiens esset simul potentia moralis inchoata, qua posset eamdem legem servare diu et constanter. Si enim homo faceret quantum posset, et per aliquod tempus legem Dei servaret, teneretur Deus pro tempore proxime sequente rursus conferre illud auxilium sufficiens, quo adjutus etiam per illud tempus moraliter posset servare legem, et sic deinceps. Atque in hoc

sensu primum illud auxilium sufficiens dicitur potentia moralis inchoata legem diu et constanter servandi quia scilicet homo dependenter a primo illo auxilio acquirere posset potentiam moralem completam servandi diu et constanter totam legem naturalem. Homini itaque in statu naturae purae necessario Deus conferret auxilium sufficiens, et potentiam moralem inchoatam, quae non esset gratia stricte dicta, sed gratia ex gratia, seu donum Dei homini debitum ex supposito, quod hic creatus sit a Deo; haec ipsa tamen creatio est donum Dei gratuitum et indebitum. At vero auxilium congruum et efficax, atque ipsa potentia moralis completa diu et constanter servandi totam legem naturalem, esset favor Dei specialis, atque omnino indebitus.

DXXVI. *Dices II.* Etiam haec potentia moralis completa deberetur homini innocenti. Ergo non esset gratia vere ac proprie talis. P. A. Si homo per aliquod tempus servaret legem naturalem, Deus teneretur pro alio tempore proxime sequente rursus conferre aliud auxilium sufficiens, vi cujus etiam per illud tempus moraliter posset servare legem. Ergo potentia moralis completa deberetur homini innocenti. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Hoc debitum conditionatum, *si homo per aliquod tempus servaret legem naturalem*, non impedit quo minus potentia moralis completa sit favor Dei omnino specialis; quia haec conditio numquam purificaretur, nisi Deus auxilium congruum et efficax dedisset prae alio, quod ex malitia hominis inefficax futurum fuisse praeviderat. Deus autem nulla lege tenetur dare tale auxilium, quo lex actu impleatur; sed tantum quo impleri possit, licet hic et nunc ex malitia hominis lex non observetur.

DXXVII. Neque dicas, si potentia moralis completa favor est specialis, homini imputandum non esse, quod illa careat. Respondeo enim, hominem habere auxilia sufficientia ad faciendum id, quod Deus ab ipso exigit per modum conditionis ad ulteriora auxilia ordinis naturalis. Ergo homo in causa est, quod careat istis auxiliis, et consequenter potentia moralis completa ad observandam diu et constanter legem Dei graviter obligantem. Vide *Antonium Ziegler* in Disputatione Theologica de Gratia Christi, Quaest. II. Art. II. Paragrapho III.



O. A. M. D. G.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM

QUAE

IN TRACTATU IV. DE PECCATIS, BONIS OPERIBUS, ET LIBERO ARBITRIO CONTINENTUR.

A

Abstinentia a carnibus tamquam natura sua malis, est superstitiosa. CCCXXVI.

Abstinentia a carnibus ex bono fine, Judaismum non redolet. CCCXXIX.

Apud Catholicos non ideo servatur, quod carnes natura sua malae sunt. CCCXLIV.

Academiarum studia erga Immaculatam Conceptionem. LXXXVII.

Adamus numquam mortuus fuisset, si in statu innocentiae perseverasset. LIII.

Quomodo immortalitas in statu innocentiae moriendi necessitatem exclusisset. LIV. LXXI

Adami corpus erat immortale, non natura sua, sed Dei beneficio. XDIV.

Concupiscentia carebat, beneficio Conditoris. DXI.

Afflictio saepe ob alios fines quam ob peccata a Deo immittitur. DIII.

Non est semper poena, sed quandoque poenalitas. DIV.

Non semper facit miseros. DV.

Alcibiadis factum inepte a Protestantibus adducitur contra legem Jejunii. CCCXLVII.

Alexandri VII. Constitutio in causa Immaculatae Conceptionis. LXXXV.

Alexandri Natalis monitum ad Fratres sui ordinis, CXII.

S. Ambrosius numquam negavit poenarum aeternitatem apud inferos. CCXXII.

Amor naturalis Dei in quo differat a supernaturali? CDLXXXV.

Animae licet per traducem propagarentur, non tamen felicius explicaretur transfusio peccati originalis. XXVIII.

S. Anselmus Cantuariensis non adversatur piae sententiae. CVIII.

Appetitus naturalis et elicitus quid sit? CDLXXXII.

S. Augustinus docuit parvulos sine baptismo decedentes aeterno igne cruciandos esse. LXII. et seq.

Deiparae immunitatem ab omni peccato agnovit. LXXVIII. LXXIX.

Cur expressis verbis Deiparam a peccato originali immunem fuisse diserte non asseruerit? CI.

Docet humanam libertatem immunem esse ab omni necessitate, et esse potentiam electivam. CCCLIX.

Quam necessitatem peccandi in homine lapso agnoverit? CCCLXVI.

Ad merendum vel demerendum requirit libertatem indifferentiae. CCCLXXVIII.

Augustinum irrito conatu vindicare sibi nituntur Novatores. CDXLI.

Augustino praeponenda est authoritas Ecclesiae. CDXLII.

Augustini doctrinam approbavit Ecclesia; at non solius, sed etiam aliorum Patrum. CDXLIII.

Augustini doctrina quamvis foret infallibilis, ad Ecclesiam tamen recurrendum foret. CDXLIV.

Augustinus constanter docuit, homini etiam in statu naturae lapsae inesse libertatem ab omni necessitate simplici et antecedente. CDXLVII. et seq.

Libros de libero arbitrio non retractavit. CDLIV.

Ejus Enarrationes in Psalmos quanti sint ponderis? CDLIV.

Ejus argumenta contra haereticos non semper certa ac decretoria sunt, sed quandoque conjecturalia. DI.

B

Baalismum inepte objicitur decantantibus Officium divinum. CCCIV. CCCXV.

Baji Michaelis errores. CLXVIII. CCLIX. CCCLVII. CCCLXXV. CDXIX. CDLXII. CDXCIII. CDIX.

Baji initia. CDLXIV. a Pio V. damnatus, post longam tergiversationem obsequium spondet. CDLXX. Ad ingenium rediens compescitur a Gregorio XIII. CDLXXI.

Bajanismus a discipulis post mortem Baji renovatur. CDLXXIII.

De Bajano commate famosa lis. CDXC.

Baji propositiones damnatae sunt in proprio verborum sensu a Bajo intento CDLXXXIX.

Baji propositiones non modo damnatae sunt ob acrem censuram, sed etiam ob falsam doctrinam. CDLXXXVIII. DII.

Baptismi natura, necessitas, ac caeremonia comprobant dari peccatum originale. VII. VIII. IX.
Beatitudinis aeternae jactura est poena peccati originalis. LVII.
Beatitudo naturalis quid sit? CDLXXVIII.
Benedictiones carnium cur tempore Paschali ab Ecclesia adhibeantur? CCCXLIV.
S. Bernardus Immaculatae Deiparae Conceptioni non adversatur. CVI. CVII.
Bucerus novam liberi arbitrii definitionem audit. CCCLVII.

C

Calvini Joannis errores. XXXVI. LII. CXXVI. CXLV. CLXVIII. CLXXX. CXCIX. CCXXVII. CCXLV. CCLIX. CCCXXIV. CDXVII. CDLXVIII.
Cantus Ecclesiasticus antiquissimus est, justisque de causis ab Ecclesia introductus. CCCIV.
Ejus utilitas. CCCXII.
Cantus quinam ab Ecclesiis sit proscribendus? CCCXVI.
Cassiodorus in Historia Tripartita saepe errata Socratis describit. CCCXXXVI.
Charitas amittitur per quodlibet peccatum mortale. CLXXXI.
S. Chrysostomus existentiam peccati originalis agnovit, et asseruit. XX.
Clemens Alexandrinus peccatum originale admisit. XXII.
Clemens XI. non adversatur Immaculatae Conceptioni. CXIII.

Conceptio quid et quotuplex? *LXXIV.*
Quaestio de immaculata Deiparae Conceptione est maximi momenti. *LXXV.*
Conceptio Immaculata B. V. M. ostenditur authoritate Ecclesiae. *LXXVI.* Patrum *LXXVIII.* Tridentini. *LXXX.* Pontificum, Sixti *IV. LXXXI.* Pii V. *LXXXII,* Pauli V. et Gregorii *XV. LXXXIII.* Alexandri *VII. LXXXV.* Authoritate Theologorum *LXXXVI.* Academiarum. *LXXXVIII.* Ex sensu fere universali Fidelium. *LXXXVIII.*
Pia Sententia de Immaculata Conceptione est stricte moraliter certa *XC.*
Neque amplius a Sede Apostolica potest damnari tamquam haeretica, aut peccaminosa. *XCII.*
Conceptionis immaculatae cultus antiquitas ostenditur in Ecclesia Graeca et Latina. *LXXXIX.*
Concupiscentia non est peccatum originale. *XLI.*
Qua ratione dicatur peccatum? *XLVII. L.*
Concupiscentia rebellis est mala. *LV.*
Atque a peccato originali proficiscitur. *LVI.*
Concupiscentia quid sit? *DVI.*
Concupiscentiae rebellio quid sit? *DVII.*
Concupiscentia quo sensu possit esse a Deo? *DXIV.*

D

Daemones poenas inferni sustinent. *CCXVI.*
Quamvis eorum multi in aëre versentur. *CCXVII.*
Damnati, vide *Infernus.*
Debitum remotum et proximum contrahendi originale quid sit? *CXXI.*

Deus pactum cum Adamo iniit de transfundenda in posteros justitia, eumque caput morale posterorum constituit. XXVI.

In voluntate Adami inclusit voluntates posterorum, salva sua Sanctitate, Bonitate, ac Justitia. XXXI.

Deus non est author peccati. CXLVI. et seq.

Impios erat ad sempiternum interitum consequenter ad praevisionem absolutam demeritorum. CLVI.

Quo sensu impellere vel incitare dicatur ad peccatum? CLIX.

Quo sensu dicatur indurare et excaecare peccatores? XVI.

Influit in peccata, quin sit author peccati. CLXV. et seq.

Deus potuit hominem non elevare ad statum supernaturalem. CDLXXIV.

Hominem innocentem condere morti ac miseriis obnoxium. CDXCIV.

Ac cum aliqua rebellione concupiscentiae. DX.

Deus saepe non ob peccata, sed ob alios fines hominem affligit. DIII.

E

Ecclesia non potest Sanctitati falsae decernere cultum sacrum. LXXVI.

Ecclesia colit ipsam Conceptionem formalem Deiparae. CXX.

Evangelii et Legis veteris discrimen. CCLXXVII.

Eustathius cur ab Ecclesia damnatus fuerit? CCCXLVII.

F

Fidelium consensus in tuenda Immaculata Conceptione quanti sit ponderis? LXXXVIII.
Fides potest simpliciter amitti. CLXXXV.
Non tamen amittitur per quodlibet peccatum mortale. CLXXXVI.
Per quodnam mortale amittatur? CXC.

G

Gratia sanctificans prima non cadit sub meritum de condigno. CCXLI.
Gratia prima actualis neque cadit sub meritum de condigno, neque de congruo. CCXLIV.
Gratia excludit debitum. CDLXXIV.
Gratia ordinis naturalis quid sit? CDLXXIX.
Gratia efficax et indebita locum habuisset etiam in statu naturae purae. DXXV.
Gregorii XV. Constitutio in causa Conceptionis Deiparae. LXXXIII.
Quae sint Constitutionis illius consectaria? LXXXIV.
S. Gregorius Nazianzenus aeternitati poenarum non refragatur. CCXXII.
S. Gregorii Nysseni opera aliqua ab haereticis corrupta. CCXXII.

H

S. Hieronymus numquam docuit poenas inferni finem habituras. CCXIX. CCXX. CCXXI.

Hilarus cantum Ecclesiasticum insectatur. *CCCIV.*
Homo potuit a Deo creari, quin per gratiam sanctificantem elevaretur ad finem supernaturalem. *CDLXXIV.*
Homo innocens potuit a Deo condi morti ac morbis obnoxius. *CDXCIV.*
Et cum aliqua rebellione concupiscentiae. *DX.*
Horarum Canonicarum usus antiquissimus ac Deo gratissimus est. *CCCV.*
Horarum Canonicarum cur facta fuerit divisio. *CCCVIII.*
Horarum Canonicarum praetensi abusus. *CCCXIII.*

I

Jansenianorum errores. *CLXXX. CCXLV. CCLIX. CCCLVII. CCCLXXV. CCCXCI.* et seq. *CDXIX. CDLXXIII. CDXCIII. DIX.*
Augustium sibi conantur vindicare. *CDXLI.*
Eorum aequivocationes. *CCCXCVIII.*
Exceptiones putidae. *CXIV.* et seq.
Idem circa libertatem quoad substantiam docent, quod Manichaei. *CDIII.*
Jansenii Systema mechanicum utriusque delectationis. *CCCXCI.*
Hujus Systematis consectaria. *CCCXCIII.* et seq.
In hoc Systemate liberum arbitrium penitus subruitur. *CCCXCIX.*
Ipsum Systema a Sede Apostolica implicite est damnatum. *CDXV.*
Hujus Systematis patroni idem reipsa docent, quod Jansenius. *CDXVI.*

Jejunium Ecclesiasticum quid sit? *CCCXVII.*
Quae ejus utilitas? *CCCXVIII.*
Jejunii Quadragesimalis origo. *CCCXIX.*
Non ubique eadem die inchoabatur. *CCCXX.*
Cur institutum sit? *CCCXXI.*
Jejunium Hebdomadarium. *CCCXXII.*
Jejunium quatuor Temporum. *CCCXXIII.*
Jejunii tempore abstinentia servabatur a carnibus et a vino. *CCCXXXVIII.*
Jejunium ex malo fine est inutile ac pravum. *CCCXXVII.*
Ex bono fine susceptum, est opus bonum et Deo gratum. *CCCXXVIII.*
Jejunii lex obligat fideles in conscientia. *CCCXXX.*
Etiam justos. *CCCXXXVI.*
Jejunium praecipiendo Ecclesia non excedit limites suae potestatis. *CCCXXXIV.*
Jejunii lex vigebat etiam in antiqua Ecclesia. *CCCXXXV. CCCXXXV.*
Recte et utiliter lata est ab Ecclesia. *CCCXXXVII.*
Per jejunium mercedem a Deo promeremur. *CCCXXXIX.*
Ac pro peccatis Deo satisfacimus. *CCCXL.*
Ignis inferni quo sensu a Patribus dicatur incorporeus? *CCIV.*
Est ejusdem cum elementari nostro speciei, *CCV.*
Qua ratione agat in corpora, explicari nequit. *CCVI.*
Ignis vox in Scripturis sumitur pro vero igne. *CCXIV.*
Illyrici Matthiae absona de natura peccati Originalis opinio. *XXXIV.* Confutatur. *XXXIX.*
Infernus datur etiam in lege gratiae. *CC.*
Est locus materialis, determinatus, ac subterraneus *CCI.*

In eo damnati torquentur vero igne. CGII.
Apud Inferos puniuntur peccata gravia, etiam occulta, nondum expiata. CCVII.
Ad Inferos statim post mortem detruduntur animae in statu peccati mortalis ex hac vita decedentes. CCVIII.
Infernales poenae sunt aeternae, nullum unquam finem habiturae. CCIX.
Indifferentia circa salutem aeternam inepta est, et noxia. CCXCVIII.
Indifferentia judicii sola non sufficit ad libertatem. CDXIII.
Inimpedibile est, quod necessario sequitur ex inimpedibili. CCCXCVIII. CDXII.
S. Irenaei locus de jejuniis Veterum perperam intelligitur a Protestantibus. CCCXXXV.
Julianus Imp. Christianos proponit ad imitandum Gentilibus. CCCVII.
Juliani Eclanensis Pelagiani doctrina de concupiscentia. DXXIII.
Justitia originalis quid dicat? XXXVII.

L

Libertas a coactione et necessitate. CCCXLVIII.
Contradictionis et contrarietatis. CCCXLIX.
Contrarietatis non semper requiritur ad libertatem a necessitate. CCCL.
Ut libera sit potentia, et ad agendum proxime expedita, quid requiratur? CCCLI.
Libertas ad appetendam in genere beatitudinem non datur. CCCLVI.

Libertas a coactione necessario convenit voluntati humanae. CCCLV.

Non sufficit ad liberum arbitrium. CCCLVIII.

Libertas indifferentiae etiam in statu naturae lapsae est necessaria ad merendum vel demerendum. CCCLXXVI.

Libertas in causa, seu in Adamo, non sufficit ad liberum arbitrium. CCCLXXXIX.

Liberum arbitrium datur etiam in statu naturae lapsae. CDXX.

Lutheri Martini errores. XXXVI. CXXVI. CLXVIII. CLXXX. CCXXVII. CCXLV. CCLIX. CCLXIX. CCLXXIX. CCCIII. CCCXXIV. CCCCXVII. CDXVIII. CDLXVIII.

M

B. V. Maria cur mortua? LXXII.

Non contraxit peccatum originale. Vide *Conceptio.*

Habuit debitum remotum contrahendi originale. CXXII.

Non tamen debitum proximum. CXXIV.

Semper fuit immunis ab omni labe peccati personalis. CXXVII.

Habuit tamen potentiam peccandi. CXXXII.

Confessionem Sacramentalem numquam peregit. CXLII.

Fomitem peccati numquam habuit. CXLIII.

Mariana innocentia a criminationibus Protestantium vindicatur. CXXXVI. et seq.

Matrimonii usus non est causa peccati originalis. XXIX.

Meritum de condigno, et de congruo quid sit? CCXXXVII.

Ad meritum de condigno quid requiratur? CCXXXVIII.
Ad meritum de congruo? CCXXXIX.
Sub meritum de condigno et de congruo quid cadat? CCXL.
Sub meritum de condigno quid non cadat? CCXLI. et seq.
Merita nostra nullam inferunt injuriam meritis Christi. CCLVI.
Mercedis aeternae intuitu licitum est bonum agere. CCLX.
Miseriae hujus vitae non certo, sed probabiliter ostendunt existentiam peccati originalis. CDXCIX.
Moniales prudenter ab Ecclesia obligantur ad recitandum latina lingua Officium divinum. CCCXIV.
Montani jejunia cur ab Ecclesia fuerint improbata? CCCXXXIV.
Montesono Joan. propositiones proscriptae ab Academia Parisina. LXXXVII.
Mors corporis est poena peccati originalis. LIII. LXVIII.
Multi in Scripturis saepe dicuntur omnes. XVI.

N

Narratio Evangelica Divitis et Mendici non est parabolica, sed historica. CCXV.
Nativitas B. M. fuit sancta, et unde id constet? LXXVII.
Naturae purae status quid sit? CDLXV.
Naturae integrae, innocentis et elevatae, lapsae et reparatae status quid sit? CDLXVI.
Naturae purae status possibilis est. CDLXXIV.

Necessitas antecedens et consequens quid sit? CCCLII.
Perpetua et transiens. CCCLIII.
Metaphysica, physica, et moralis. CCCLIV.

O

Obduratio et excaecatio peccatorum quid sit? CLXI
Officium Divinum quid sit? CCCI.
Varia ejus nomina. CCCII.
Officium parvum Immaculatae Conceptionis cur olim proscriptum fuerit? CXIII.
Omnipotentiae Dei omne id repugnat, quod a perfectionibus divinis alienum sit. DII.
Opera vere ac perfecte bona possunt effici a justis. CCXXVIII.
Opera quaenam in Scripturis dicantur pannus menstruatae? CCXXXIII.
Opera bona Justorum merentur vitam aeternam. CCXLVI.
Et quidem de condigno. CCXLIX.
Sunt necessaria ad obtinendam salutem. CCLXXII.
Non tantum ratione praesentiae, sed etiam efficientiae CCLXXIV.
Ex operibus bonis nascitur fiducia. CCL.
In illis potest poni fiducia. CCLI.
Tutius tamen illa in sola Dei misericordia reponitur. CCLII.
Oratio sola ad salutem non suffieit, neque non interrupta requiritur. CCLXXXIII.
Oratio ad salutem est necessaria. CCLXXXV.
Licite et honeste fit etiam pro aliquo in specie. CCXCI.

Etiam privata recte peragitur in Templis. CCXCIII.
Orantibus multa largitur Deus, quae absque oratione non concederet. CCLXXXIX.
In Oratione aeterna salus determinate est petenda. CCXCVII.
Bona temporalia vero sub conditione. CCXCIX.
In Oratione Dominica nomine *panis*, et *mali* quid veniat? CCC.
Origenes an peccatum Originale admiserit, merito ambigitur. XXII.
Ejus error circa poenas Daemonum et damnatorum. CXCIX.
Damnatur in V. Synodo. CCXI.

P

Parvuli sine baptismo decedentes non fruuntur naturali beatitudine. LIX.
Dolorem internum patiuntur. LX.
An aeterno igne sint cruciandi? LXII. et seq.
Patres quo sensu carnem Deiparae vocent *carnem peccati*? CII.
Quo sensu Deiparam dicant *mundatam*, *purgatam*, *sanctificatam* fuisse? CIII.
Peccatum quid et quotuplex sit? I.
Quo sensu sit poena alterius peccati? CLV.
Peccatum Originale datur. III. et seq.
Unicuique ex posteris Adae est proprium. XI.
Per naturalem generationem in singulos derivatur. XII.
Quamvis anima non generetur a parentibus. XXVIII.

Non tamen alia Adami aut parentum peccata derivantur. XIII.
Originale transfunditur, quando anima corpori unitur. XIV.
Peccatum non imitatione, sed propagatione in mundum intravit. XVI.
Originale qua ratione sit voluntarium? XXIII.
Hujus vera causa non sunt parentes, sed instrumenta. XXV.
Peccati originalis natura explicatu difficilis. XXXIII.
Male explicatur ab Illyrico. XXXIV.
A veteribus quibusdam Scholasticis. XXXV.
Atque a Protestantibus. XXXVI.
Quid Catholici Doctores de illa sentiant? XXXVII.
Peccati Originalis poena est mors corporis. LIII.
Concupiscentia rebellis. LVI.
Exclusio ab aeterna gloria. LVII.
Peccata mortalia et venialia differunt inter se intrinsece, et ex natura sua. CLXX.
Peccati mortalis a veniali differentia undenam sit desumenda? CLXXIII.
Pelagii errores circa peccatum originale. II. ejusque poenas. LII.
Perseverantia finalis non cadit sub meritum de condigno, sed de congruo. CCXLII.
S. Pius V. cur Officium Conceptionis immutaverit? LXXXII.
Pontifices Romani saepe damnarunt propositiones noxias in globo. CDXCII.
Pontificum Romanorum favor erga piam sententiam. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. LXXXIX.

Praescientia Dei non tollit libertatem actuum humanorum. CDXXXIV. et seq.
Processio Spiritus Sancti a Patre et Filio quo sensu dicatur a quibusdam libera? CCCLXXIV.

Q

Qualitas morbida, veterum quorumdam Scholasticorum commentum. XL.
Quietistarum error. CCLXXXII.

R

Redemptio, alia reparativa, alia praeservativa. XCVII.
De Rivo Petri propositio damnata. CDXII.

S

Samosateni Pauli impudentia. CCCII.
Santificari quo sensu dicatur vir infidelis per mulierem fidelem? XIX
Scriptura quandonam in proprio, aut figurato sensu sit intelligenda? CL.
Sisti IV. gemina Constitutio in causa Conceptionis. LXXXI.
Socratis hallucinatio de jejuniis Romanae Ecclesiae. CCCXXXVI.
Spes Theologica non admittitur per quodlibet mortale. CLXXXIX.
Per quod mortale amittatur? CXC.

T

Theodoretus peccatum originale numquam negavit XXII.
Theologi fere omnes a saeculo XIII. immaculatam B. V. Conceptionem propugnant. LXXXVI.
S. Thomas pluribus in locis perspicue docuit immunem fuisse Deiparam a noxa originaria. CIX.
Conciliantur textus, qui videntur contrarii. CX.
Non inanis suspicio est, textus contrarios fuisse vitiatos. CXI.
Ex principiis S. Thomae infertur, Deiparam non contraxisse originariam noxam. CXI.
Thomistae complures Immaculatam Deiparae Conceptionem tuentur. CXII.
Trajani Imp. liberatio ab inferno prorsus commentitia est. CCXXIII.
Tridentini Concilii declaratio, addita ad finem Decreti de peccato originali, est genuina. LXXX.

V

Votum tuendi Immaculatam Deiparae Conceptionem, etiam profuso sanguine, est pium et laudabile. XCV.

O. A. M. D. G.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Cand. M. Frattini Arch. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sacri Palatii Apost. Magist.